




BREVIARIUM CONCIONATORIUM,

Pro omnibus Dominicis, Festis per annum, & Feriis Quadragesimæ.

His

Addita sunt aliqua Fragmenta, Strenæ, Fidelis Prophetissa concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones diversis temporibus occurrentes, funebres.

AUTHORE

R. P.

ADALBERTO TYLKOWSKY,


Societ. JESU Theologo Presbytero.

Conventus Patrum Ressoviensis Reformatorum 1718



Typis Monasterii Olivensis,

Imprimebat JOANNES JACOBUS TEXTOR, Factor, 1686.



Facultas Illustrissimi & Reverendissimi

D. D. LOCI ORDINARII.

Imprimatur.

NICOLAUS PAC
Episcopus Vilnensis.

Facultas

R. P. PROVINCIALIS.

ALbertus Cieciszevvski Societatis JESU Præpositus Provincialis per Provinciam Litvaniæ, Cum Summariæ Conciones totius anni, dictæ *Breviarium Concionatorium*, à P. Alberto Tylkovvski Societatis nostræ conscriptæ, sint ab his quibus id commissum fuit recognitæ; & ut possint in lucem edi approbatæ. Nos potestate nobis factâ ab A R. P. N. Joanne Paulo Oliva Præposito Generali nostræ Societatis, facultatem damus ut typis vulgentur. Dat. Varsaviæ 1668. Decembris 9.

ALBERTUS CIECISZEWSKI.




Ad Lectorem.

DUæ ſunt cauſæ præcipuæ quæ me ad præſentem impulerunt laborem, & prior illarum pro toto opere, poſterior pro hac parte præſenti militat. Prior itaque eſt, quia etſi non deſint Conciones præclariſſimæ in magnis voluminibus tam communi quam maternâ editæ lingvâ; injuriâ tamen bellorum plerumque haberi non poſſunt: & cum in Polonia Patochi iidem ſint paſſim Concionatores, rei domeſticæ adminiſtri, & aliis centenis curis diſtenti, vix oneribus ſufficiunt, non vacant multorum foliorum evolvere concionem, maximè cùm aliquot diebus ſe conſequentibus eſt dicenda, præterea ſi eſt Maternâ conſcripta lingvâ accidit ut jam antè nota ſit futuro Auditori. Altera ratio quæ Conciones de Sanctis concernit. Quia ſæpe Conciones fiunt de Sanctis ut vix in illis nomen Sancti audiatur, & populus de Sancto cupiens audire, fraudatur ſuo deſiderio. Opponi huic rationi poteſt, quia humilis eſt ingenii vitam Sancti explicare; neque ego de hoc contendo, ſed tamen opinor, ut qui Sanctum prædicat, de Sancto concionetur. Occurrendo itaque iſtis incommodis, & lingvâ non vulgari, & breviſſimè, rebus tamen ita refertas Conciones conſcripſimus,

psimus, ut subinde una possit in plures dividi, & methodo instituimus ut memoriæ consuleremus. Et quid de singulis Sanctis dici possit, ut concio sit Sancti propria, congessimus, & prærer Sanctos quorum festa sunt celebria ad populum, damus etiam illa quæ locis particularibus celebrantur, & si omnia persequi in magnæ molis opus excresceret. Pro festis Sanctissimæ Virginis, de Portiuncula, Rosarii, Scapularis & similibus, damus satis uberum materiam, in libro cui titulus Prophetissa: Pro funeribus (præter Conciones singulares) reperietur materia in opusculo in qno loca S. Scripturæ de quatuor Novissimis explicuimus. Videbitur aliqua concio longiuscula, quælibet habet partes in quas dividi potest. Addimus fragmenta, in quibus materiam Concionandi sæpè potiùs ponimus quam ipsas Conciones, ut sic brevitati Operis & subinde Lectoris negotiis consulamus. Aliquando textum longiorem scripturæ aut S. Patris ponimus, non ideo ut totus à Concionatore recitetur, sed ur sensus ejus ad formandum conducat affectum. Et omnia sint S. Romanæ Ecclesiæ judicio subjecta,

Typo-



Typographus Lectori.

CUm scriptor harum Concionum non pauca & pro omni hominum statu, & præcipuè in nostra Typographia impresserit, non erit abs re Catalogum operum ejus apponere. Itaque impressit.

Pto devotis instar Catechismi Polonicè, Doctrinas & occupationes spirituales. Quòd opusculum primò impressum est Cracoviæ: Deinde jussu Illustriss. & Rever. D. D. Vieyski, Episcopi Chioviensis, recusum Brunsbergæ.

Pro Studiosis precatorium libellum dictum, *Pia exercitia Studiosis.*

Pro Patribus familias Oeconomiam, sub titulo *De re Agraria.*

Pro hominibus DEUM quærentibus, *Jugum grave*, quod est iteratò impressum. *De arte Sanctitatis. Soliloquia Christian. De Malo. Vitam B. Stanislai Kostka à se ex italico translatum tn Polonicum.* Loca S. Scripturæ de Novissimis Poloniæ.

Pro confraternitate S. Annæ, *Novem devotiones ad S. Annam.*, Polonicè.

Pro concionatoribus, Hoc opus quod ptæ manibus habetur. Problemata Polonica in totius anni Evangelia.

Pro Militibus, partem Politicæ De arte & Prudentia militari. Causas bonæ & malæ fortunæ in bellis.

Pro Curiosis ut eos à noxiis curiositatibus avocaret, Philosophiam Scholasticam & Moralem. Scholastica his constat.

Logica, in cujus fine multæ quæstiones novæ apponuntur, puræ Logicæ.

In prima parte Physicæ explicat Aristotelem de Auditu Physico, & singulariter tractat de Infinito.

In secunda parte Physicæ tractat curiosè de mundo & ejus patribus.

In tertia agit de Meteoris, & indicem ostentorum in cœlo ferè ab initio mundi ponit.

In quarta agit de Ortu & interitu rerum, & plurimas curiosas solvit quæstiones.

In quinta agit de anima, ac plurima de illa curiosè proponit.

In sexta explicat Aristotelem de Mechanicis, & usum eorum in plurimis artificiis ostendit per quatuor elementa mundi procedendo.

In septima agit de sensu & sensili. Ubi cum agit de visu, Picturæ & Architecturæ fundamenta ostendit, colores explicat, artificia circa

ca visum ponit. Ubi explicat Auditum, postquam de sono dixit, cryptographiam & alia similia apponit.

In Octava agit de omni natura in particulari, de terris, aquis, &c. gemmis, plantis, avibus, animalibus. Fallacium artium vanitatem ostendit.

In Nona deducit varia ex dictis in parte Nona.

Metaphysica habet multa de DEO & Spiritibus ex naturali discursu.

Moralem Philosophiam dividit more solito, in Monasticam, Oeconomicam, Politicam.

In Monastica pro prima parte ponit quem ante impresserat, librum de Malo: In Secunda librum de Bono.

In Oeconomica, pro Prima parte ponit quem antea impressum De re agraria. In secunda, Institutionem Nobilium.

In Politica, pro prima parte, Fabium Dialogum. Pro Secunda, superiùs à me nominatum de Arte & Prudentia militari.

Pro Studiosis Matheseos, Arithmeticam Curiosam, Geometriam Practicam. Horologiographiam novam. Astronomiam Ulualem. Calendarium.

Pro difficilibus ad S. Confessionem peccatores in exemplum datos peccantibus à Justitia Divina, Polonicè.

Pro Infirmis pauperibus, Medicum familiarem.

Pro Orantibus Divinum Officium. Paraphrasim Psalmorum Polonicè.

Pro Sacerdotibus. Opusculum bipartitum, quod jam bis est recusum.

Pro Confessariis. Tribunal sacrum, & Axiomata Moralia.

Pro Controversistis. Amicas controversias.

Præterea impressit sub Alieno nomine, sub titulo Ara gratitudinis Vitas Episcoporum Varmiensium. Æternitatem armorum Domûs Kierlovianæ. Historiam Paprocianam, & Polonicè diem Nobilis Poloni. Anagrammata sacra. Negotium Defunctorum, Polonicè. Circulum æternitatis ex Italico translatum à se in Polonicum. Præterea scripsit.

De Dente aureo, qui in ore pueri Vilnæ comparuit.

De Solo Deo quærendo ex Italico à se factum Polonicum. Stimulos Divini amoris, Compendium Philosophiæ, unum in octavo, alterum in quarto. De Cometis. Scripsit, non dubito, & impressit multa alia quorum ad me non pervenit notitia.



INDEX


Concionum ſuper Dominicas totius anni & Ferias Quadrageſimæ.

Ea-

Pro Paſsione Domini Diverſæ Conciones.

Domi-







BREVIARII CONCIONATORII PARS I.

De Dominicis & Feriis Adventus.

CONCIO I.

Pro Dominica 1. Adventûs, Prima Concio.

Erunt signa in Sole & Luna, &c. Luc. 21.

DIem hanc mundi ultimam in qua vindicabit DEUS, in qua movebit domum cum incola, in qua etiam in ipsum Solem & Lunam effundet furorem, Joël 2. *Sol vertetur in tenebras & Luna in sanguinem*, in hunc modum Job describit. *Cognoscetur Dominus judicia faciens, nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur valdè*: Tunc sciemus quid sit DEus iratus, DEus ultor, nihil sunt quæ hactenus fuerunt, pestes, bella, &c. De his omnibus dicit. *Tacui, silui, patiens fui.* Solùm modò loquar de apparatu ad istam diem.

Chrysost. apud de Busto serm. 9. p. 54. ita hunc apparatum describit. *Sicut cùm Rex processurus adversùs aliquem expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, & exercitus concitatur,*

tatur, totaq; civitas fervet, quantò magis Rege cœlesti exurgente judicare Angelici Spiritus movebuntur, terribiles ministri terribilem Dominum præcedentes? Sed contra quem Domine procedis? *contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam.* Ita est, timeamus. Ezech. 7. *Canite tubâ, præparentur omnes ad prælium, ira enim mea super universum populum.* O quàm terribilis cùm & ipsi cœli contremiscunt! Isai. 54. juxta LXX. *Tabescent omnes virtutes cœlorum, & complicabitur cœlum sicut liber, & omnes stellæ cadent sicut folia ex vite, & sicut cadunt folia de ficu.* Ezech. 32. *Nigrescere faciam stellas.* Cùm tanta variatio in cœlo, necesse fieri in aëre meteora qualia non fuerunt ab initio mundi. Et ante magnas calamitates magna portenta præcedunt. Sic ante Crassi necem ferro pluit, Plin. lib. 2. Ante pestem Romæ, ex fontibus fluxit sangvis Oros. c. 480. Ante bellum Punicum bos locutus. *Cave tibi Roma.* Volârunt serpentes. Infantes ex utero locuti &c. Quid non fiet ante totius mundi stragem? S. Bonav. in 4. dist. 48. & Richard. ibid. hæc signa deducunt ex S. Scriptura. 1. Mare elevabitur instar montium Ps. *Mirabiles elationes maris.* Et rursum veluti absorbebitur. Isaiæ. *Arescet aqua de mari.* 2. Ex mari belluæ cum rugitu in terram procedent Ps. 52. *Elevaverunt Domine elevaverunt flumina vocem suam.* 3. Aves mœstæ, sine cibo, cum ejulatu per campos vagabuntur. 4. Ignis ab occasu ad ortum progredietur. 5. Omnia astra instar cometarum apparebunt crinita. 6. Fient terræ motus maximi. Isaiæ 15. *Confractione confringetur terra, agitabitur sicut ebrius.* Montes invicem collidentur. Omnes plantæ sangvinem sudabunt Isaiæ 34. *Inebriabitur terra sangvine.* Et Sybilla Tiburtina. *Judicii signum tellus sudore madescet.* Montes, colles, ædificia, in pulverem redigentur Ps. 96. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini quia venit judicare terram.* Sepulchra incipiendo ab oriente versùs occasum aperientur Isai. 37. *Ecce ego aperiam tumulos vestros.* Homines

mines veluti amentes præ pavore vagabuntur Sophon. 1. *Ambulabunt ut cæci quia Domino peccaverunt.* Alia signa ex Sybillis colligit Lucanus. Sic *cùm compage solutâ sæcula tot mundi suprema coëgerit hora. Antiquum chaos repetent omnia. Sidera sideribus concurrent, ignea pontum astra petent, tellus extendere littora nolet, excutietq; fretum. Fratri contraria Phœbe* (id est Luna Soli) *ibit, & obliquum bigas agitare per orbem indignata, diem poscet sibi, totaq; discors machina divulsi turbabit fœdera mundi.* Neque hic finis. Ignis erumpet sicut aqua ex stagno aggere rupto. Dan. 7. *Fluvius igneus currebat ante ipsum* Ps. 96. *Ignis ante ipsum præcedet & inflammabit in circuitu ejus tempestas valida* Malach. 4. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus.* Magister Sentent. in 4. dist. 48. ait, quòd ignis ille ascendet tam altè sicut aquæ diluvii, hoc est cubitis 15. Supra omnes montes. Descendet verò per aërem illumque purgabit, & tandem omnes mundi sordes secum ad infernum trahet. Sed his adhuc pejora.

Ligatur modò Sathan, & quid non facit? tunc solvetur Apoc. 20. Quæ contra Martyres fecit, fecit ligatus? Et ut magis noceat utetur Antichristo tam ad mortem corporum quàm animarum, & ad hoc tribuet illi thesauros terræ, & exercitum ex inferno suppeditabit. Aget pecuniâ, tormentis, &c. De hoc Apoc. 14. *Babylon vino fornicationis suæ potavit omnes*, & qui de illo bibit, *bibet de vino iræ DEI.* De illo Apoc. 17. *Vidi mulierem ebriam de sangvine Sanctorum.* Accedent falsa miracula Apoc. 13. Tres Reges occidet, & septem mittet sub tributum. Occidet Enoch & Eliam Apoc. 9. Apertus est puteus abyssi, prodierunt scorpiones, grando cecidit pondere talenti, mare fit sangvineum, pluvia ignea. 2. Petr. 3. *Cæli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Et rursus juxta lect. Græcam. *Cæli transibunt cum magno impetu & stridore in modum procellæ.* Tunc in cœlo crux apparebit. Imò omnia instrumenta passionis Do-

nis Dominicæ ut docet S. Thom. opusc.2. cap.244. Quid ad hæc? cùm Exod. 9. locuturus erat DEus in monte Sina, *cœperunt audiri tonitrua, micare fulmina, ac nubes densissimæ operire montem, clangorq́ꝫ buccinæ vehementiùs perstrepebat.* Simili modo *mittet Angelos cum tuba & voce magna*, clamabunt. *Surgite mortui, venite ad judicium.* Surgemus in hoc ipso corpore, iidem nervi, ossa, &c. Surgite Sancti, surgite qui pugnâstis contra DEum peccatores. Deut. 32. *Invocabo contra eos cœlum & terram.* Hugo de S. Victore. *In die ultionis nihil habebit quod respondere possit homo peccator, ubi cœlum & terra, Sol & Luna, dies & noctes, & totus mundus, & omnes creaturæ stabunt adversùs nos in testimonium peccatorum nostrorum.* Verè Sophonias *Dies Domini magna, dies Domini amara, dies iræ, tribulationis, angustiæ, dies calamitatis ac miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* S. Petr. *Dies Domini tanquam fur*, omnia cùm non putabis furabitur, ubi palatia, &c.? *Dies restitutionis omnium.* Ablatus fuit è terra timor DEI, restituetur & pudor. Restituuntur oculi peccatori, jam videt sua peccata ab infantia commissa, suam ingratitudinem, opera bona omissa, relapsum in peccata. Restituetur peccato horror. Sicut cùm expectat latro ut illi prælegantur à Judice ejus scelera. *Omnis iniquitas oppilabit os suum.* Restituetur intellectus verbi illius. Eccles.12. *Cuncta quæ fiunt adducet Dominus in judicium.* Restituet oculos ut videat quomodo se deformaverit cùm sit factus ad Dei imaginem. Expectabit Judicium peccator, sicut reus qui occidit Regem. Job erat vir rectus, attamen cap.31. *Semper quasi tumentes fluctus timui.* Quasi navigans in periculo naufragii, quid nos in quibus pro DEO regnat peccatum? tanquam uxor cum adultero conclusa à marito qui amicos convocat ut videant scelus. Nahum.3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in gentib9 nuditatem tuam, & projiciam super te abominationes.* Prodite peccato-

res cum vestris operibus sicut fures cum suo furto. Job 20. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus & terra consurget adversùs eum, apertum erit germen domûs illius.* Jam veniet Filius hominis, jam ut Moyses clamabit, Exod. 32. *Si quis est Domini jungatur mecum.* Et statim virtutes cœlorum movebuntur. Quid ô anima? gaudebimus an ardebimus in æternum? Veniet Dominus, dicet quid fecit pro te, interrogabit quid tu pro illo? Malach. 4. *Et erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, quasi stipula, & inflammabit eos dies veniens, & non relinquet eis radicem & germen.* Veniet dies in qua Judic. 12. Examinabit Jephte Ephrateos. Veniet ille cui dixistis Luc. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* Veniet cui non credidistis dicenti, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Tunc videbunt. Ubi estis voluptates? transivistis! Job 14. *Quis mihi hoc tribuat ut in inferno abscondas me donec transeat furor tuus?* Quid me expectat? illine Angeli qui ad bonum, vel qui ad malum incitabant? Quo me tractabunt? Apoc. 14. *Bibent de vino iræ DEI, quod mixtum est mero in calice ipsius.* Recipiam mercedem. Sed momentaneum fuit quod delectavit. Sed tam grave ut mereatur pœnam æternam. Quod gaudium? quis dolor? quo magis pars sensitiva quæ his afficitur magis sentit. Principium sentiendi anima est, quæ vel deliciis affluet, vel torquebitur.

CONCIO II.

Pro Dominica 1. Adventûs, Altera Concio.

Arescentibus hominibus &c. Luc. 21.

SCribit B. Joan. Climacus de quodam qui negligentiùs vixit, hic mortuus, à Christo judicatus, deinde vitæ redditus, cellæ suæ aditum lapidibus obstruxit, in qua ita angusta se conclusit ut se ne loco movere potuerit. pane solo & aquâ sem-

per contentus. Ita mortem expectavit per annos duodecem, omni colloquio abstinens, à cella non prodiens, & veluti attonitus esset, oculos non movens, & continuis madens lacrymis, cùm à moribundo petitum, ut aliquid diceret, dixit, *Nemo qui verè mortis memoriam agnoverit unquam peccabit.* Utamur hoc remedio ut Salvatorem venientem læti excipiamus.

Si liceret nobis oculis à Deo illustratis inspicere sepulchra, quot ibi spes simul consepultas hominibus videremus! cum isto spes acquirendorum prædiorum, cum illo spes dignitatum, Sacerdotii, aut conjugii opulenti, ædificandarum domorum, & quod pejus & communius, salutis æternæ Ps. 141. *Exibit spiritus ejus & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Chald. legit. *Omnes machinationes eorum.* Ita ille sibi promittebat. *Destruam horrea & majora faciam.* Sed quid factum? *Stulte hâc nocte repetent animam à te.* Crescimus velut arbores, una aliam præcellit, comburuntur: dignosce si potes cineres. Primus homo dictus alio nomine Enos, id est, oblivio, nam nec vivi meminerunt quis fuit, qui mortuus. *Oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Obliviscitur etiam ipse sui in morte. Ps. 82. *DEus meus pone illos ut rotam.* Incognitus author, per rotam intelligit herbam quæ in campis nascitur habens in circum albam lanuginem, quæ ubi ventus flaverit avolat. Sap. 5. *Spes impii quasi lanugo quæ à vento tollitur.* E contrà. *Beatus cujus DEus Jacob spes ejus.* Quare, non DEus Abraham, Isaac sicut aliis locis ponitur? quia Jacob in baculo transivit Jordanem relictis opibus paternis, solus baculus illi superfuit, nobis sola tumba, unde nullas spes habuit nisi in DEO Ps. *Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Hieron. legit. *Catuli leonum depauperati sunt.* Quomodo? leo facilè potest pro catulis prædam colligere. Sed occiditur casu leo, illi egent, ita spes nostræ in rebus temporalibus, pereunt.

Modò

Modò isti leones Prov. 12. *Deglutiamus insontem sicut infernus viventes, implebimus domus nostras spoliis.* Deglutiunt fraudibus in jure, mercaturâ, vi, quid postea? Sap. 4. *Erunt posthac decidentes sine honore.* Quis illis honor? Psal. 81. *Ego dixi Dii estis.* Adorantur modò Dii, imperant, timentur. *Vos autem sicut homines moriemini.* Ubi peristromata, epulæ, opes, famuli? *decident sine honore.* 1. Mach. 1. Alexander magnus, *posthac decidit in lectum & obtinuerunt pueri ejus regnum*, devenit in alienas manus regnum, ille in dentes vermium. *Et tanquam unus de principibus cadetis.* Per hoc Augustinus hoc loco intelligit dæmonem, ita ut ille cadetis. Jerem. 25. *Cadetis quasi vasa pretiosa.* Alii legunt, *crystallina.* Quæ dum rumpuntur, nihil aliud fit quàm conclamatio. Ruptum est vas, & statim, ejicite fragmenta foras. *Decidentes sine honore.* Et quod pejus. *Disrumpet illos inflatos sine voce*, confusio ex doloribus, fletu adstantium, metu ignotæ regionis in quam ituri sunt &c. Vox deest, ut verbum salutare circa animam suam loquantur. Inflantur interea, veluti uter, vellent hæc, illa; & nihil fit, sunt sine voce. Ubi vestra imperia, ubi minæ? estis sine voce. Inflati fuistis superbiâ, quid modo? estis sine voce in subsellliis, tam activa quàm passiva. Isaiæ 14. *Ponam Babylonem in possessionem erycii.* Quid tecum deferes? poma quæ aufert erycius in suis spinis defert. Alii legunt *in possessionem testudinis.* De hoc animali scribit Plin. lib. 19. Quodsi radius Solis calefecerit ejus caput non potest mergi in aquis, ferenda palam velut in spinis tua opera ad Judicem, non te abscondes cùm te Sol justitiæ radio percusserit.

Spe omni sublatâ temporalium, jam aliæ cogitationes, sicut dum aliquis ab hostibus captus deducitur in regionem ignotam, damnat suam securitatem, laudat illos qui prospiciebant sibi ne caperentur. *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam.*

saniam. Ita accidit 4. Reg. 9. Intravit Propheta ut Jehu in regem ungeret: Principes qui aderant. *Quid iste insanus venit ad te?* Narrat deinde illis quid factum, subitò mutant sententiam, & Jehu dant honorem. Ita cùm Paulus Act. 26. prædicat. Festus illi dicit, Insanis Paule, in morte dum clauduntur oculi carnis, aperiuntur oculi mentis. *Ecce quomodo inter filios computati sunt,* quos putabamus insensatos! O quomodo illâ horâ res omnes vilescent, quomodo displicebit quæsivisse Concionatores qui non verbum DEI, sed verbum taciti Æsopi dicerent, Confessarios, qui verum non audirent? aliena quæsivisse! Sordebunt jam voluptates, æstimabitur patientia.

CONCIO III.

Pro Feria Secunda Dominicæ 1. Adventûs.

Erunt Signa in Sole &c. Luc. 21.

VEluti Rex aliquis bellaturus contra alium conscribit milites, Duces ordinat, præcepta, &c. Et ecce alii rebellant, alii inter se pugnant, hosti se subdunt &c. Venit tandem cum majore exercitu ultionem de malis publicè sumpturus, præmia bonis daturus. Ita Christus in primo Adventu suo conscripsit, Duces imposuit Apostolos & eorum successores &c. Interea omnia fiunt mala &c. Venit secundò cum exercitu, signa explicat, tubis jubet cani, considet in tribunali. Spectemus.

Venite, videbimus, cur hactenùs quosdam malos non videbatur punivisse, bonos donâsse præmio. Cur aliis brevem, aliis longam dedit vitam: aliis opes, aliis inopiam: cur aliquos nasci inter infideles: Jam sciemus eorum causam, quæ modò cum Greg. hom. 38. miramur: ubi loquitur de illo qui non habuit vestem nuptialem quem tamen amicum vocat. *Quia* *vo-*

vocati sumus, si sumus electi nescimus. Alter pænè totam vitam ducere in pravitate conspicitur, sed juxta finem à pravitate sua per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur. Alter electam videtur ducere vitam. Et tamen hunc contingit ad erroris nequitiam juxta finem vitæ declinare. Heli habuit dyscolos filios, quia non punivit, punitus est: Habuit & Samuel dyscolos, nec punivit, nec punitus est. Lapsus in adulterium David, surrexit: non surrexerunt alii. Jam Rex dicit. Ezech. 28. *Et magnificabor & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum Gentium, & scient quia ego Dominus.* Jam ipsi cognitis rationibus clamabimus. *Justus es Domine & recta judicia tua.*

Venite omnes milites sed in his corporibus in quibus militâstis, ut qui jam in anima cœpistis recipere mercedem, recipiatis & in corpore. Et jam resurgunt omnes, *in momento, in ictu oculi.* Spectate Judæi qui non credidistis Job 13. dicenti, *Scio quod redemptor meus vivit.* Videte Christiani, iste est cujus militiæ in Baptismo nomen dedistis. Spectate oves, spectate hœdi. Jam clamatis hœdi Jer. 30. *Maledicta dies in qua natus sum, dies in qua peperit me Mater mea non sit benedicta.* Tunc oves *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Tunc explicabitur coram omnibus, cur ille salvatus, iste damnatus; cur ille totâ suâ vitâ felix, ille fuerat miser: ille natus in domo Principis, iste in sterquilinio &c. Tunc veluti boni milites ostendent SS. Martyres sua vulnera, Confessores suos labores. &c. At damnati præ confusione quam capient ex suis operibus, dicent montibus operite nos, &c. Quis mihi det ut in inferno abscondas me donec pertranseat furor tuus? sed spectate mali bonorum, spectate & boni malorum opera, videte quomodo justus Judex reddit unicuique juxta opera sua, nulli faciat injuriam. Ephrem serm. de secundo adventu Domini. *Putatis Fratres cùm ostendent SS. Martyres vulnera sua, cruciatus, & verbera: fortissimiq; Monachi studium conti-*

continentiæ ipsorum, tolerantiam afflictionum, omniumq́; rerum nuditatem: qui negligentes ac desides fuêre quo in opere gloriabuntur? Tunc non unus utetur verbis B. Isaiæ Abbatis orat. 14. *Me miserum, me miserum! quia nondum à gehenna igne liber sum, qui ad illam homines detrahunt adhuc in me operantur, & omnia opera eorum moventur in corde meo.*

Sed expectate modicum, mox videbitis qui ad gladium, qui ad coronam. Modò non solùm conscientia arguit, audite & Judicem. Tum primò fiet quod scriptum Isaiæ 24. *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis, & gravabit eam iniquitas sua, corruet & non adjiciet ut resurgat.* Hoc erit de vobis terreni homines, desertores castrorum Domini propter lucra terrestria. *Et erit in die illa. Visitabit Dominus super militiam cœli in excelso, & super Reges terræ qui sunt super terram.* Ad hoc ne vos collegi, ut essetis avari, ebriosi? &c. Istasne leges meæ militiæ præscripsi? Hæcne consilia dedi? ad hoc duces imposui? maluistis Sathanæ contra me militare. *Ite maledicti in ignem æternum.* S. Ephrem lib. de vera Pœnit. *Tunc jam impellentur miseri ab Angelis terribilibus acti, cæsi, atq́; flagellati, pergentq́; mugientes ac stridentes dentibus, crebriusq́; post tergum circumspicientes, si quo pacto justos, & illud gaudium, unde ipsi separati sunt, intueri queant.* Sed frustra miseri respicitis, itis in æternum ignem, non apponet misereri DEus, non mutabit sententiam. Quid ad hoc infelices? certè verba Job 19. sunt vobis æstimanda. *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me, dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant obliti sunt mei.* Non miseretur Pater Filii &c. Imò super eum sententiam Judicis repetit. Qui tandem comites vestri? Isaiæ 34. *Et descendent unicornes cum eis, & tauri cum Potentibus, inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pin-*

pe pingvium, quia dies ultionis Domini, annus retributionis judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus in facem, & humus ejus in sulfur, & erit terra ejus in picem ardentem. Nocte & die non extingvetur, in sempiternum ascendet fumus ejus, à generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam.

Jam recedit cum suis Beatis Christus in cœlum, qui fortè illud Moysi superato rubro mari, occinent. *Cantemus Domino gloriosè magnificatus est* &c. Jam Sanctorum quivis ad suum deducitur thronum, jam præmia laborum accipit. Jam Angeli salutant Pœnitentes, Archangeli &c. Jam amici, affines. Jam corpus illud factum est spirituale, glorificatum. Jam non possunt satiari laudibus Dei qui pro momentaneis laboribus immensum gloriæ pondus illis dedit. Sed recordabiturne aliquando DEus damnatorum? Carcer ille inferni, & describit Isai. 29. *A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione, & voce magna turbinis, & tempestatis, & flamma ignis devorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnæ multitudo omnium Gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, qui adhæserunt Adversario Christi, & omnes qui militaverunt & obsederunt & prævaluerunt adversùs eam.* Adversùs bonos. *Et sicut somniat esuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima ejus, & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & vacua est anima ejus. Sic erit multitudo omnium Gentium quæ dimicaverunt contra montem Sion.* Æterna fames, æterna sitis, æternum tonitru & turbo, Felicitas mundi transiit sicut somnium.

CONCIO IV.

Pro Feria Tertia Dominicæ 1. Adventûs.

Arescent homines præ expectatione eorum &c. Luc. 21.

VEnient boni, venient & mali ad judicium. Breviter Evangelium describit sententiam in utrosque: *Venite benedicti, Ite maledicti.* &c. Multa nihilominùs invenio in S. Scriptura, quæ has sententias explicare videntur, & modò, sicut heri explicui sub imagine militum fidelium & infidelium Regi, explicare constitui sub imagine duarum filiarum ejusdem Patris, quarum una se gessit optimè, alia nequiter. Sub hac enim imagine S. Scriptura & laudes ponit bonæ, & vituperia malæ animæ. Hæc animam expectantem proponant.

Veniet bona anima, & DEus appellabit illam, Filiam Principis. Tu filia mea es, filia Principis. Tum enim Angelus referet ejus facta digna Principe, quòd noluerit sub servitute carnis, mundi, Sathanæ vivere, & soli DEO voluerit subesse. An enim non turpe si homo fiat sicut equus & & mulus? Greg. in Ps. 2. Pœnit. *Equus sicut Dominum suum portandum recipit, ita etiam sine discretione alios qui volunt ascendere sessores admittit &c. Mulus sicut onus Domini sustinet, ita se cuilibet onerabilem præbet.* Non est filia Principis anima quæ est sicut mulus & equus. Cui caro &c. onera imponit. Tum jubet Christus ut se illi associent Angeli Can. 7. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum, quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis!* Sunamitis idem est, quod mortificata. Gressus, sunt actiones. Chori castrorum, sunt Angeli. Sic Jacob Gen. 32. habens obvios sibi Angelos dixit, *Castra Dei sunt hæc.* Sunt chori propter exultationem de illa anima. Vade ergo filia Sion, id est speculationis, quæ contemplatione cœli adhuc in terra facta est concivis Sanctorum, Zach. 9. *Non transibit super eos ultrà exactor, quia nunc vidi*

vidi oculis meis, exulta satis filia Sion. Ingredere patriam tuam filia Judæ Pſ. 16. *Audivit & lætata eſt Sion.* Cœlum audito adventu animæ bonæ lætatum eſt, *Et exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua Domine.* Judæ, id eſt confeſſionis, *propter judicia,* quia pro illis lata eſt ſententia. *Venite benedicti.*

Adducetur & mala anima, ſed quomodo ſalutabitur? *Filia latronis*, ibis in manus carnificum latrocinata es honorem Dei, pejerando, blaſphemando &c. Latrocinata es animas proximi calumniando, damna inferendo. *Soli DEO honor & gloria*, tu rapuiſti per ſuperbiam. *Domini eſt terra &c.* Tu omnia voluiſti occupare per avaritiam, &c. Micheæ 5. *Nunc vaſtaberis filia latronis*, rapite ſatellites. Rapite filiam Edom, id eſt ſangvinis. Sangvis in Scriptura ſignificat peccata, Thren. 4. *Filia Edom quæ habitas in terra Hus, ad te quoq; perveniet calix, & inebriaberis atq; nudaberis.* Hus, id eſt inſidiator, ſcilicet diabolus in cujus terra illa anima habitat. Ad te ille calix perveniet, de quo Apoc. 14. *Bibent de vino iræ DEI, quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius.* Inebriaberis, ſicut ebrius neſcies quid ages. Apud inferos non eſt ſcientia, non eſt conſilium. Nudaberis, exponeris ſuppliciis ſicut nudus armatis. Rapite hanc filiam Babylonis, id eſt, confuſionis. In inferno nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat, vade filia inferni. Pſ. 136. *Filia Babylonis miſera.* Recipe laboris tui præmium filia Belial. 1. Reg. 1. *Quaſi una de filiabus Belial.* Id eſt, ſine jugo. Recuſâſti jugum meum ſuave.

Scit hæc & his majora fore circa ſe anima, & dum illa jam corpore ſumpto expectat, areſcit præ expectatione. Scit ſe meritam pœnas, ſed ſententiæ horror etiam Sanctos terrefacit. Greg. in Pſ. 4. Pœnit. *Unusquisq; aut Jeruſalem aut Babylonis civis eſt, ſicut per amorem DEI ſanctus quisq; Jeruſalem civis efficitur, ita per amorem ſeculi omnis iniquus in Babyloniæ ſtructura operatur.* Tum agnoſcet quàm durum erit ſeparari à bonis, ſi enim modò du-

rum erit ſeparari à bonis, ſi enim modò durum eſt habere malum vicinum: ſi durum, malam uxorem; malum filium, quid erit inter peſſimos, qui nullâ horâ ceſſabunt à malitia, degere in æternum? ſi durum non aſſumi ad dignitatem, imò ad convivium, cùm aſſumantur cæteri quibus par eſſe poteras; quid æternâ fame cruciari, cùm alii inebriabuntur ab ubertate? Ergò ſeparaberis anima miſera ab omni bono? Ergò tibi DEus non erit ampliùs Pater? ergò tractaberis ut filia latronis, ut filia Edom, ut filia Babylonis, ut filia Belial? ô quis mihi daret priùs in nihilum reverti quàm hæc, & coram toto mundo audire! ſed & mors fugiet. Cogitate in quam deſperationem labetur miſera, quomodo areſcet? Et has meas pœnas ſpectabunt è cœlo, & nemo miſerebitur? Jam mihi DEus intonabit Jerem. 2. *Tranſite ad insulas Cethim & videte, & in cedar mittite, & conſiderate vehementer & videte ſi factum eſt hujuscemodi.* Jam dicet, *ſi facta hæc fuiſſent in Tyro & Sidone &c.* Jam ipſi Ethnici depoſcent meam damnationem. Jam Jerem. 25. *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam, rugiens rugiet ſuper decorem ſuum, celeuma quaſi calcantium concinetur adversùs omnes habitatores terræ. Pervenit ſonitus usq; ad extremum terræ, quia judicium Domini cum gentibus.* Sed quid moror in lamentis infelicis animæ, noſtrum eſt providere ne ad hanc infelicitatem veniamus, noſtrum ut ſit noſter DEus, Baſil. in Pſ. 29. *Non omnium DEus eſt DEus, ſed eorum propriè qui charitate ei ſunt conjuncti.* Diligunt DEum ex toto corde, & proximum ſicut ſeipſos. Sed nos frequenter facimus ut illa Virgo de qua Jacoponus, quæ ſibi commiſſam habuit gemmam pro qua omnia ſibi poterat comparare. Petierunt ab ea quinque viri ut illis daret gemmam, Muſicus da mihi gemmam, ego tibi dulciter canam. Cùm huic denegâſſet venit Pictor, da mihi gemmam, ego tibi pulchras imagines oſtendam, & huic abnuit. Venit Pharmacopola, ego dabo odores. Venit

cocus,

cocus ego dabo cibos, negavit adhuc. Venit Leno. &c. Impugnant nos quinq; sensus veluti hi quinque viri, & seducimur, tradimus gemmam charitatis, propter aliquem sensum in peccatum labimur, ac DEum & charitatem amittimus.

CONCIO V.

Pro Feria Quarta Dominicæ I. Adventûs.

Propè est Regnum DEI. Luc. 21.

QUidquid sit de hoc, adhucné diu mansurus sit mundus? certè hæc nostra tempora vocat novissima S. Paulus. Sed sint qualiacunque, plùs nostra interest, laborare ut ad Judicium DEI quàm securissimi veniamus, quia post novus incipiet mundus, in quo ampliùs non moriemur, & à judicio dependet ut felices aut miseri simus in æternum. Præparemus nos pro hoc Judicis adventu.

Non esset opus multâ præparatione, si post Baptismum in nulla lapsis peccata moriendum esset, tunc enim rectè ut hæredes ad cœlum transiremus. Sed modò, ubi scimus nos peccâsse, nescimus an sit dimissum, scimus damnari multos etiam è Christianis, paucos salvari, quis non cohorrescet ad mentionem judicii? Bern. de Ordine vitæ. *Quamvis omnia feceris, noli esse securus.* Greg. Moral. c. 6. *Minimè mirùm fuit quòd Behemoth, ante lavacri undam, ante Sacramenta cœlestia, ante corpoream præsentiam Redemptoris humani generis, fluvium hiatu profundæ persuasionis absorbuit: sed hoc valdè mirùm, valdè terribile est, quia multos aperto ore etiam post cognitionem Redemptoris suscipit, post lavacri undam polluit, post Sacramenta ad inferni profundum rapit.* Tot verò damnantur ut Chrysost. homil. 4. ad pop. dubitaverit an ex urbe Antiochia centum essent ad cœlum ituri. Ut dum Bertholdo concionante mulier quædam esset mortua ac pauló post resuscitata, dixerit è sexaginta milli-

bus

bus tunc ad DEI judicium adductis, exceptis tribus omnes esse damnatos. Quia horrendum est incidere in manus DEI viventis. Sed fortius est testimonium Isaiæ 24. *Hæc erunt in medio terræ in medio populorum, quomodo si paucæ olivæ quæ remanserunt excutiantur ex olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atq; laudabunt*: Quia DEus non sicut homo judicat. Innocent. III. in Ps. 142. *Meticulosum est omni viventi coram te causam agere criminalem, quia cùm sis potentissimus manus tuas nemo potest effugere, cùm sis sapientissimus oculos tuos nihil potest latere: cùm sis justissimus animum tuum nemo potest corrumpere. Coram quo accusatrix est conscientia, rea mens, advocatrix ratio, testis memoria, & tu Judex.* O qualis Judex qui scrutatur Jerusalem in lucernis, qui in Angelis reperit pravitatem, in cujus conspectu cœli non sunt mundi, coram quo vix justus salvabitur, qui multos vocavit paucos elegit. Quis ex nobis salvabitur? quomodò id modò cognoscemus? Greg. 29. Moral. 9. *Quis inter occultorum DEI judiciorum nubila mentis suæ radium mittat ut aliquâ consideratione discernat, vel quis perduret in malo, vel quis perseveret in bono; vel quis ab infimis convertatur ad summa, vel quis à summis revertatur ad infima? latent hæc sensus hominum, nec quidquam de alicuius fine cognoscitur, quia Divinorum judiciorum abyssus humanæ mentis oculo nullatenùs penetratur.*

Videntur nobis quædam sancta, sed cum ante oculos venerint, sunt sepulchra dealbata: ut imagines sanctæ, sed intùs cariosæ aut telâ aranearum oppletæ. Videntur pleni operibus bonis, sed jam mercedem suam receperunt. Videntur ut poma circa mare mortuum, sed ubi Judex aperuerit, prodibit ingens fœtor. Oseæ 10. *Vitis frondosa Israël.* Chald. legit. *Vitis vastata sive spoliata.* Pauci reperientur ut animalia Ezech. 10. *Similitudo eorum quasi carbonis ignis ardentis, & quasi aspectus lampadarum.* Qui sibi ardeant ut carbo, aliis luceant ut lampas.

Qui

qui sint sicut mulier Prov. 30. *Quæsivit linum & lanam, & operata est consilio manuum suarum*, ex lino fit indusium quod abscondicur, ex lana vestis quæ patet. Quot sunt lagunculæ Josuæ Judic. 7. quæ ignem non aquam contineant? Quot sunt tabernacula Cedar, quæ extra deformia, intùs ornata? scrutabitur abscondita Dominus, scrutabitur profunda cordium. Quidam nobis displicent, placebunt DEO Greg. l. c. *Scimus quòd latro de patibulo transivit ad regnum, Judas de Apostolatûs gloria lapsus est in tartarum. Video, Paulus sic inter judicia occulta formidat, ut reprobari se, etiam postquam vocatus est timeat* 1. *Cor.* 9. *Castigo corpus meũ &c. Philip.* 3. *Ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ quidem retrò sunt, oblitus, ad ea quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum sequor, ad palmam supernæ vocationis in Christo JEsu; sequor autem si comprehendam, in quo & comprehensus sum. Et certè jam de illo voce Dominica dictum fuerat, vas electionis mihi est. Væ miseris nobis qui de electione nostra nullam adhuc vocem Dei cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus?* Nescimus an odio an amore digni sumus. Quid quando nostram ingratitudinem discutiet? plus pro nobis fecit quàm pro Angelis. Quid, quando datos à se instinctus & impulsus ad bonum? Quid, quando comparabit opera nostra quæ fecimus pro illo, cum operibus Ethnicorum quæ fecerunt pro idolis? Quid, quando beneficia sua in nos collata enumerabit?

Occurramus ei in confessione. Bis non judicat in idipsum, nos judicemus. Cogitemus quod Jerem. 2. dicit animæ nostræ. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas, & ab Ægypto confunderis sicut confusa es ab Assur.* Ab Ægypto à filiis hujus sæculi, qui negotia hujus mundi tractant diligentiùs quàm tu æterna. Quomodo milites laborent pro inani gloria, Opifices pro nummo. Assur sive Assyrii ita laborârunt in bello ut decalvatum fuerit omne caput à gestatione galeæ, & omnis humerus

depilatus à gestatione armorum. Et tu quid fecisti pro cœlo? Judicemus nos, crebrò intra nos dicendo, Quid erit de me? Secundò judicemus nos confessionem sacram debito modò faciendo. Tertiò exequamur in nos judicium puniendo carnem nostram. Monet Tertull. lib. de pœnit. *Pænitentiam ita peccator invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem.* Addo ex Greg. lib. 9. epist. 25. *Magna est contra peccatum virtus pænitentiæ, sed si quis in eadem pænitentia perseveret. Nam scriptum est Matth. 10. Si quis perseveraverit usq; in finem hic salvus erit.*

CONCIO VI.

Pro Feria Quinta Dominicæ 1. Adventûs.

Levate capita vestra. Luc. 21.

QUis daret mihi vocem Apostoli ut clamarem, *Hora jam nos est de somno surgere?* Rom 13. Dormit quis & domus accenditur, & cum toto perit. Dormit in navi & navis mergitur. Instat supra nos ignis qui præcedet faciem Judicis Domini: instat diluvium aquarum multarum in quo nec Sanctus appropinquabit. Dies horribilis instat Judicii, Dies iræ, dies amara, dies retributionis, surgamus *Levate capita vestra.* Erunt signa in Sole.

Quod ex domo nostra ante hanc diem extulerimus, hoc per æternitatem habebimus. Sed alter efferet sola cadavera, atque si opes essent versæ in cadaver quod nulli est usui. Opera bona in mortali peccato facta, hæc enim sunt mortua, & tantùm apud Judicem proderunt atque cadaver si pro Patrono assumatur. Alter mortificata, quæ fuerunt aliquando viva, & opitulari poterant, sed modò jacent velut lethargo correpta. Alter tandem viva, & hic solus felix, Sed tamen David orat.

Ab ocû

Ab occultis meis munda me. Sed tamen Eccl. *De Propitiato peccato noli esse absq; metu.* Idcircò scire non possumus, an opera aliqua viva habeamus. Idcircò etiam Sanctissimi timebant diem judicii. Itaque sumus in eo statu, in quo cùm domus ardet cùm diluvium obruit, is est qui nescit an sit evasurus. Et quomodo non pavebit. Dicit August. lib. 1 ad Bonif. c. 6. quòd gratia, Dei, quæ hominem facit DEO gratum, sanctum, sit melior cœlo & Angelis. Hanc scit se ut Esau pro esca pro luxuria &c. perdidisse. Si cœlum & Angelos perdidisses, destruxisses & diceretur, redde à te perditos, alioqui vivus exureris. Majus hoc est debitum quàm decem millium talentorum. Deprecatio in judicio locum non habet. *Pro hac orabit omnis sanct9 in tempore opportuno, veruntamen in diluvio aquarum multarum non approximabunt ad te.* Jerem. 7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciunt in civitatibus Juda, & in plateis Jerusalem?* Quid ad hoc ô peccator? *Comede volumen istud.* Hunc librum rationum 3. Reg. 19. Elias ruinam montis non poterat spectare. Job amici videndo calamitatem Jobi per dies septem obstupefacti hæserunt. Tu plus fecisti, cùm gratiam perdidisti, Spiritum S. ex tuo corde cum suis donis exturbâsti, lacerâsti chyrographum quod tibi datum ut esses filius DEI adoptivus, Sacramentorum fructum concul:âsti. Cùm capta est arca Domini extinctus est dolore Heli. Cùm Constantinopolis subitò mortuus Nicolaus V. Cùm Jerosolyma, Urbanus, cùm Italia Benedictus I. Plus & indicibiliter plus mali factum est, cùm gratiam DEI protrivisti. S. Th. 1, 2. q. 113. a. 5. præponit gratiam creationi. *Creatio ex modo agendi maximum est opus DEI. At hâc justificatio impii*, quæ fit in eo per gratiæ infusionem, *major, ut quæ terminatur ad bonum æternum Divinæ participationis, non autem naturæ mutabilis.* Quia per gratiam,

 ut do-

ut docet S. Petrus, Divinæ naturæ consortes efficimur. ut Dionys. Areopag. Divina vita inspiratur. Ut S. Maximus, Divinitas datur. At cùm homo hanc gratiam perdit, quæ est quasi vestis quædam intra & extra ornans animam, & non sola est DEI benevolentia externa, simile quid facit, atque si quis destrueret quod Rex potentissimus suis totis opibus ædificavit, & hoc faceret ut inimico ejus placeret. Imò plùs facit quàm si solem & stellas destrueret. Tum Judex, *Hæc fecisti & tacui.* Compensa modo, & quia non potes in ore, lue in corpore. O quantum supplicium ferendum est ut tanto respondeat damno! Thr. 2. *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion, projecit de cœlo inclytam Israël, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui! præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob.*

Sed non hoc solum malum fecisti, ait Dominus, *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquarum, & foderunt sibi cisternas dissipatas quæ aquam continere non valent.* Sprevisti gratiam meam, characterem meum, & recepisti characterem inimici mei. Ut illi quos signabit Antichristus veræ fidei desertores nempe maculam & turpitudinem quam inducit peccatum: & ex qua cognoscit dæmon peccatorem ut suum. Greg. in Ezech. lib. 5. hom. 9. *Sicut duobus modis à DEO receditur, ita duobus modis homines apostatæ fiunt. Nam unusquisq; à Conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergò qui à fide recedit apostata est, ita qui ad perversum opus quod deseruerat, redit; ab omnipotente DEO apostata sine dubietate ulla deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur.* Agnoscit hanc ipsam apostasiam in peccato Cypr. lib. de Bono pudicitiæ. *Meritò fidelium aures abominantur apostatæ vocabulum, verùm hoc non ibi tantùm execrandum est, cùm incenso thusculo, aut scripto libello renuntiatur professioni nominis Christi, sed ubicunq; contemptis Christi legibus obtemperatur*

Satha-

Sathanæ. Nec enim refert quid sonet lingua, quæ si sonet Christum, cùm animus deditus sit criminibus, non est professio sed hypocrisis. Tam fœtens est hæc macula, ut S. Catharina Senen. non potuerit fœtorem sustinere hominis in peccato mortali. Tanta turpitudo, ut dæmonem nullus pictor æquè turpem posset depingere. Si eam homines oculis carneis conspicerent, subitò morerentur, Angeli oculos averterent. Si sordes totius mundi in unum conferrentur, respectu hujus maculæ odor essent, omnes turpitudines essent pulchritudo. Si in cœlo poneretur, & eam Sancti amoliri non possent ipsi de cœlo fugerent. Prodi ergò sic maculata anima, & in oculis totius mundi porta confusionem tuam. Omnes te abominabuntur, execrabuntur, &c. Videbat hanc turpitudinem, hunc horrorem, S. Anselmus, qui dicebat malle se in infernum præcipitari quàm in horrorem peccati. Prodi anima, ut te spectent Angeli. *Et moverunt caput supra te. Haccine civitas perfecti decoris? Obstupescite cæli & portæ ejus desolamini.* Iste tam sordens, tam turpis bellum movebat contra DEum Job. 15. *Tetendit adversùs DEum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est, cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingvi cervice armatus est. Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet.* Quid ad hæc Sancti, quid Angeli? *Pereat de terra memoria ejus, & cum justis non scribatur.*

Sed dicet fortè hic miser, in quo Domine contra te insurrexi? Respondebitur. Insurrexisti in superbia, per vanitates, pompas, vanam gloriam, præsumptionem. In avaritia, per usuras, rapinas, retentiones, calumnias, fraudes. In luxuria, per fornicationem, adulterium &c. In invidia, per odium rancorem, malam voluntatem, diffamationem. In gula per comessationes, ebrietates, jejuniorum fractiones &c. In ira, per vindictam, vulnera, damna. In acedia &c. Vade maledicta in i-

gnem æternum. Psal. 108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

CONCIO VII.

Pro Feria Sexta Dominicæ 1. Adventûs.

Erunt Signa in Sole & Luna Luc. 21.

QUando DEus perditurus erat Pharaonem cum Ægyptiis dedit signa per Moysen: idem faciet quando Antichristum perdet. Populus Dei transivit illic per mare, & hic transibit. Et hic boni opprimuntur, & hic sunt Ægyptii. Consideremus hæc signa.

Quæ in hoc casu Ægyptiis & Judæis contigerunt, ait 1. Cor. 10. *Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines sæculorum devenerunt.* Prima plaga seu signum fuit Exod. 7. *Moyses elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in sanguinem.* Idem erit dum Antichristus persequetur Fideles. *Erit tribulatio magna.* 2. *Extendit Aaron manum super aquas Ægypti & ascenderunt ranæ super terram Ægypti.* Quia Antichristus non solùm in corpore per gladium, sed etiam in anima per falsas doctrinas occidet. Ranæ prodeunt ex aqua, hæresim docent qui fuerunt baptisati, *ex nobis prodierunt.* 3. *Extendit Aaron manu virgam tenens, percussitq; pulverem terræ, & facti sunt cyniphes in hominibus & jumentis.* Adjunget sibi Antichristus velut de terra ortos Paganos, & homines terrenis deditos, qui ejus exercitum innumerabilem constituent. 4. Exod. 8. *Venit musca gravissima in domum Pharaonis, & in domum servorum ejus, & in omnem terram Ægypti.* Surget gens contra gentem, Frater tradet Fratrem, domestici erunt tanquam muscæ gravissimæ, inevitabiles 5. Mortua sunt animalia. Hæc notant viros evangelisantes,

bos, leo, &c. deerunt propter oppressionem Antichristi qui recta doceant. 6. Ulcera turgentia, peccata omnia à tumore sive superbia incipiunt. *Abundabit iniquitas.* Avaritia, Luxuria, nubent & nubentur sicut in diebus Noë. Ira &c. 7. Grando cum tonitruis, virtutes cœlorum movebuntur. Exerent vehementer astra vires, & varia meteora consurgent. 8. Locustæ Exod. 10. Fames. 9. Tenebræ, obscurabit Antichristus falsis suis miraculis veram fidem, adeò ut multi in errorem pertrahantur. 10. Percussa sunt Ægypti primogenita, postquam occidetur Antichristus cum suis principalibus, ibimus ad mare. Ecce jam statim pereunt Ægyptii infideles, qui non credunt in Filium DEI jam sunt judicati, sed nobis quid fiet? transibimus hunc passum fidei qui sumus fideles, & character baptismi nos ab infidelibus distingvet, sed adhuc eremus districti examinis superanda.

Greg. hom. 26. *Antiquus hostis humani generis fluvium absorbuit, quia à mundi origine usq; ad Redemptoris adventum vix paucis electis evadentibus; in ventrem sua malitia humanum genus traxit.* Influxerunt sicut flumen in mare. Ex Hebræorum sexcentis millibus duo tantùm terram promissionis attigerunt. De orbe toto, octo diluvium evaserunt. Ps. *Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore iram tuam dinumerare?* Sed redeamus in eremum. Bernardus de ordine vitæ. *Quamvis omnia feceris noli tamen esse securus, multa habentur pericula in ipsa quâ incedis eremo. Ibi certe igniti sunt serpentes qui percutiunt & interimunt murmuratores. Ibi lepra quæ inficit & deturpat susurrones & detractores. Ibi sævus gladius qui devorat fabricatores idoli,* &c. Ibi examen rigidum. Proponetur Clericis Hebr. 5. *Nec quisquam sibi sumit honorem sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Et prosiliet serpens ignitus in Simoniacos tanquam in Dathan & Abiron. Proponetur Dominis Isaiæ 1. *Principes tui infideles, socii furum.* & oppressores pauperum gladius devorabit, tanquam

quam idololatras, Nam avaritia idolorum est servitus. Proponetur mercatoribus Matth. 6. *Nolite jurare.* S. Th. in quodlib. perjurium gravius docet esse homicidio. Proponetur militibus. *Neminem concusseritis, contenti estote stipendio vestro.* Proponetur viduis. Vidua *quæ est in deliciis mortua est.* Artificibus, Agricolis, &c. Job 4. describit Judicem. *Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse novit & decipientem & qui decipitur, adducit Consiliarios in stultum finem, & Judices in stuporem. Baltheum Regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum. Ducit Sacerdotes inglorios, & Optimates supplantat, cõmutans labium veracium, & doctrinam senum auferens, effundit despectionem super Principes, eos qui oppressi fuerant relevans. Qui revelat profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.* Quis potens hunc Judicem terrebit. Quis astutus decipiet? Tum qui sibi persvadebant operibus se bonis abundare, videbunt in se completum. Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Imò ut Hieron. legit. *Et non invenerunt manus suas.* Cogitabat aliquis se habere misericordiam erga pauperes &c. Jacob 2. *Quid proderit Fratres* &c. Charitas solùm fuit in verbis. Cogitabat se peccata expiâsse, ecce tot illi adducentur aliena. &c. Greg. lib. 1. in Ezech. hom 19. *Sæpè evenit, ut cùm se viderint magno cœlestis gratiæ munere compunctos, jam se perfectos existiment, & obedientes putent, sed quia nullus est qui dura præcipiat; patientes se esse credunt, sed quia nemo eos per contumelias & adversitates pulsat.*

Tum præ oculis sistentur artificia maledicta in confessionibus quibus se decipiebant, tum palliationes usurarum, simoniarum; tum rationes quæsitæ pro non restituendo, tum odia dissimulata. Tum hypocrisi larva detrahetur: tum inanitas rationum status comparebit, tum dispensationes coloratis rationibus petitæ, tum gulæ prætexta sanitas, libidini humanitas, furori

furori zelus, vindictæ justitia, avaritiæ parsimonia, ebrietati hospitalitas, acediæ fuga vanæ gloriæ, superbiæ generositas &c. Videte, an non *totus mundus in maligno*? an non potiùs albæ segetes ad ignem quàm ad messem? Recedant oves de medio hœdorum. Veniat supra hœdos serpens exterminator, veniat gladius. *Venite benedicti*. Veni lilium quod in mundo fuisti inter spinas, & unicum inter multas. Veni serve mi Job 30. Qui fuisti *frater draconum, & socius struthionum*, unus bonus inter plurimos perversos. Veni Ezechiel cap. 2. *Separa te ab incredulis & subversoribus qui sunt tecum, & à scorpionibus cum quibus habitâsti.* Veni Loth 2. Petr. 2. *de injusta conversatione.* Venite Pauli discipuli Phil. 2. *de medio nationis pravæ & perversæ.* *Veni Episcope Pergami Ecclesiæ Apoc.* 2. *Qui habitâsti ubi erat sedes Sathanæ.* At vos scorpiones, vos struthiones, vos natio prava, vos sedes Sathanæ discedite. Ezech. 7. *Nunc finis super te, & immittam furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & ponam contra te omnes abominationes tuas, & non parcet oculus meus super te. Et non miserebor. &c. Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te &c. Et scietis quia ego sum Dominus percutiens.*

CONCIO VIII.

Pro Sabbato Dominicæ I. Adventûs.

Erunt signa in Sole & Luna. Luc. 21.

SIcut Judex ad audiendam sententiam litigantes citat, ita Christus citationem affigit in Sole & Luna, ut ab omnibus videri possit. Joël 2. *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Certè horribilis pro quo omnia teguntur nigro, & sangvine. Purgatur locus tribunalis terra, in qua commissa sunt de qui-

bus erit judicium. Sed igne, qui sicut diluvium Noë exundat. *Ignis ante ipsum praecedet.* Jam vellent confiteri qui nolebant, jam restituere &c. Jam venit Judex in sua majestate, audiamus quod feret de nobis decretum, & solùm in exemplum sunto judicia nostra de DEO.

Job 36. *Causa tua tanquam impii judicata est.* Judicabant blasphemi DEum ut impium, perjuri ut testem falsitatis &c. Luc. 21. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate.* Videbunt omnes Isai. 26. *Videant & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos devoret.* Ostendetur etiam ex alia parte diabolus pro quo judicabant, illi scilicet serviendum. Greg. 33. Moral. 19. *Qui districtionem justitiae Divinae non metuunt incassum sibi de misericordia blandiuntur. O quale erit spectaculum, quando haec immanissima bestia* (diabolus) *Electorum oculis ostendetur, quae belli tempore nimis eos terrere potuerat si videretur, cunctis videntibus praecipitabitur.* Illum ut sequeremini, dignum duxistis. Illius vanitates, vindictas, pseudopolitica principia pro regula habuistis. Existimâstis quòd DEus vobis non irasceretur, quia differebat ultionem. Hieron. ad Castratium. *Magna ira est quando peccantibus non irascitur DEus. Unde in Ezech. 16. dicit ad Jerusalem. Jam inquit non irascar tibi, zelus meus recessit à te.* Et Oseae 4. *Nequaquam irascar vobis, nec visitabo nurus eorum cùm adulteraverint.* Judicant qui sunt in dignitatibus, quòd fructus earum soli suae voluptati servire debeant. Salvian. de gubern. lib. 4. *Quid aliud dignitas sublimium quàm proscriptio civitatum? aut quid aliud quorundam, quos taceo, praefectura quàm praeda? nulla siquidem pauperculorum major depopulatio, quàm potestas?* id est Magistratus, *ad haec enim honor à paucis emitur ut cunctorum vastatione solvatur.* Qui praeest praeesse debet, tanquam qui à subditis ad hoc stipendium accipiat. Greg. lib. 5. in Reg. cap. 5.

c. 5. *Rector & honoratur à subditis, & portat eos à quibus honoratur.* Sed lamentatur Cypr. 2, epist. 2. *Possident ad hoc tantùm ne possidere alteri liceat. & ô nominum quanta diversitas! bona appellant, ex quibus illis nullus nisi ad res malas usus.* Audite de vobis judicium DEI. *Esurivi & non dedistis mihi* &c. Judicâstis quòd DEus vobis solis benefacere voluerit, & pauperes deseruerit, & causam ejus judicâstis ut impii, at verò ille dedit vobis, ut vos pauperibus distribueretis.

Alii neglectis bonis operibus totam spem collocant in misericordia DEI & sic illum misericordem sed non simul justum judicant. Sed ut Greg. lib. 2. in Reg. *Hoc ipsum quòd districtionem Divinæ justitiæ non timemus, nobis valdè timendum est.* Nam DEus noster ita justus est, ut non solùm peccata per commissionem facta, sed etiam omissiones damnet. Basil. orat. quòd mandata præterimus. *D. N. JESUS Christus nos docet, ut non tantùm mala quæ damnat, vitare: sed quæ præcipuè bona sunt, omninò facere debeamus. Ait enim. Nisi justitia vestra abundaverit &c. Item. Omnis qui audierit meos sermones, & non fecerit eos, similis erit homini stulto qui ædificavit domum suam supra arenam &c. Et rursus. Arborem quidam plantavit in vinea sua, & venit quærens fructum ejus, & non invenit, & ait vinitori. Jam tres anni sunt, quibus venio quærens in ea fructum & non invenio: excide illam ne terram occupet. Alibi verò clariùs hoc ostendere judicium videtur, cùm dicit: Discedite à me maledicti &c. Esurivi enim.* Ubi meras omissiones adducit, & de illis fert sententiam. Scelus est non solùm malè facere, sed etiam non facere benè. Unde idem Basil. serm. 2. Divitem avarum sic alloquitur. *Tuorum scelerum te acervus comitabitur, sicut enim umbra corpus, sic peccatum animam sequitur gestorum imaginem manifestam referens.*

Alii dum non intelligunt quare DEus aliquid agat, damnant eum quasi malè ageret. Sic si Filius in juventute moriatur,

riatur, si pluvia vel calor non eo quo vellet tempore veniat, si grando decidat &c. Greg 27. Mor. 2. *Tantò debemus sub ejus judiciis silendo quiescere, quando & rationem judiciorum illius nos cernimus non videre.* Si nescimus cur agat, cùm judicamus veluti malè ageret? Greg 29. Mor. 18. *Quis intelligat quæ esse secretorum subtilitas potest, quòd sæpè vir justus à judicio non solùm non vindicatus sed etiam punitus redeat, & iniquus ejus adversarius non solùm non punitus, sed etiam victor abscedat? quis intelligit cur vivit alius insidians mortibus proximorum, & moritur alius qui profuturus esset vitæ multorum? &c. Alius benè quidem vivit, sed in hac vita eò usq; durat, quoad in perversa proruat. &c. Quis ergò ista cælestium judiciorum secreta discutiat. Dicatur ergò homini, ut se nescire cognoscat, nescientem verò se cognoscat & timeat, timeat ut humilietur, humilietur ne præsumat in se.*

Sunt & alia plurima in quibus contra DEum ferimus sententiam. Fuerunt avari qui dum morerentur, dicerent sibi DEum invidere. Fuerunt infideles qui fallacem judicarent DEum. Fuerunt afflicti, qui dicerent se apud DEum in oblivione. Reddet DEus in conspectu totius mundi rationem, quòd nihil nisi sanctè & justè egerit, & quare vos omnium scire causas non expedierit. Reddite vos vicissim rationem cur DEI causam tanquam impii judicâstis? Tunc *omnis iniquitas oppilabit os suum.* Dic cur in DEum peccâsti? *At ille obmutuit.* Quæ sententia sequetur? Abac. 2. *Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorum est respondet.* Omnis creatura adversùm peccatorem consurget Jerem. 25. *Et erunt interfecti Domini in die illa à summo terræ usq; ad summum ejus, non plangentur, & non colligentur, neq; sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ jacebunt. Ululate Pastores & clamate, & aspergite vos cinere Optimates gregis, quia completi sunt dies vestri ut interficiamini, & dissipationes vestræ, & cadetis quasi vasa pretiosa. Et peribit fuga à pastoribus, & salvatio ab Optimatibus gregis.*

CONCIO IX.

Pro Dominica 2. Adventûs Prima Concio.

Joannes in vinculis. Matth. 11.

QUis mihi daret penicillum Methodii monachi, qui captus ab Ethnico Rege Bulgarorum, venationi dedito, jussusque pingere aliquam cruentam venationem, pinxit DEI judicium, quo Rex territus Baptismum suscepit, & Michaël dictus. Jam in curia mundi datum est signum judicii. Jam Zach. 2. libro profertur, sedit judicium. Jam solâ cogitatione hujus judicii Bern. serm. 26. in Cant. plorat. *Heu me mater mea, cur me genuisti filium doloris, cur exceptus genibus?* Jam Arsenius, *Timeo valdè.* Jam Ephrem. *Quomodo hædus cum ovibus consistam?* Jam Dominicus & Franciscus in terra se projici petunt, Aloysius à capite ad calcem flagellari. *Justus in illo vix salvabitur, peccator & impius ubi parebunt?* Suntne isti joci, fabulæ? Spectemus quid ulteriùs agetur.

Judicium veluti in Areopago extinctis luminibus. Sol obscuratur, &c. Terra veluti res peste infecta jam exusta est. Jam ad suum locum omnia reponuntur. Joannes qui fuit in vinculis calcat Neronis collum, Paulus Herodis, &c. Jam non queretur Eccles. 3. *Vidi loco judicii impietatem.* Venit Judex, consider, &c. illené à Judæis conculcatus, Barabbæ postpositus? &c. ille, ille jam se vindicabit de alapa sibi impacta, de calumniis. Venite superbi, avari, &c. spectate. *Videbunt in quem confixerunt. Tunc plangent omnes tribus terræ.* Spectate. *Ignis à facie ejus exarsit.* Dan. 4. *Sedit judicium, & libri aperti sunt.* An reddes rationem quia non fuisti dives Senator, &c. Sed quid? *Redde rationem villicationis tuæ* Nazianz. *Brevissimi cujusque momenti rationem à nobis reposcet.* Ambr. in Psal. 5. *Aperientur libri*

non scripti atramento, sed scelerum inquinamento. Opponentur hic beneficia DEI. Quantus pudor? si alicujus confessio legeretur publicè, si virgo lapsa produceretur cum suo complice. Loquetur Judex, sed tanquam Nabuchodonosor cum Sedecia quem fecerat loco Patris ejus Joachin Regem 4. Reg. 24. Et ipse rebellavit. *Locutus est cum eo judicium.* Egisti mecum ut Saul, optima tibi retinendo. Egisti volendo me decipere sicut Ananias, *non es mentitus hominibus, sed DEO.* Egisti sicut Simon magus, *pecunia tua sit tecum in perditionem.* Corrupta judicia, usuræ, fraudes, &c. S. Valerianus. *Ventura sunt tecum hæc omnia, non, ut putas, ad ornamentum sed ad testimonium.* Lapis contra te clamabit ex pariete, clamabunt aliæ creaturæ, malè nobis es usus, jam es in hamo. August. *Veniet tempus quando videbunt quanta tormenta cum aviditate devoraverint.* Ob ista cecidisti ut avis in rete Ps. 9. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Deteguntur omnium peccata, examen fit rigidum. Hieron. ad Fabiolam. *Quantorum sperata pudicitia in die judicii dehonestabitur?* &c. Isaiæ 34. *Tabescet omnis militia cælorum,* Respondete miseri. At illi. *Montibus, cadite super nos.* Utique nondum ad pœnas rapimini? *Quis mihi det, ut in inferno protegas me?* Utique nondum legitur decretum? Isaiæ 58. *Sensus cordis mei turbati sunt in me.* Job. *Nunquid respondebo ei unum pro mille?* Visâ, solùm Judicis manu scribente in pariete Balthasar, *Facies Regis immutata est,* & tamen convivium non judicium erat. *Et cogitationes ejus conturbabant eum.* Quid de me fiet? *compages renum ejus solvebantur, & genua ejus adinvicem collidebantur.* Rupert. in Dan. 9. *Audite hæc ebrii, audite temulenti,* &c. *Dabitur regnum vestrum non Babyloniis sed dæmonibus.* Ponentur jam vestri anni in statera Prov. 16. *Pondus & statera judicium Domini sunt.* Et statera Prov. 21. *Omnis via viri sibi videtur recta, appendit autem Dominus corda virorum.*

Confi-

Consideravit hæc Ambr. in Apolog. David. *Væ mihi quia latere cupio; & latere non possum, quomodo enim latebo qui inscripta in pectore meo gero meorum judicia peccatorum?* Multa DEI oculus videt quæ nos peccatis obtenebrati non advertimus. Timebat hoc David Ps. 18. *Ab occultis meis munda me.* Pavebat 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, non in hoc justificatus sum. Dominus est qui judicat.* Job. 25. *In verbis ejus non sunt munda stellæ.* Assistunt judicandi ex monumentis extracti, sicut dum urbs capitur, producuntur è latebris. Salutat anima corpus, maledictum esto, propter te perii. Ibimus in regionem ignotam, dividemur sicut victor dividit captivos. Nunc adverto quantâ vivens usus sum DEI misericordiâ, & colligo quanta me maneat justitia. S. Cypr. jam in carcere, jam perpessurus martyrium. *Væ peccatis meis cùm dicturus sum monti ut cadat super me.* Stant Reges ubi vestra regna? 4. Reg. 9. *Haccine illa Jezabel?* Zach. 12. *Plangent luctu magno sicut doleri solet in morte primogeniti.* Vellemus ad cœlum Job 5. *Conterentur in porta & non erit qui eripiat.* Respiciunt Angelos, hi non omnibus solatio. Aspiciunt dæmones, hic horror. S. Thomas Apost. cùm prædicaret Indis, neque illi vellent credere, jussit dæmones comparere, ut viderent Indi quos Deos colerent, mortui fuissent præ terrore nisi Sanctus signo S. Crucis illis subvenisset. Cùm his Peccatori vivendum. Satis graviter castigavit DEus Ægyptum, & tamen Exod. 8. solùm digitus DEI fuerat ibi. Hìc tota manus. Heb. 10. *Horrendum est incidere in manus DEI viventis.* Insuper manus sunt armatæ. Ps. 8. *Arcum suum tetendit & paravit eum, & in eo paravit vasa mortis.* Paratus & gladius Ezech. 21. *Ecce ego ad te, & ejiciam gladium meum de vagina sua.* Occurrit jam aliis. *Recepisti bona in vita tua.* Stant trepidi sicut qui supra antrum leonum ex filo appensus esset; hoc verò filum unus vellet rescindere, alter conservare. Sap. 16. *Etenim cùm illis supervenerit sæ-*

rit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabuntur. Præparata est ab heri Tophet, ita appellat infernum. Tophet erat locus in quo Ammonitæ filios suos ponebant intra candefactum idolum, præparata, & metuunt ne injiciantur 4. Esdræ 7. *Futurum sæculum fecit Altissimus propter paucos, multi quidem creati sunt, pauci autem salvantur.* Docet Inchino fol. 623. tanto tactu corpora fore post resurrectionem prædita, ut plùs unius capilli tactus damnatos sit afflicturus, quàm si in hoc mundo vivi cremarentur. Juxta illud Job 20. *Omnis dolor irruit super eum.* Advertent hoc in se, & tanto magis timebunt pœnas, sicut in podagra si vel plumula sit casura. Tum vanitatem mundi agnoscent, suum debitum. Hieron. epist. ad Florent. *Ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperior cum tremore reddere novissimum quadrantem.* Cyrill. apud Raderum part. 1. Viridarii. *Væ sontibus cùm eorum & actiones nudabuntur, & mentis consilia patescent. Væ sontibus cùm mentis agitationes arguentur, & pravarum cogitationum conspirationes trutinabuntur, & mens expendetur.* Bern. serm. 15. ad Cleric. *Temporalia quæq; tanquam semina æternitatis jaciuntur, stupebit insipiens cùm ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem.*

Nos interea dum vivimus tempus incertum habemus tale, quale cuidam reo capitis conceditur ut interea laboret pro vita obtinenda. Ille verò in ludo id consumit. Gal. 6. *Dum tempus habemus operemur bonum.* Amiserunt damnati hanc gemmam neq; in æternum invenient. O Domine Job 10. *Dimitte me paululum ut plangam dolorem meum antequam vadam & non revertar.*

CON-

CONCIO X.

Pro Dominica 2. Adventûs, Altera Concio.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 11.

PRoposuit DEus Jobo quæstionem cap. 38. *Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?* Judicium extremum hìc describitur in quo, velut pannus pulverulentus per extremitates arreptus excutitur. ita per quatuor angulos, ortum, occasum, &c. terra excutietur, & hujus judicii considerationem tanquam optimum medium nos ad Domini adventum cum præparatione recipiendum excitans proponit Dominicis præteritis Ecclesia. Hoc ipso utar ad vos excitandos.

Ad hunc ipsum finem & Christus Dominus depinxit suum judicium Matth. 25. Ut in adventu ejus parati inveniamur. Chrysost. hom. 1. de Pœnitent. ita Christum alloquitur. *Cujus rei gratia mala quæ facturus es prædicas? ut non faciam.* Ita & Judic. 13. *Si Dominus nos vellet occidere non ostendisset nobis hæc omnia, neq; ea quæ ventura sunt dixisset.* Agit nobiscum DEUS ita sicut qui mitteret ad latronem, constitui te hâc & hâc die capere, caveas. Judicabit nos ergo. Sed quis? Filius hominis. Filius hominis à Juda traditus. Quis? Zeno serm. 3. de Nativit. *DEI Filius ideò dignatus est carnem assumere, ut nemo possit se per carnem cùm judicii dies venerit excusare.* Ideò non admittet excusationes. Apoc. 1. *Videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt.* Igitur judicabimur ab eo quem læsimus, qui etiam innocentibus ita est terribilis, ut B. Virginem etsi ad eam veniret ut ejus Filius fieret perturbaverit. Chrysol. serm. 140. Cur turbata in sermone Angeli? *Sensit in se supernum suscipi Judicem.* Angeli non eum pupugerunt, tamen Isai. 34. *Tabescet omnis militia*

 cælorum.

cœlorum. Et terra, Jerem. 4. *Vidi montes & ecce erant trementes, & universi colles turbati à facie Domini, & à facie iræ ejus.* Veniet ad judiciũ, sed ita ut cùm Judex jubet per lictores adduci sibi furẽ, & illi cunctantur, in ipsos lictores involat, eos vulnerat. *Erunt signa in Sole & Luna,* stellas dejicit. Pſ. 77. *Veniet tanquam potens excitatus crapulatus à vino.* Proinde insurgent contra nos creaturæ, ut contra Sennacherib Isaiæ 37. *Filii percusserunt eum gladio.* Ipsi ejus Sancti Assessores Pſ. 140. *Absorpti sunt juncti petræ Judices eorum.* Bern. serm. 7. in Pſ. Qui habitat. *Absorpti planè in affectum justitiæ & petræ soliditatem.* Ut petra implacabiles: *E-
„ phrem* de vita Religiosa. Illic misericordissimus ille Abraham
„ immitis & immisericors reperietur, & qui pro Sodomis ut sal-
„ varentur fuit deprecatus ille vel pro uno peccatore non sup-
„ plicabit. Ita planè fiet, ut cùm Num. 16. Dathan Abiron à ter-
„ ra absorberentur, teste *Josepho* lib. 4. Nemo ne propinquo-
„ rum ac cognatorum quidem miseratus est eos, sed lætis accla-
„ mationibus DEI sententiam comprobabant. Imò Pſ. 149. *Et gladii ancipites in manibus eorum.* &c.

Quid alii Sancti? Invocabimus SS. Patronos, at illi ut prudentes Virgines. *Ite potiùs ad vendentes & emite vobis.* Illusio
„ illa est, Cæsar *Arelaten.* in hunc locum. Tantus terror &
„ tanta exinanitio erit in die judicii, ut etiam illi qui oleum mi-
„ sericordiæ intelligunt se abundantiùs præparâsse, metuant ne
„ illis possit ad omnia peccata redimenda sufficere. Ille Job quem DEUS laudat. *Vir erat rectus,* &c. qui plenus bonis operibus. *Oculus fui cæco* &c. qui in exemplum proponitur, & tamen cap. 8. *Si manè quæsieris non subsistam.* De quo Gregor. 18. Moral. 21. *Quantâlibet enim justitiâ polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in judicio districtè requirantur.* Quid nos agemus quando videbimus extingui lampades? Assyrii, Judith 14. *Gloriabantur in fortitudine Holofernis. Ecce*

Holofernes jacet & caput ejus non est in eo. Defecit omne consilium, &c. Virtus patuit quòd fuerit hypocrisis. Exprobrat Sol. Apoc. 6. *Induitur cilicio.* Vos noluistis agere pœnitentiam, modò me spectate. Terra, Isaiæ 23. *Ululate naves maris, ululate qui habitatis in insula.* Et 24. *Confractione confringetur terra, contritione conteretur, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra sicut ebrius.* Fient terræ motus horribiles, flumina nova & ignes erumpent, voragines aperientur, bestiæ maris prodeuntes in terram frement, aves ex aëre cadent, cœlum fulminibus miscebitur. Inter homines ejulatus, desperatio qualis fit dum noctu urbs ab hoste capitur & succenditur. Amos 2. *Et mittam ignem in Moab, & devorabit ædes Carioth, & morietur in sonitu Moab.* Nulla creatura vult ampliùs pati hominem.

Tum ut Apoc. 20. *Liber apertus est qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libro.* Quæ verò in eo scripta? Media & viæ per quas DEUS erat quemlibet deducturus ad vitam. Scripta sunt imprimis beneficia DEI, illa Christus incipiet exprobrare sicut cuidam 2. Reg. 12. *Ego unxi te in Regem Israël, ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, dediq́; tibi domum Israël & Juda &c. & tu &c.* Afferetur bilanx, & ponderabitur tua pro his gratitudo, & quomodo sis illis usus. Proverb. 16. *Pondus & statera judicia Domini sunt.* Chrysost. hom. 8. de pœnitent. *Qui cuncta videt DEUS, & scrutatur omnium vitam, quasi lance quâdam judicium peccatorum statuens.* Quidam etsi non usus talentis ad rebellionem contra DEUM, quia tamen illis non est usus ad lucrum, audivit. *Serve nequam.* Talentum est anima, & illam perdidit alius apud malos

malos socios, alius præcipitavit per superbiam, &c. Talentum corpus, & hoc perditum apud meretrices, in poculis. Talentum instinctus ad bonum, & ecce. *Conversa es vinea in amaritudinem.* Bona exteriora, & ecce factum ut apud Judæos de spoliis Ægypti quæ illis dedit DEus, at illi conflaverunt sibi vitulum. Talentum Prælatio, & ecce factum est in scandalum animabus, &c. Examinabit intentiones, attentiones. Proverb. 21. *Spirituum ponderator est Dominus,* &c. Hippolitus Martyr ita repræsentat Christum loquentem. *Ego vobis aures creavi ut audiretis, ego oculos, os, &c. Non agnosco vos, alterius Domini operarii facti estis. Possidete cum eo tenebras atq; ignem qui non extinguitur.* S. Eligius Noviomen. Episc. hoc ipsum ita exequitur. *Quæ ultrò egistis, ea nunc accipite: comtempsistis lucem, sint ergò vobis tenebræ. Amâstis mortem, abite in perditionem. Secuti estis diabolum, ite cum illo in ignem æternum.* Ita Sur. in ejus vita 1. Dec.

Venite Benedicti Ps. 35. *Torrente voluptatis* potabimini. Ite maledicti, cadet super vos Ps. 10. *Laqueus, ignis, & spiritus procellarum.* Venite benedicti ad nuptias. Ite maledicti in tenebras exteriores ubi fletus & stridor dentium. Ite, recepistis bona in vita vestra, illi similiter mala. Venite, intrate in gaudiũ Domini vestri. Discedite in ignem æternũ. Quid ad hæc miseri? Isaiæ 13. *Unusquisq; ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.* Hebr. legit. *Facies flammarum vultus eorum.* Rubor, pudor, ignis in facie, vox nulla. Quid ad hæc beati? Apoc. 5. *Sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.* Concludo verbis Sancti Fran. Xaverii lib. 5. epist. 15. *Ne pigriteris jam nunc præparare in il-*

in illud ultimum periculum decretorii momenti, quidquid præveniri modò ac expediri potest.

CONCIO XI.

Pro Dominica 2. Adventûs, Tertia Concio.

Tuné es qui venturus es? Matth. 11.

Cum lego istud Evangelium occurrunt mihi duo dubia. 1. Cur Joannes misit ad Christum? 2. Cur Christus permisit esse Joannem in vinculis? Utrique satisfacere curabo.

Cur misit Joannes? utique sciebat illum esse adhuc existens in utero, & adoraverat. *Exultavit Infans in utero.* Ostendit deinde. *Ecce Agnus DEI*, indicavit Judæis. *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Et hodie mittit. *Tuné es qui venturus es? &c.* S. Amb. respondet, quòd cùm Joañes se proximum vidisset morti requisivit: an sicut in terra egit Præcursorem Christi, eumq́; añuntiavit: idem facere & in limbo debeat, an verò ipse Christus ad limbum sit descensurus? *Joannes non fide sed pietate dubitavit, horrebat enim considerare quòd Filius DEI ad inferna descenderet.* Eadem ferè est S. Greg Sententia. Unde hom. 6. Joanni responsum format in persona Christi. *Moriendo te subsequor.* Cyrill. Alex. *Joannes non solùm totâ vitâ præcedebat Dominum, sed etiam præcessit & quasi dux fuit ad moriendum.* Sed neque Chrysost. sententia est minùs vero similis. Videbat populus admirandam Joannis vitam, expectabat adventum Messiæ: Christi vitã utpotè ignar9 in quo consistat sanctitas, & austeritaté admirans in qua non est sanctitas, sed adjumentum sanctitatis, non ita æstimabat. *Nonne hìc cum peccatoribus manducat? Discipuli tui non lotis manibus manducant* &c. Inclinabatur ad credendũ, quod

Joannes esset Messias, mundi Salvator & fortâsse id ipsum Discipuli Joannis sentiebant. Ut ergò illos ab isto errore liberaret, misit ad Christum. *Tuné es?* & Christus ostendit, à se non à Joanne fieri miracula quæ Isaias 30. prædixit facturum Messiam. *Cæci vident*, &c. Hinc duo discamus. 1. In quo sanctitas. *Estate perfecti sicut Pater vester. Ille facit oriri Solem super bonos & malos*, & vos diligite proximum & inimicis vestris benefacite. Ille est sine peccato, vos estote; ille vult omnes salvos facere & ideò misit Filium, & vos neminem scandalisate. Discipuli Joannis etsi vos præcellant jejuniis, solitudine, duro vestitu & cubatione ad normam sui Magistri, non ideò in istis omnem sanctitatem collocate. Et magnus est error promittere sibi salutem si in siccis jejunes, si aliquot Confraternitatum sis particeps &c. etiamsi alienum non restituas, complicem peccati domi retineas, cum qua labi soles, vindictam mediteris. &c. 2. Interrogemus nos sæpiùs. *Quis tu es?* Sum Christianus. Gerisné te dignè hoc nomine? Risui se exponit qui se vocat Philosophum cùm nihil de illa scientia nôrit. *Quis tu es?* Religiosus. Servasné tua vota, regulas, cæremonias, populum in cultu DEI præcedis? *Quis tu es?* Senator, Officialis. &c. Satisfacis tuo juramento, officio, &c.? Fortè in aliquem veniet in detorto sensu. *Ego vox*. Solùm nomen in me Christiani, Sacerdotis. *Vox clamantis in deserto*, quæ nihil efficit, tantùm sonat, à nemine auditur, non prodest ulli. Vox quæ facit Echo, ut videantur plures loqui, & nec ut unus facit. *In deserto*, intra parietes, ostendit se zelosum pro Ecclesia, bono communi, extra desertum silet. Proposita bona in deserto quibus ultima verba reddit Echo. Proponit, *Non occidam*, respondet Echo, *occidam*. Proponit, *Subditos non opprimam*. Et statim Echo redit, *opprimam*, &c.

Alterum meum dubium, cur DEUS permisit Joannem conjici in vincula? Joannes est præcursor, & ecce in vinculis?

De Joanne dictum quòd sit Angelus, Angelorum non est ligari. Ps. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos ignem urentem.* Sicut ignis potiùs perit quàm non urat aliquid, ita Angelus semper aliquid facit. Præterea pœnæ sunt propter peccatum saltem originale, Joannes ab hoc adhuc in ventre matris purgatur, in reliqua vita ut Angelus. *Non surrexit major inter natos mulierum. Plûs quàm Propheta.* Certum est, si DEUS adversa non immitteret, pauci salvarentur. Ecce agricola premitur tributis, & tamen inebriatur; securè alter punitur & tamen vulnerat. Eget, & tamen superbit. Ægro est corpore, & tamen lasciva intendit, &c. Mendicat & pro opulento cœlo non laborat: est incertus mortis, & liberè peccat. Fuit alia specialis causa patiendi in Joanne. Quando nam Moyses Judæis missus ut illos educeret? Non quando illis benè erat, sed quando filii eorum occidebantur, &c. Imò quando labores & lateres duplicabantur. Moyses fuit figura Christi. Deut. 18. dicit DEus Moysi. *Prophetam suscitabo eis de medio Fratrum suorum similem tui.* Tunc Christus ad redemptionem properavit, quando post alia multa scelera Joannem quem ipsi sanctissimum judicabant, occiderunt. Cùm in maxima miseria Servi DEI, tum maximè locus misericordiæ. Ps. 84. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Misericordiæ objectum est miseria. Tum dat salutare. Greg. hom. 4. *Quod salutare dicimus Latinè, hoc verbo Hebraico JESUS dicitur.* Parat ergò etiam hìc Joannes Christo viam, & præcurrit, & est in opere. Hinc unum documentum sumamus, cùm patimur, vel sumus peccatores, & sic justè punimur, vel sumus justi, & sic arcemur ne in peccata ruamus, vel certè disponit nobis dare aliquod insigne beneficium. Non in malum scindit Agricola terram, non in malum Aurifaber tundit aurum malleo. *Nisi salvandos in perpetuum cerneret, erudiendos sub disciplinæ regimine Divina dispensatio non frænaret,* ait Greg.

CON-

CONCIO XII.

Pro Feria Secunda Dominicæ 2. Advent.

Quid exîstis in desertum videre? Matth. 11.

DEscribit hìc Christus pœnitentem, & & pro exemplo ponit Joannem, qui etiam modum ostendit Christum excipiendi venientem, scilicet agendo pœnitentiam. Hunc ipsum modum explicabo. Homo cùm in peccata labitur, adeò in tenebras abit, ut de conversis dixerit Paulus. *Eratis aliquando tenebræ*, quia non agnoscit, ut noctu quàm sit deformis, in quo sit periculo, etiamsi quis illi insidietur, &c. Sed ubi Sol oritur, jam & ipse videt. Dum jacuit in peccato David pro modico habebat occidisse Uriam. At ubi lux affulsit, ubi per Nathan illustratus, ex toto corde clamavit *peccavi*. Salvian. lib. 2. de Gubernat. *In causa unius hominis & barbari, & ubi tantum virum persona penitus non gravaverat, nisi causa multâsset, interfecto Uriâ Ethæo, homine gentis impiæ, & nationis inimicæ statim fit sermo Divinus ad David, &c.* Jam non dicit, magna sanè res, Rex sum, occidi barbarum &c. Idem est de usuris, blasphemiis, &c. Si DEUS illustret, jam videbit quòd Christum crucifixerit. Bern. serm. de Discip. euntibus in Emmaus. Ita, de Judæis. *Linguis non manibus ipsum crucifixerunt. Unde dicit Psal. 64. Qui linguas suas ut gladium exacuerunt.* Videbit se in quodam lacu in quo ut pereat, occludetur à dæmone. Greg. 26. Moral. 24. *Qui se in peccatorum tenebras dejicit, semetipsum quasi in puteum vel foveam dejicit. Ps. 68. Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum, neq; urgeat super me puteus os suum. Si adhuc longa consvetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustavit. Thren. 3. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Videbit quod in hoc lacu dracones venenati, &c.

& quod

& quod pejus, ſemper in hoc lacu tanquam fundum non haben-
te, profundiùs deſcendet. Pſ. 68. *Infixus ſum in limo profundi & non
eſt ſubſtantia.* Gregor. lib. cap. *Omne peccatum fundamentum
non habet, quia non ex propria natura ſubſiſtit. Malum quippe ſine
ſubſtantia eſt.*

Jam Sol oritur Chriſtus Luc. 1. *Illuminare his qui in tene-
bris, & in umbra mortis ſedent.* Abjiciamus opera tenebrarum.
imitemur peccatores Joannem. Inprimis excitemus in nobis
fidem. *Tuné es qui venturus es?* Non dubitabat Joannes de Chri-
ſto, quòd eſſet Meſſias, ſed hoc quæſito volebat fidem erga
eum in diſcipulis excitare, ut ipſi audito Chriſto crederent.
Deponamus in fide dubitationes, jam eſt per tot miracula pro-
bata, paſſi pro ea Martyres, Doctores contra hæreticos defen-
derunt &c. præcipuè in ordine ad pœnitentiam, illum articu-
lum præ oculis habeamus. *Qui venturus eſt judicare vivos &
mortuos.* Quantas infliget pœnas pro peccatis! Hinc conclude-
mus. Melius eſt in hac vita affligere corpus quàm in æternum uri.
Si hæc oculis videremus! certior eſt fides. Salvian. lib. 3. ad E-
clesiam. *Dic mihi quisquis ille es, qui credere te judicium Dei dicis,
tu ſi vel ſupradictorum exemplo hominum judicandum te à Deo eſſe
crederes, nonne ſpem, ac ſalutem tuam quolibet pretio comparares
(&c.) Dic mihi, cur tam providè in teſtamento caves, ne te vivente
alter posſideat tua, quia alienare te facultatibus tuis non vis &c.* Apo-
ſtolus clamat. *Quæcunque homo ſeminaverit in corpore, hæc eadem
metet.* Videamus qualis in nobis charitas erga Deum & pro-
ximum. Levit. 6. *Ignis in altari meo ſemper ardebit.* Cor no-
ſtrum eſt altare in quo debet ignis ardere. Quis in eo ignis ha-
ctenùs arſerit? an Martis, an Veneris? &c. Ardebat ignis cha-
ritatis in corde Sacerdotis dum Miſſam primam diceret, arde-
bat in corde Religioſi dum Novitium ageret, Ardet etiam ali-
quando in ſæcularium corde, ſed ardetné modò? Bern. ſerm. 60.

ex parvis. *De cæteris virtutibus, quantascunq; sine charitate habuerit, non curant dæmones.* Sed audite quid Greg. hom. 30. *Nec DEus verè sine proximo, nec proximus verè diligitur sine DEO. Tunc est, quod idem spiritus priùs à Domino in terris degente, postmodum à Domino in cœlis præsidente, datus.* Accipite Spiritum S. *in terra datur ut diligatur proximus, è cœlo verò ut diligatur DEus.* 1. Joan. 4. Qui fratrem suum non diligit quem videt, quomodo diliget DEum quem non videt? nec satis est verbis diligere. DEum amat qui ejus servat mandata; proximum amat, qui erga illum exercet opera misericordiæ, tam spiritualia quàm corporalia. Ephes. 4. *Estote benigni invicem, misericordes, donantes invicem, sicut & Christus in DEO donavit vobis.*

Ubi homo timorem Judicis DEI conceperit, & adverterit se in charitate defecisse, tum ad pœnitentiam recurret. Modum pœnitendi describit Tertull. lib. de pœnit. *Sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare. Cæterùm pastum & potum puta nosse, non ventris scilicet, sed animæ causâ. Plerumq; verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum.* Ezech. 2. Accepit librum in quo erat carmen & væ. De quo Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 6. *Accepit librum in cujus capite scripta erant lamentatio & væ, duo tristia, unum delectabile, quoniam ille salvus erit in futurum qui in hoc sæculo plùs fleverit.* Durum est agere pœnitentiam, sed cogitemus quantum mali fecerimus per peccatum, & quantarum pœnarum rei sumus. Quantum etiam gaudium promittatur pœnitentibus. Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, ita exhibete, nunc servire justitiæ, in sanctificationem.* Dulce fuit servire peccatis ad ignem, sit dulcius servire pœnitentiæ ad gloriam. Deniq; continuo in mente versetur, quòd scripsit Greg. 9. epist. 39. *Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed si quis*

in ea-

*in eadem pœnitentia perseveret. Nam scriptum est Matth.*10. *Qui perseveraverit usq; in finem, hic salvus erit.*

CONCIO XIII.
Pro Feria Tertia post Dominicam 2. Adventûs.

Tuné es qui venturus es? Matth. 11.

SI DEUS supra aliquam civitatem appenderet nubem igneam tantam, ut si decideret, totam involveret: vallaret etiam in circum aquarum montibus sicut in mari rubro, juberet verò proclamari. Nisi pœnitentiam egeritis, peribitis. Fortasse agerent pœnitentiam ut in Ninive. Simili modo DEus ante suum judicium procedet cum mundo, simili ante mortem cujusque. Ista duo exponam, ut ad pœnitentiam permoveamur.

Ita nos amat DEUs, ut antequam puniat, præmoneat. Sic antequam regna pereant, solent prodigia in cœlo & terra apparere. Antequam Jerosolyma vastaretur 2. Machab. 5. *Contigit autem per universam Jerosolymorum civitatem, videri per dies* 40. *equites per aëra discurrentes, auratas stolas habentes, & hastas quasi cohortes armatas* &c. Simile quid fiet ante ultimam ruinam mundi, *erunt signa in Sole* &c. Exod. 7. *Ego multiplicabo signa & ostenta mea in terra.* In terra prodigium erit Antichristus. 2. Thess. 2. Volet pro DEO coli. Et ne suas dignitates amittant mali Christiani, adhærebunt illi. Reliquos vi coget, & ad comparandum exercitum, Dæmonis ope, ut est Dan. 11. *Dominabitur tresaurorum auri & argenti in omnibus pretiosis Ægypti.* Exercitum verò habebit Apoc. 70 *Scilicet gentes quæ sunt supra quatuor angulos terræ Gog & Magog: congregabit eos ad prælium, quorum numerus est sicut arena maris.* Gog idem quod tectus, Magog detectus, quia apertè & tectè homines impugnabit.

Dan.11. *Dabit eis potestatem in multis, & terram dividet gratuitò.* Et hæc pœna erit maxima, quia modò propter temporalia DEUM offendimus, ut tunc per temporalia ad damnationem ducamur. Faciet Antichristus miracula, nullus autem erit in Ecclesia eo tempore qui illa faciat. Ut docet S. Vinc. hodie. Sed illa miracula erunt falsa, Apoc. 13. Faciet ignem descendere de cœlo. Faciet loqui imagines, & infantes per ingressum dæmonis in illos, isti testabuntur Antichristum esse DEum, mortui ab illis eodem modo excitati dicent idem. Matth. 14. *Surgent pseudoChristi, & pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Non est dubium, quod etiam Sophismata adducent, & falsas interpretationes Scripturarum, quibus suos errores adstruere, nostram fidem destruere conabuntur. Sed nostra fides, non in argumentis humanis sed in verbo DEI nititur, & omni sublimior est argumento. Ex hoc à DEO justè permittetur, ut scilicet à dæmone decipiantur, qui modò in necessitatibus suis non ad DEum, sed ad dæmonem & ejus artes, fraudes, furta, &c. recurrunt. Permittet etiam doctos viros DEus succumbere argumentis Antichristi Dan. 11. *Adversùs DEum loquetur magnifica.* Quia multi docti nimis de suo ingenio præfidunt, & erunt qui explicationes novas malunt quærere S. Scripturæ, quàm in eo sensu illam recipere, in quo recipit universalis Ecclesia. Vita etiam illorum mala non respondens scientiæ hanc pœnam merebitur. Addet Antichristus tormenta, ut si quis Christum aut B. Virginem nominaverit, morte puniatur. & ... Matth. 24. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi, nec fiet: & nisi abbreviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro.* Breviabuntur, quia in sua potentia jam constituta, solùm regnabit tribus annis cum dimidio. Et hæc permittet in pœnam discordiarum, quas Christiani inter se gerunt. Occiso Antichristo, mundus durabit

durabit diebus 45. ut innuitur Dan. 11. Tunc ignis à quatuor mundi plagis exortus comburet omnia cujus ardorem quisque pro ratione suorum peccatorum sustinebit & sentiet magis vel minùs. Tunc sequetur judicium.

Signa finem mundi præcesserunt, quia mala quæ poterant esse maxima imminebant. Quibꝯ poterant homines abduci à DEO potentiùs? Dat annuentibus sibi Antichristus munera, cruciat durissimè renuentes: probat suam fidem falsis miraculis, argumentis in speciem veris, scripturâ veteris testamenti (nam novum abominabitur) pro doctrina Christi non fient miracula, deerunt Concionatores & Sacramenta quæ confirment. Finis mundi, similis morti hominis, qui est parvus mundus, quia in eo totum est in compendio, quod est in mundo. Præcedunt signa mortis per totam vitam. Morbi qui veluti securis arbori excindendæ applicantur, ignis febrium, casus varii, oculorum dolores veluti signa in Sole & Luna. Capitis cruciatus veluti virtutes cœli moventur, exempla inopinatè morientium veluti stellæ cadent de cœlo. Greg. proœm. in Ps. 6. Pœnit. *Laboriosa est vita temporalis, levior fabulis, velocior cursore: instabilitate fluctuans, imbecillitate nutans cujus habitatio in luteis domibus, imò ipsa in luto subsistens.* Quid ista sequitur signa? tribulatio qualis non fuit in tota vita. Non deerit etiam hìc Antichristus Greg. 29. Moral. 6. *Nemo sibi blandiatur, quia ad illius tempestatis* Antichristi *procellam pervenire se non existimat. Cùm tempus Antichristi non vidit, & tamen membrum Antichristi per meritum fuit.* Et 29. Moral. 6. *Apud iniquos quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultè operatur.* Aderit morienti, dissuadebit donis, promittendo bona terræ ut curet, non cœlum. Adducet sophismata circa fidem, terrores incutiet & DEI justitiam exaggerabit, ut desperes. ostendet te meliùs valere, ut conversionem differas.

differas. Interea ignis accenditur qui te consumat. Et nolumus pœnitere dum benè valemus, quasi verò nos pejores simus quàm res nostræ quibus tempus quod optimum damus, nobis quod pessimum servamus. Ubi jam non tempus pro benè operando, pro fructibus pœnitentiæ. Greg. hom. 20. *Aliud est pænitentiæ fructum facere, aliud dignum, &c. Ut tantò majora quærat bonorum lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpam.* Quomodo erunt digni fructus, cùm vix poterunt esse fructus? modò non ita nobis tentatis vix ad pœnitendum est animus, quid ubi anima præ doloribus, tentationibus, vix sui compos erit? Tu converti voles, sed dæmon contra te omnes artes & vires intendet. Marc. 9. Non afflixit hominem dum eum quietè possidebat, sed dum ex eo pellitur, exclamat, & multùm eum discerpit. De quo Greg. 32. Moral. 16. *Quia nimirum tunc pejus cogitationibus mentes dilaniat*, &c.

CONCIO XIV.

Pro Feria Quarta post Dominicam 2. Advent.

Tuné es qui venturus es? Matth. 11.

PErtrahet quasi totum orbem uno impetu ad se Antichrist9. Judæi statim illi ut suo Messiæ adhærebunt. Doctos sophismatib9: simplices donis: nobiles, dignitates & bona terræ largiendo, avaros pecunias: luxuriosos pluralitatem uxorum concedendo, & votum castitatis tollendo, gulosos, omnia jejunia tollendo alliciet: & sic *multiplicabit gloriam suam* Dan. 11. Sed monet S. Paulus, quòd jam nunc mysterium iniquitatis operatur, jam per suos ad sua signa trahit cavendum vobis ne ex suis censeamur.

Dum meditatur tempora Antichristi S. Greg. Moral. 12. sic ait. *Pensemus quæ erit mentis humanæ tentatio, quando pius Martyr &*

tyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante oculos ejus tortor miracula facit: cujus tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatietur, quando is qui flagris cruciat, signis coruscat? Ps. 9. Insidiatur in occulto quasi leo in cubili suo. Ad apertam potentiam suffecisset ut leo esset, rursusq; ad occultas versutias suffecisset et si leo non esset. At modò conjunguntur & ficta miracula & vis aperta: & sophismata, & dona. Hæc quidem modò non fiunt ita passim, sed fit, propter quod ista faciet Antichristus, scilicet, ut non solùm homines in peccata labantur, sed ut in iis maneant impœnitentes, & sic pereant. Hæc intentio Antichristi sæpè modò habet effectum: peccamus, at rarus est qui agat pœnitentiam, qui restituat, &c. Adhuc suis temporibus lamentabatur. S. Cypr. serm. de jejunio Christi. *Si Moysen & Aaron & Samuelem hodie haberet Ecclesia, cùm invocarent exaudirentur; & orantibus Job & Nöe & Daniele populo parceretur. Rarus hodie Phinees qui perfodiat impudicos, rarus Moyses qui occidat Sacrilegos: rarus Samuel qui inobedientes lugeat: rarus Job qui pro filiorum negligentia sacrificium offerat.* De suis temporibus dicebat S. Vinc. Dom. 2. Adv. serm. 3. *Ecclesiam Christus fundavit in magna humilitate & paupertate, modò jam totum versum in superbiam, pompam, & vanitatem, ut patet in quolibet statu. De misericordia & liberalitate conversa est in Simoniam, usuram, rapinam, &c. De castitate in luxuriam, immunditiam & corruptionem. De charitate in invidiam & malignitatem. De temperantia in gulam & voracitatem. De patientia in iram & guerram & divisiones. De diligentia in negligentiam* &c. Quid de nostris temporibus dicam? nescio, hæc solùm scio. 1. Joan. 5. 18 *Totus mundus in maligno positus est.* Hoc scio quòd S. Ecclesia non desinat vocare ad pœnitentiã, igitur videt ejus necessitatẽ.

Sed, num est aliquis tam sui immemor, qui pœnitentiam agere nolit? videmus non agi, perinde sunt ebrietates, luxuriæ, odia, &c. Greg. hom. 34. *Qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat,*

cõmittat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. Qui quondam concupiscere alienam uxorem Uriæ David *nequaquam timuit, post etiam quia aquam* de cisterna Bethleem *concupisceret, expavit.* De pœnitentia d. 5. c. falsas. *Qui bona alterius injustè detinet, sciat se veram pœnitentiam peragere non posse.* Et 14. q. 16. *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur.* Pœnitentia non est, si non cesset à malo. Si non alienum, &c. Et pro publicis publicè agenda est, sed utique dicit quilibet, agam pœnitentiam sed non modò, restituam per testamentum. Hic est Leo insidians in cubili suo. Hic devorat, hic Antichristo adscribit. Hoc est nolle pœnitere. Promittunt se facturos eo tempore vel quod non habebunt, vel quo non poterunt. An scis te in crastinum supervicturum? an scis non ita te obruendum tentationibus & morbis ut ferè non possis pœnitere? Interea audi quid S. Ambr. serm. 9. *Si Ananias condemnatur quòd non tantùm dederit quod de suo ipse promiserat, quid censemus de eo qui non vult reddere? &c.* Depauperabor inquies: ergò furandum est ne depaupereris? Furti rationem in se continet alienæ rei injusta detentio, quia furtum est alinæ rei usurpatio.

Differre pœnitentiam, quam securitatem facit? Luc. 14. Tolerat Dominus arborem quòd fructus non tulerit, uno, secundo, & tertio anno, & tandem subitò illam jubet excindi, sed ficulneæ statim maledicit. Angelis non dedit locum pœnitentiæ. Neq; nobis revelavit quamdiu nos toleraturus. Cùm ergò promittimus pœnitentiam postea, rem promittimus incertam, pro qua fortè habebimus, fortè non habebimus tempus; sicut si quis promitteret nobis annulum, si invenerit. Placetné interea manere in servitute dæmonis? 1. Petr. 2. *A quo quis superatus est, hujus & servus est.* Rom. 8. *Servi facti estis cui obeditis?* Expectate ut qui domum suam custodit tanquam fortis

arma-

armatus, eam tantò magis muniat? DEUS interim Jerem. 8. *Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci? omnes conversi sunt ad cursum suum. Quasi equus impetu vadens ad prælium.* Ibis ad prælium, sed cum DEO, quis vincet? An Christus clementior erit quia tu in malo perseveras? Si tibi in flumen cecidisset auri frustum, an diceres, postea extraham quando arenis fluvii sepelietur? Christus ut te è peccatis educeret, dicit. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Et tu postponis! desiderant Angeli ut gaudium de tua conversione quàm primùm habeant, & tu moraris? Ita Pharao differebat, & periit. Abelis sacrificium acceptatum quia statim obtulit, Caini repudiatum, quia post multa tempora ut advertit Chrysol. serm. 109. Repudiat DEUS in Sacrificio claudum animal, quia tardè venit. Vis differre cum Virginibus fatuis ad hoc tempus quando oleum sibi deficiet, sed audies, ite ad ementes. Vis cum villico ad illud te servare, quando dices, *Fodere non valeo.* Nonne dies Domini sicut fur, quo non putamus tempore venit? Pœnitentes Adamum imitemur, qui statim indutus est pelliceo non serico. Imitemur Sanctos. Neminem legimus usque ad ultimum tempus distulisse pœnitentiam.

CONCIO XV.

Pro Feria Quinta post Dominicam 2. Adv.

An alium expectamus? Matth. 11.

VEniet alius à Christo Antichristus quàm Judæi pro Christo recipient; & verè alius, nam Christus verè mitis, ille Tyrannus: Christus salvat, ille occidet. S. Vinc. Conc. 5. Domin. 2. Adv. septem peccata considerat propter quæ ita sævire ille homo impius permittetur. Eadem sunt peccata propter

quæ in morte contra nos invaleſcere poterit. Hæc enumerabo.

Sævire permittetur Antichriſtus. *Primò*, quia Chriſtiani datam Chriſto in Baptiſmo fidem frangunt, recurrunt ad dæmones ſi quid pereat, ſi pecus ægrotet, ad vetulas: ſortilegia exercent, ad Aſtrologos judiciarios, &c. Quare Deut. 32. *Generatio perverſa & infideles Filii, ipſi me provocaverunt in eo qui non eſt DEus, & irritaverunt in vanitatibus ſuis, & ego provocabo eos in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta irritabo illos. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo & ardebit usq; ad inferni noviſſima.* Vade Antichriſte, dominare illis, qui defecerunt à me, dominare illis, qui me Dominum verum deſeruerunt, habes gentem ſtultam quæ te ſequetur, exercitum impiorum. Hoc idem in morte dæmoni permittetur. Hoc enim peccatum eſt, rumpere juramentum Regi proprio, & ad ejus hoſtes recurrere. Dæmon nihil in nos poteſt. Greg. 32. Moral. 19. *Quando iſte* (de illo loquitur) *nocere factis ad imaginem DEI hominibus audeat, de quo conſtat quòd non juſſus contingere nec porcos præſumat?* Sed per quæ quis peccat per eadem punitur. Eligit præ DEO dæmonem, dæmoni in illum permittitur poteſtas. Et putatis quòd nobis prodeſſe velit, qui circuit quærens quem devoret, & in hoc totus eſt ut noceat? putatis quòd verũ dicet, qui eſt pater mendacii & totus in calumniis? nec poſſet nobis nocere niſi illum advocaremus. Id fuſius coram S. Antonio ut in ejus vita ſcripſit S. Athan. qui hæc dixit Antonio. *Cur mihi fruſtra imputant Monachi? cur mihi omnes Chriſtianorum populi maledicunt? Antonius dixit, juſtè faciunt, tuis enim frequenter moleſtantur inſidiis. At ille ait. Nihil ego facio ſed ipſi invicem ſe turbant. Nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo, non legiſti? Quia defecerunt inimici framea in finem & civitates eorum deſtruxiſti. En nullum jam habeo locum, nullam poſſideo civitatem, jam mihi nulla ſunt arma. &c.*

Solve-

Solvetur in adventu Antichristi Sathanas, solvetur suo modo, in morte horum proditorum. O quid non aget? veniet spiritus erroris & fidem turbabit.

Alterum peccatum propter quod sævire permittetur Antichristus, est blasphemia, per hanc stringitur contra proprium Regem gladius. Contra Regem qui eos de captivitate diaboli redemit, &c. Sæpè hoc est publicum peccatum nec tamen punitur, imò blasphemātes Judæi Christum foventur. Isa. 52. *Dominatores populi mei iniquè agunt, dicit Dominus, & nomen meum jugiter tota die blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar* vetando blasphemiam, *ecce adsum.* Veniet & ad blasphemos spiritus blasphemiæ, & deducet illos in infernum in quo blasphemabunt in æternum. Lactant. lib. de providentia DEI. *Solus sermonem accepit homo & lingvam cogitationis interpretem ut enarrare possit Majestatem Domini sui.* Et ipse illam evertit, tales sunt qui dicunt, non curat me DEus. &c.

Tertium peccatum quia tributum DEO negant. Debita Ecclesiis defraudant, ut DEI laus cessare debeat, & vacare Ecclesiæ. Sed ajunt, Sacerdotes sunt mali. Sic neque tibi subditi dare deberent tributum, quia etiam tu malos habes aliquos famulos. Verùm sicut non famulis datur cùm pro tuo obsequio à subditis recipiunt, ita nec Sacerdotibus, sed DEO. Non das Christo, das ejus inimico, luxuriæ, gulæ, &c. De tempore etiam negatur in septimana horæ tributum DEO, quo Missa audiatur, &c. Et dæmoni dantur integri dies & noctes. Aperiunt diebus Dominicis fora contra Synodos regni. Mulieres per vanum ornatum die festo dant tributum dæmoni, vacatur luxuriæ &c. ludis, perjuriis. Aderit in morte Leviathan dæmon qui te de superbia tentabit per quam illi diebus festis dabas tributum, aderit Asmodæus qui de luxuria, Be-

elzebub de invidia. Beelphegor de gula, Baalberith de ira, Astaroth de acedia.

Quartum peccatum est contemptus, uxoris regiæ. Christi uxor est Ecclesia. Vilipenditur, res sacræ non æstimantur. Salvian. lib. 8. de gubernat. *Sacrilegii genus est, DEI odisse cultores. Si enim, si servos nostros quispiam cadat, non in servorum nostrorum cadit injuriam: & si à quoquam filius verberetur alienus, supplicio filii pietas paterna torquetur: ita & cùm Servus DEI à quoquam læditur Majestas Divina violatur, dicente idipsum ad Apostolos Domino. Qui vos recipit, me recipit, qui vos spernit me spernit. Benignissimus scilicet ac piissimus Dominus communem sibi cum servis suis & honorem simul & contumeliam facit, ne quis cùm læderet servum DEI, hominem tantùm à se lædi arbitraretur* Zach. 2. *Qui vos tangit quasi tangit pupillam oculi mei. Ut apertissimè intelligeremus DEUM tam parvâ Sanctorum suorum contumeliâ lædi, quàm parvi verberis tactu humani visûs acies læderetur.* Quid dicam de honore templorum? quid de SS. imaginum? Propter hæc veniet Antichristus cum tanto furore, propter hæc in hora mortis dæmon procurabit ne SS. Sacramentis muniaris. Servos Christi non vultis honorare, honorabitis Antichristi: nec in morte digni eritis ut eorum operâ ad salutem dirigamini. Assumit tunc dæmon personam Antichristi: de quo 2. Thess. 2. *Extollens se supra omne quod dicitur DEus aut colitur.* In quæ verba Greg. 29. Mor. 6. Dæmon *apertè monstratur appetendo dulcem Dei similitudinem quasi juxta Deum se erigere vult, sed in superbiæ culpa crescendo, iam se super omne quod dicitur DEus aut colitur, extollit.*

Quintum est, carnis peccata &c. Greg. Pastor. p. 3. *Admonendi sunt cælibes, ne sine damnationis judicio misceri se fœminis vacantibus putent.* 1. Cor. 6. *Cùm Paulus fornicationis vitium tot criminibus execrandis inseruit, cujus sit reatus indicavit, dicens. Neq; fornica-*

fornicatores &c. *Et Hebr.* 11. *Fornicatores autem & adulteros judicabit DEus.* Multos dæmon in morte decipit, dum has illis repræsentat voluptates, & illi assentiuntur, se illis fruituros ubi ad sanitatem redierint.

Sextum peccatum est, oppressio pauperum, per hanc conciditur filius DEI, id est, populus Christianus, hunc enim genuit sibi Christus per Baptismum Greg. in Ps. 4. Pœnit. *Sunt pleriq; qui etsi peccata sua fletibus puniant, pauperes tamen opprimere potestatis suæ dominatione non cessant.* Dant eleemosynas sed ex eo quod per vim extorserunt. Eccli. 34. *Qui offert Sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui*, de quo Greg. Pastor. p. 3. *Quid namq; esse intolerabilius potest quàm mors Filii ante oculos Patris? Hoc itaq; Sacrificium quantâ irâ aspicitur, ostenditur quod orbati Patris dolori comparatur.* Hic ponendæ discordiæ, odia. Quomodo hæc moriturum turbabunt! 2. Thessal. 2. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, ideò mittit illis DEUS operationem erroris ut credant mendacio.*

Septimum, quia sunt qui erubescunt Christi crucem, non audent pro Christi causa loqui. Tales facilè transibunt ad Antichristum. In morte verò. *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam illum coram Patre meo.* Agamus pœnitentiam, & tempestivè incipiamus obsistere Antichristo. Non assvescamus illius moribus differendo pœnitentiam. Ne dicat DEus Ezech. 24. *Multo labore sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus neq; per ignem, immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui & non es mundata à sordibus tuis.*

CONCIO XVI.

Pro Feria Sexta post Dominicam 2. Adventûs.

Quid existis videre in desertum? Matth. 11.

CUM sit horribilis Adventus Antichristi, tam quando veniet in fine mundi in sua persona, quàm quando in morte per suos ministros, oportet nos præmunire, nec meliùs possumus quàm per pœnitentiam, quæ dum præparat pro Adventu Christi, destruit Antichristum. Habemus exemplum pœnitentiæ in Joanne. Habemus & in renovatione mundi post judicium, ubi jam erit securitas ab Antichristo, & utrumque in idem redit. Renovabitur Terra, Joannes non est ut arundo mobilis, Aqua: non est mollibus vestitus, Aër: non vagatur ut ventus, sed hæret in deserto. Ignis renovabitur, Joannes plus quàm Propheta, & superat Eliam igneum. Renovabitur Cœlum, ecce mitto Angelum. In hac ordinatione pœnitentiam nostram ordinabo.

Non solùm pœnitentes de peccatis, se puniunt, sed etiam vitam renovant. Ps. 79. *Potum dedit nobis in lachrymis in mensura.* In quæ verba Greg. Pastor. p. 3. *Ut videlicet uniuscujusq; mens tantùm pœnitendo compunctionis suæ bibat lachrymas, quantùm à DEO meminit se aruisse per culpam, tantùm doleat quantùm peccavit.* Opus est induere novum hominem, & sicut post finem mundi renovabitur *Terra* Apoc. 21. *Vidi cœlum novum & terram novam.* Erit eadem terra, sicut & cœlum novum, non quoad substantiam, sed erit utrumq; novum quoad accidẽtia. Ita corpus sit idem in impuris, sed accedat ipsi continẽtia. Sine delectatione aliqua in hac vita non possumus esse, sed delectationes quæramus Angelicas non bestiarum. Meliùs nos æstimemus quàm ut cùm bestiis ad pastum earum descendamus.

mus. Habent Angeli ſuas voluptates & majores quàm beſtiæ, & conſiſtunt circa purum bonum, non delectemur in impuris, experimur aliquando voluptatem devotionis, nunquid tum non ſordet voluptas carnis? *Delectare in Domino.* Paulus ait. *Meliùs eſt nubere quàm uri.* In quæ Tertull. exhortat. ad caſtit. *Quale bonum oſtendit quod melius eſt pœnâ, quod non poteſt videri bonum niſi peſſimo comparatum? ſi tamen à comparatione diſcedas non erit meliùs habere unum oculum.* Sed Cypr. monet lib. de habitu Virg. *Virgo non eſſe tantùm ſed & intelligi debet, ut nemo cùm Virginem viderit, dubitet an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum corporis cultus infamet, quid ornata, quid compta procedit, quaſi maritum, aut habeat, aut quærat? &c. Neq; enim fas eſt virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne & ejus pulchritudine gloriari, cùm nulla ſit illis magis quàm adversùs carnem colluctatio, & vincendi aut domandi corporis obſtinata certatio.* Hæc de mulieribus, ſimilia de viris: ſit modeſtus veſtitus, verba pudica, fuga mulierum, &c. B. Jordanes narrabat, ut eſt in Schola PP. accuſatus quidam quòd mulieri dediſſet manum, ſe excuſabat, dicendo illam eſſe ſanctam, reſponſum ei: & pluvia bona & terra bona, ſed quando miſcentur fit lutum. Opus curare veram humilitatem, quia ut Greg. 34. Moral. 13. *Plerumq; latet ſuperbia & caſtitas innoteſcit, atq; ideò oſtenſa diu caſtitas circa finem vitæ perditur, quia cooperta ſuperbia uſq; ad finem incorrecta retinetur.* Præſumptio ſuperba eſt de ſuis viribus, occaſiones non vitare. Monet S. Ambr. lib. 2. de Virgin. *Cùm egreſſa fueris* Sodomis *ne reſpicias retrò, memor uxoris Loth, quæ naturam ſuam, quia impudicos, licet caſtis oculis reſpexerit, amiſit.* Renovanda eſt *Aqua*, hæc poſt diem judicii non habebit in mari amaritudinem neque fluctus. Deponamus diſcordias, vindictam, &c. Sic charitas renovabitur. Bern. lib. de diligendo DEO. *Lex eſt, & lex Domini, charitas,*

quæ

quæ Trinitatem in unitate quodammodo cohibet & colligat in vinculo pacis &c. Hæc est lex æterna creatrix & gubernatrix universitatis &c. Hi qui hoc faciunt quod ait Apost. Rom. 13. Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis, proculdubio sicut DEus est, & ipsi sunt in hoc mundo. Et sicut unio est Dei imitatio, ita discordia dæmonis, ita ut nequaquam Deo placeant. Greg. past. p. 3. *Discordes certissimè sciant, quia quantiscunq; virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenùs possunt, si uniri per concordiam proximis nolunt. Gal. 5. Fructus autem spiritûs est charitas, gaudium, pax. Qui ergo servare pacem non curat, ferre fructum spiritûs recusat.* I. *Cor.* 13. *Cùm sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis? Hebr.* II. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit DEum.* Quid illi qui seminant discordias? *Plus peccat qui amorem proximi à corde alterius minuit, quàm qui victum ab ore pauperis rapit.*

Renovandus est *Aër*, hic erit clarus sine nube. Vox nostra oritur ex repercussione aëris, non sit in ea nubes mendacii quæ veritatem obscuret. Dicenda est veritas quibus dici à nobis debet, erit enim aër clarus post finem mundi. Greg. 29. Moral. 6. *Video alios quibus per locum Magisterii, exhortandi sunt officia arguendiq; commissa, qui vident aliquid illicitum admitti, & tamen dum quorundam Potentum offendere gratiam metuunt, arguere non præsumunt, quisquis iste est, quid aliud facit, nisi videt lupum venientem & fugit? fugit quia tacuit, tacuit quia despectâ æternâ gratiâ temporalem gloriam plùs amavit, & se ante Potentis faciem intra sui latebras silentii abscondit, & sicut persecutioni publicæ, ita occulto timori locum dedit. Quisquis talis es, si hæc districtò judicantur etsi persecutio publica non fuit, tamen tacendo Christum negavit.* Aër ille carebit tonitruis &c. Careat nostra vox imprecationibus. Basil. serm. de ira. *Cujus tu, dic mihi cupis esse discipulus, Beatorumné hominum ac DEO gratorum, an eorum qui*

spiritu referti sunt maligno? quando enim verborum injuriâ tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an DEO per patientiam adhæreas, an per iram in adversarii partes inclines? &c. cùm sit alius qui instigat, dæmon; & alius qui instigatur homo cui tu maledicis simile quoddam canibus admittens qui saxa mordere solent, quando jactantes attingere non valent. Incitatus enim ac instigatus profectò misericordiâ dignus est.

Renovandus est ignis. Oratio sit ignita, certa quotidie certis horis. Diei festi cultus, Confessio, & alia spiritualia jejunia, mortificationes, eleemosynæ &c. Videamus quid faciunt filii hujus mundi pro temporalibus &c.

Renovandum est denique cœlum, ut in omni nostra actione quæramus cœlum. Ipsum Martyrium amittis si non bonâ intentione susceperis. Ab intentione totum dependet. Faciat quis aliquid, haberi volens pro Sancto v. g. totum perdit. Ingrediatur Religionē ut fiat doctus: Prælaturam acquirat: &c. amittit meritum. Sic virgo si fiat Monialis quia timet Parentes, quia est deformis &c. Ita si ad militiam vadat contra Ethnicos cupiditate prædæ. Ita si des eleemosynas, si jejunes, si dimittas offensas, sed non propter DEUM. Intentio est meta, quomodocunque arcum tendas, si metam propositam non respicias aberrabis.

CONCIO XVII.

Pro Sabbato post Dominicam 2. Adventûs.

Tuné es qui venturus es? Luc. 7.

VEnit Christus, venturus est Antichristus quem Judæi ut Messiam expectant. Hi sunt duo quibus etiam nunc multi, adhærent, sed dies ultimi judicii ostendet, qui Christo, qui hosti ejus adhæserunt. Greg. 29. Moral. 6. *Apud iniquos quotidie res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultus operatur; etsi multi nunc non sunt, in Adventu*

tamen Judicis prodentur quòd sunt. Quodnam sit mysterium Antichristi quod etiam hodie operatur, inquiramus.

Vires Antichristi describit Greg. 34. Mor. 9. *Antichristus nisi Divina gratia protegat & Prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumet, & patientium constantiam quasi lignum putridum in pulverem rediget. Ubi tunc infirmi erunt, si fortes sicut paleæ reputantur? quid tunc Leviathan de paleis faciet, si ferrum quasi paleas æstimabit? quid de putridis lignis facturus, si quasi lignum putridum æris fortitudinem solvet? sed ô quàm multi qui suis viribus se ferrum vel æs æstimant, in illo tunc tribulationis igne se paleas deprehendent?* Et quòd istæ vires Antichristi effectum suum sint sorituræ adducit ad hoc 32. Mor. 12. illud ex Apoc. 2. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli.* Quid fauces, ungves, hujus bestiæ? Hoc verò ejus mysterium est, subruere à fundamentis nostram fidem in qua salus nostra ædificatur, fundamentum verò ipsius fidei est. *Accedentem ad DEum oportet credere quia est.* Nam si non est, nec puniet nec remunerabitur. Si non remunerabitur, quid opus carnem domare &c. Si non est, tum vana sunt præcepta & terrores qui illius nomine circumferuntur, &c. Extinctâ DEI veri in cordibus hominum memoriâ, se DEUM asseret. Hoc mysterium jam operatur. Quia multi etsi *confitentur verbis DEum, factis negant.* An peccaret quis contra DEum per blasphemiam, perjurium &c. Si cogitaret se à DEO magis conservari quàm lucem à candela? tegatur candela ubi est lux? desinat nostrum esse DEus retinere, ubi erimus? & hunc offendemus à quo ita dependemus? voluntariè nos creavit, liberè detinet. Est nobiscum, & in quavis parte nostri, quia quemlibet conservat, & cùm non sit cæcus, omnia videt quæ agimus, videt fraudes quas contra proximum committimus, furta, adulteria &c. Credimusné hæc illum videre? cur in oculis ejus patramus?

tramus? Rom. 11. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia* magis nos in vita conservat quàm nostra anima, quia & ipsam animam conservat Act. 16. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Est in peccatoribus, licet simul ab istis procul sit. Prov. 15. *Longè est DEus ab impiis.* Est enim præsens, sed ita distat sicut color albus à nigro, sicut lux ab umbra, pannus sericeus à crasso laneo, licet simul ponantur. O quantum hi crassi panni ejus oculos offendunt? valet hîc illud S. Cypr. contra Demetrianum. *In latronibus est utcunq; scelerum aliqua verecundia, avias fauces, & desertas solitudines diligunt, & sic illis delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur.* Ita fugit peccator oculos hominum cur si à DEO credit se videri, peccat? summa impudentia est si quis eò deveniat ut etiam in conspectu hominum peccet. Idem l. c. *Avaritia palam sævit, & ipsâ audaciâ suâ tuta in fori luce, abruptæ cupiditatis arma prostituit, inde falsarii, inde venefici &c.* Si impudentia in medio foro peccare, qualis in conspectu DEI? Si diceres mihi. Credo me à Domino videri, & interim thesaurum ejus effringeres. Si diceres, credo me à Rege spectari, & filium ejus cæderes, dicerem: si non quæris occidi, te fidem fingere, cur tibi credam adstruenti te credere esse DEum & te in oculis ejus versari, cùm in eum ita peccas audacter? Jer. 23. *Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.*

Si DEus est, non est surdus, omnia, quæ etiam in cordibus nostris loquimur, audit, Exod. 14. Cùm Moyses à Pharaone deprehensus esset intra montes & mare, tantùm elevatis oculis respexit cœlum, nihil dicendo, solùm mente orando, & DEUS. *Quid clamas ad me?* Omnis nostra cogitatio auditur à DEO veluti clamor esset Ps. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Si audit, cùm oramus, quid alia cogitamus? mixti & confusi sunt isti clamores,

& aurem DEI dedecent, oret distractus coram idolo quòd aures habet & non audit. Si DEus noster propè est & audit, cur ad illum non recurrimus? Omnia ista procedunt ex fide debili de DEO, hoc est mysterium Antichristi quod operatur in nobis. Cùm hoc aggredietur morientes, & in quibus debilem repererit fidem, facile franget. Interea 1. Reg. 1. *Dominus judicabit fines terræ.* Greg. lib. 2. in Reg. cap. 1. *Fines terræ sunt, qui vitæ suæ ultima, cum perpetratione culpæ clauserunt, &c. Quia fines terræ Dominus judicat, justus inchoat â justitiâ, non præsumat.* Ab ultimo vitæ momento pendet æternitas. Sed illud momentum tale solet esse, qualis vitæ. Neque enim linea lignea solet terminari puncto ferreo, aut ferrea aureo. Assvescamus agere tanquam in præsentia DEI Deprecemur DEUM quòd in oculis ejus tam audacter peccemus, & hanc nostram impudentiam ad confusionem vertamus. *Malum coram te egi.* Ps. 50. Quis? coram quo? Ps. 94. *Præveniamus faciem Domini in confessione.* Precemur cum Greg. in Ps. 5. Pœnit. *Obsecro Domine JEsu, ut cunctas meæ civitatis portas, justitiæ faciam: ut ingressus in eas; Ps. 117. Confitear nomini tuo, tuæq; Majestati cum justis per eam intrantibus, ut mors ibi aditûs ingressum non habeat, passio non dominetur, sed occupet salus muros ejus, & portas illius laudatio.*

CONCIO XVIII.

Pro Dominica 3. Adventûs, Prima Concio.

Quis tu es? Joan. 1.

PLanè in hoc mundo sumus ut in tenebris, tot fiunt furta, adulteria, &c. Sed quando Christus veniet ad judicium, sicut si loco obscuro fax inferatur, omnia illuminabit. Ps. 39. *Posuisti sæculum nostrum in illuminatione vultûs tui.* S. Orefius institut. Monast. *Oportet nos stare ante tribunal Christi, & de singulis non solùm operibus, sed etiam cogitationibus judicari.* Sed ut judi-

judicentur, oportet palàm fieri. Basil. lib. de vera Virginit. *Mens nostra velut pictor est, in anima velut tabula pingit, quæ picta in occulto in lucem prodibunt, tum videre erit tabulam variâ historiâ refertam.* Venite spectemus.

Venit Christus ut fulgur ab Oriente, & consistit supra vallem Josaphat vicinam Jerusalem, circumdant eum densa fulgura & coruscationes Ps. 49. *In circuitu ejus tempestas valida.* Et jam omne genu flectitur in nomine ejus, Philip. 2. *quia D. JEsus Christus est in gloria Dei Patris.* Assistunt novem Chori Angelorũ, quos etiam impii mentis oculis conspiciunt, & maximo terrore corripiuntur. Apoc. 20. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra & cœlum, & locus nõ est inventus eis.* Ad hoc spectaculum Isa. 24. *Erubescet luna & cõfundetur sol.* Thronum candidum vidit Jo. hunc candorem explicat Dan. 7. 10. *Thronus ejus flãma ignis, & rotæ ejus ignis accensus, fluvius igneus rapidusq; egrediebatur à facie ejus. Millia milliũ ministrabant ei & decies centena millia assistebãt ei.* Describit hunc thronũ etiam Ps. 49. totus: Ut omnib9 constet de justititia Judicis; incipiet ab Angelis tam bonis quàm malis. 1. Cor. 6. *Nescitis quoniã & Angelos judicabimus.* Quoad homines, producitur sagena ex mari extracta plena piscibus bonis & malis. Adsunt virgines prudẽtes & fatuæ. Mittitur in omnes à Christo ut à Sole radius, etiam ipsæ atomi cõspiciuntur. Nahum. 3. 5. *Revelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gentibus nuditatem tuam & regnis ignominiam tuam.* Spectabitur ut cadaver putridũ quod fuit velatum, detrahetur externa species factis, patebunt sacrilegæ confessiones ad quas devenimus ob pudorem, ut malimus perire quàm dicere, ibi totum fiet palàm. Aperietur liber prædestinationis coram omnibus. Legentur omnium facta. Basil. lib. 2. c. *Non confusè, sed omnia per partes.* Ita hic fecit, tali loco, cum tali, his verbis, his factis, &c. 1. Cor. 3. *Uniuscujusq; opus manifestum erit.* virtutes Eremitarum occultæ, prælia castorum &c. Chrys. hom. 3. in Rom.

 Quid

Quid tunc nobis miseris fiet cùm omnia orbi universo palam facta in tam aperto tamq; illustri theatro denudata omnium oculis subjicientur? Non jam hîc in medio fori &c coram toto orbe, Patre, Matre, Domino, Confessario quem decepisti. Bern. medit. cap. 2. *Væ mihi misero cùm venerit dies illa, & aperti fuerint libri in quibus omnes actus mei, & cogitationes Domino præsente recitabuntur, tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ stabo trepidus & anxius cùm dicetur mihi. Ecce homo & opera ejus.* Tunc volemus à nobis quàm remotissima esse peccata. Dicemus illis Aug. serm. 13 de Adventu ad Judic. *Recedite à me date mihi spatium saltem unius horæ.* At illa respondebunt. *Tu nos egisti, tua nos opera sumus, non te deseremus, semper tecum erimus,* spectabit hæc nos spectantes, Christus cum Angelis & toto orbe. Thom. de Villan. Conc. 1. *Columnæ cœli contremiscunt ad nutum ejus, respicit terram & facit eam tremere.* Anselm. in elucid. *Sicut nunc Sol ab omnibus videtur, ita omnium hominum conscientiæ ab omnibus in propatulo versabuntur.*

Jam incipiet Christus beneficia exprobrare. Micheæ 6. *Popule meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.* Incipient Ethnici accusare Christianum Matth. 19. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Regina Austri surget in judicio* &c. Agent contra malos Angeli custodes eorum. Ps. 49. *Advocabit cœlum desursum, & terram discernere super populum suum.* Consurgent dæmones. Thren. 2. *Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilaverunt, & frenduerunt dentibus, & dixerunt, devorabimus.* En ista est dies quam expectabamus, invenimus, vidimus. Neque cœli & terra silebunt. Job 20. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra consurget adversùs eum.* Ignis dicet. Mihi permitte vindictam &c. S. Clemens in recognitionibus. *DEus elegit sibi diem in qua conflictus erit omnium culparum & pœnarum.* Sed & ipse DEUS Sophon. 1.

phon. 1. *Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Nunquid jocatur DEus quando dicit Matth. 12. *De omni verbo otioso.* Quid de perjuriis, turpiloquiis &c. Nunquid jocatur Job 27. *Quid faciam cùm venerit ad judicandum? Nunquid jocus? Scrutabor Jerusalem in lucernis, Justitias judicabo?* Nunquid Job 24. *Signâsti quasi in sacculo delicta mea,* quem tum aperies? Prodibunt peccata interna Sap. 1. *In cogitationibus impii erit interrogatio.* Aliena peccata, bonorum temporalium usus, intentiones, scandala, leges Ecclesiæ, talentorum usus, temporis cura, amor inimicorum, hæc prævidendo Job. *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas offensiones.* Sed Christus. *Hæc fecisti, & tacui. Quid ultrà facere debui & non feci? Uva vestra, uva fellis, & botrus amarissimus.* Exemplum dedi vobis.

Neque diabolus desistet urgere. Chrysost. in Ps. 50. *Stat diabolus gladium acuens & dicens in hæc verba. Omnem juventutem tuam confudisti omnem vitam tuam perdidisti &c.* Aget Lucifer contra superbos, ego dejectus propter superbiam, & iste debet. Aget alter contra Avaros. Isai. 2. *Quomodo facta es meretrix civitas fidelis omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, &c.* Urgebit, tuum est verbum Domine. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Ecce jam tempus tuum est Ezech. 22. *In igne furoris mei conflabimini.* Quando id facies, si non modò? Ego ad vos ô homines cum Jacob. 5. *Agite nunc divites, & plorate ululantes in miseriis quæ venient vobis.* Respondebunt aliqui, *Domine nonne in nomine tuo prophetavimus?* &c. Reponet Christus, *Nescio vos.* Prov. 16. *Est via quæ homini videtur recta, & novissimum ejus ducit ad infernum.* Allegabunt aliis suas longas orationes, confraternitates &c. Reponet Isai. 1. *Ne offeratis sacrificium ultrà, incensum abominatio mihi est. Sabbatum & Neomenias & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri, kalendas*

vestras odivit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens, Recurrent fortè ad misericordiam. Sed Isai. 28. *In monte divisionum stabit Dominus.* Hic mons est 2. Reg. Baalpharasim in quo magnâ clade David, figura Christi. affecit Philistæos, peccatores. *Sicut in valle quæ est in Gabaon*, ubi grandinem saxeam in Chananæos misit DEUS. Deut. 32. *Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.* Jam transiit tempus miserendi. Jam Crux prolata, veluti gladius Cherubini antè portam paradisi Gen. 2. Stabunt antè oculos omnium peccata, veluti instrumentum homicidæ quo occidit, & jam ipse est plectendus. Jam vulnera Christi pro nobis facta clamant, *Infer digitum tuum huc*, Jam sangvis Abel de terra clamat sangvinem. Jam Sap. 4. *Traducent illos ex adverso iniquitates eorum.*

CONCIO XIX.

Pro Dominica 3. Adventûs, Altera Concio.

Medius vestrûm stetit quem vos nescitis. Joan. 1.

NOn puto ullum reperiri ex vobis, contra quem declamandum, mihi sit cum S. Basil: serm. 7. de Adolesc. *Quibus te verbis curabo? quomodo loquar? regnum DEI non curas, gehennam non times. quam animæ tuæ medicinam idoneam inveniam?* Hoc enim esset signum reprobati hominis, & qui nesciat DEum, quamvis stet in medio ejus. Quare judico esse utile remedium ad viam præparandam pro Christi nasciturі receptione, si vobis infernum proposuero ad considerandum. S. Chrysost. hom. 11. in Matth. Dum considerat successus quos habuit. Joan. Bapt. in concionando. Matth. 3. *Exibat omnis Jerosolyma ad eum* &c. Dum etiam, quòd Prophetæ alii prædicando non pariter proficiebant; dat causam, quia alii pœnas peccatorum temporales denuntiabant, Joannes æternas, seu infer-

Infernum. Spes bona quod & vobis de his audire proderit. Eamus, ſpectemus, ſed quo ductore? Angelo? Daniel illo viſo contremuit & virtus in eo nõ remanſit. Joañe? hic vos ſtatim increparet Luc. 3. *Genimina viperarum* &c. Meliùs uti Davide, & hic ſe ultrò offert. Pſ. 54. *Descendant in infernum viventes.* Deducit nos in vallem quandam, in qua alii aſſantur in veru, alii palo infixi ululãt &c. inſuper in illos pluvia ſulfuris ardẽtis deſcendit; alii in fluvio igneo merguntur. Chryſ. hom. 44. *In ignis fluvium atq; pelagus intrudentur, pelagus impertranſibile, atq; magnitudine acerbisſimum, in quo ignei fluctus inſtar montium eriguntur, ignei dico, non hujus ignis, ſed ignis multò quàm hìc horribilioris, cujus flamma maximam conficit abyſſum.* Et paulò poſt. *Ibi crematur & dolet, ſed nequaquam quod crematur conſumitur.* Omnis creatura tormentum miniſtrat. S. Th. 3. p. q. 7. a. 1. & q. 83. a. 4. *Quia peccatores peccando ſe diabolo ſubdiderunt, ergò juſtum erit ut ei ſubjiciantur in pœnis.* Quid Sancti? Pſ. 3. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſangvine peccatoris.* Sed qui pœnas inferni vult deſcribere, facit ut ille qui volens pingere montem, pinxit atomum. Exech. 10. *Stilla ad Africum, & dices: Ecce ego ſuccendam in te ignem, & non extingvetur flamma ſuccenſionis.* Hugo ſic de his verbis. *Quaſi dicat, quidquid oſtenderis & dixeris ei, non eſt niſi modica ſtilla comminationis meæ reſpectu ejus quod faciam.* Igitur quidquid aliquis de inferno dixerit, Stilla erit reſpectu Oceani.

Quis ibi torquetur? Cain, Abſalon, Alexander, &c. Ecce avaro aurum liquidum in os funditur, luxurioſus in ſuo adipe frigitur. Aures patiuntur, quia ſonabũt ſemper improperia, ſemper maledicta. Oculus, quia videbit Epulo Lazarum, quia patietur tenebras. Pſ. 57. *Supercecidit ignis & non viderunt Solem.* Guſtus. &c. Tactus. Apoc. *Date ei tantùm de tormentis quantùm fuit in deliciis.* Veniant ſuper eum plagæ Ægypti. Affliget ignis conjunctus cum gelu, mors cum vita. Odoratus. S. Thom. l. c. *Ignis*

depurabit elementa, & quidquid faeculentum in iis dejicietur in infernum, totius mundi foetores. Quamdiu ista? Frustra quaeris nemo dicet. Non erit finis. Ps. 76. *Annos aeternos in mente habui.* Quid hoc est? nemo dicet. Ps. 4. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Quod fractum non reparatur, sed abjicitur. Sed super omnia uret. *Discedite à me:* Chrysost. hom 13. in Philip. *Tantum mihi malum videtur de tanta gloria cecidisse ut gehennam pro nihilo habeam prae hoc damno.* DEUM amisisti. Sed ut neque quid sit aeternitas in hac vita capimus, ita neque quid sit amittere, quod poteras habere, infinitum bonum. Per totum aeternum dicetur illis. *Nescio vos. Discedite à me.* Chrysost. in 27. Matth. *Prae mille gehennis est, Nescio vos.* Si nescit, sine illo omne malum in nos irruet. Gen. 7. Cain dicit: *A facie tua expellis me, qui me viderit, occidet me.* Quae non turbatio in mundo facta? Sol obtenebratus, terra commota, &c. quando solùm ratione humanitatis Christus moriendo recedebat. Unde Tertull. Apologetici c. 49. *Malumus damnari quàm à DEO excidere.* Et hoc in aeternum!

In aeternum. O verbum horribile! Scimus quòd sitis brevis ita cruciaverit Lisimachum, ut pro uno poculo aquae regnum vendiderit. Scimus quòd fames aliquos adegerit ad vorandas proprias carnes, & haec fuit aliquot dierum, quid fames aeterna? quò diuturnior poena, si non haberetur sensus, eò gravior. Sitim ignis excitabit & commemorabunt sibi suas ebrietates, &c. Habebatis miseri convivia, serviebatur vobis, lecti fuerunt molles &c. hoc quod invenistis nihil mutabitur. Clausi estis, & clavis projecta est in abyssum. Qui modò vestri joci &c. illi pisces pretiosi versi sunt in caput Simmachi ut Theodorico. Chrysost. *Pone ignem, & ferrum, & bestias: attamen ne umbra quidem sunt ad illa tormenta* &c. *Omnia haec ludicra sunt & risus ad illa supplicia.* Non ascendit, inquit, Origen. in cor hominis quae ibi DEUS praeparavit. Risus est ille dolor quem habuit

habuit Rex Sedecias cùm in conſpectu ejus filii illius occiderentur. Riſus eſt illa afflictio Diogenis Imper. cui oculis erutis vermes ſcaturiebant, & ipſe ſic miſer in publica platea mortuus. Riſus matrum ille planctus, cùm uno die illorum 800. filios cruci affigi juſſit Alexander Hircanus. Riſus lacerari candenti forcipe, laminas candentes applicari; per particulas ſcindi, oleo bulliente & plumbo liquido perfundi. Nunquam talem inveniam carbonem quo pœnas inferni depingam ad vivum. Quidquid afferam, erit, quod modicus hominis intellectus invenit, quod debilis manus intulit. Ibi Sapientia pœnas reperit, Omnipotentia infligit. Pſ.89. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ?* S. Chryſoſt. dum conſiderat illa Pſ. 21. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens.* Sic hom. 22. in 2. Theſſal. *Qui imaginem effingunt in cera, igne molliunt.* Emolliamus corda noſtra hoc igne. S. Bern. *Quid metuet qui ad iſta non trepidat, non expaveſcit, non timore concutitur?* Sed talem non puto reperiri, & ſvadeo cum Iſidoro Peluſiota cuique. *Ignis futuri memoriam refrica, & libido extingvetur.* Ideò aſſerit Greg. *Tunc peccare deſinimus cùm futura tormenta formidamus.*

CONCIO XX.

Pro Dominica 3. Adventûs, Tertia Concio.

Ego vox clamantis in deſerto. Joan. 1.

QUàm miſer eſſet oculus qui nihil videret, tam miſer intellectus ſi nihil cognoſceret. Sed adhuc miſerior etſi omnia cognoſceret homo, ſi tamen ſeipſum non nôſſet, putaret ſe doctum & eſt rudis, divitem & eſt egenus, ſanum & eſt æger, ſic enim remedia non curaret, & quia putaret ſe omnia ſcire, cùm neſciat, etiam nihil ſciret. Hominis & ſe neſcientis qualis ſit, & ſcientis ex hodierno Evangelio proponam exemplum.

Judæi se omnia scire putabant circa DEum.Pſ.75. *Notus in Iſraël DEUS.* Sed quia ſeipſos neſciebant eſſe ignorantes, excœcatos malitiâ, neque DEUM agnoverunt. Mittunt ad Joannem *Mesſias es tu?* Utique Judæi toti in Scriptura. Sciebatis Meſſiæ nomen futurum.Iſai.7. *Emmanuel nomen ejus*: non Joannes, unde dubium an Joannes ſit Meſſias? Sciebatis Matrem Meſſiæ fore Virginem, Mater Joannis conjugata: fore juvenculam, Mater Joannis vetula. Iſai. 7. *Ecce Virgo concipiet.* &c. In Hebr. legitur Halma, id eſt, Juvencula. Meſſias erat naſciturus in Bethleem, quod ipſi Judæi tribus Regibus ex Micheæ 5. demonſtrârunt. *Et tu Bethleem terra Juda nequaquam es minima in principibus Juda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum*: At verò Joannes natus eſt in Jeruſalem. Legerunt quòd miracula eſſet patraturus Mesſias. Iſai. 53. *Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet velut cervus claudus, & aperta erit lingva mutorum.* Nihil horum fecit Joannes, fecit omnia Chriſtus, ſi vos agnoviſſetis invidos, non negaviſſetis Chriſtum eſſe Meſſiam, nec de Joanne dubitaviſſetis. Oportebat primò quærere, qui vos eſtis. Tum primò de Joanne. *Quis es tu?* Hoc eſt ſeipſum non nôſſe, ac proinde nec Chriſtum nôſſe, qui *Medius veſtrum ſtetit.*

Magna eſt plaga DEI cùm aufert ſpeculum in quo ſeipſum homo videre poſſit. Cùm DEUS minatur Judæis Iſai. 3. *Auferet validum & fortem, Judicem & Prophetam.* &c. Inter cætera addit. *Auferet ſpecula.* Cùm DEUS adamat Judæos & inter eos domicilium ſtatuit. Deut. 38. jubet conſtitui ſpecula Seneca l. 1. natur. Quæſt. quæſt. 17. *Inventa ſunt ſpecula ut homo ipſe ſe noſceret.* Pœna eſt cùm ſe non poſſet noſſe. S. Bernard. de domo interiori. *Multæ ſcientiæ hominum, ſed nulla melior eſt illâ quâ homo cognoscit ſeipſum.* Nam ſi ſe non noverit, neque noſcet DEUM, & à DEO velut fatuus rejicietur. Cant. 1. alloquitur Sponſam. *Si ignoras te ô pul-*

te ô pul-

te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos, S.Bern. serm. 34. in Cant. *Dura increpatio, hoc quippe verbum servi & ancillæ audire solent à valdè irascentibus Dominis, exi hinc, egredere de domo.* Hæc sui notitia Joannem illustravit, ut Christum agnosceret. Non sum Elias, non sum unus ex Prophetis, non sum Messias. *Sum vox clamantis in deserto. Medius vestrûm stetit* Messias. *Ecce Agnus DEI. Ecce cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Sed in quo se agnovit speculo? Nullum illo melius quod à Sapiente cap. 7. exhibetur. *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula DEI Majestatis*, scilicet Filius DEI, hoc inspexit adhuc in utero existens. Vidit quòd illud sit, quòd *erat in principio verbũ*, & in ipso omnia. Ego hujus præcursor sive manifestator, ergò sum *vox* & quidẽ vox *clamantis in deserto* hujus mundi, in deserto qui nascuntur nihil norunt, sunt rudissimi, ita hic mundus non novit Christum. *Voces* ita definiuntur: *Sunt signa earũ quæ in anima sunt passionum.* Jam verò duplex est in nobis verbum, internũ quod in mente nostra formamus, & hoc est simile verbo DEI, & quod significat exprimit, externum quod indicat illud priùs, & hoc est vox. De me DEUS Pater dixit per Malach. *Ecce ego mitto Angelum meum.* Angelus idem est quod Nuncius, res per voces nunciantur. Itáque ego sum *Vox.* Voces, ut docent Philosophi, sunt naturæ homogeneæ, id est quælibet pars vocis est vocalis. Omni me & toto nunciabo Christum & nunciavit manibus. *Non sum dignus solvere corrigiam &c.* Nunciavit suo incremento. *Me oportet crescere illum minui.* Nunciavit pedibus. *Præcedet antè faciem ejus.* Totâ suâ essentiâ. *Ipse est qui post me venturus est, & qui ante me factus est.* Greg. hom. 7. *Quia Filius Unigenitus verbum Patris vocatur, & ex ipsa vestra locutione cognoscitũ, quia priùs vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri, Joannes ergò se vocem asserit, quia verbum præcedit.* In hoc speculo seipsum agnoscit,

ſcit, ſuum nihil, & quòd quidquid eſt, gratiâ DEI eſt. *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti.* Mos erat apud Judæos ut qui aliquam debebat accipere in Sponſam, neq; accepit, is ei qui deinde eam accepit priori debebat ſolvere calceamenta. Vidit in eodem ſpeculo quod in Sponſam Chriſtus accepturus ſibi erat Eccleſiam juxta illud Oſeæ 2. *Sponsabo te mihi.* Non ego Meſſias, non accipiam in Sponſam Eccleſiam. *Non ſum dignus ſolvere. &c. Ego vox clamantis in deſerto* quæ contemnitur, à nullo auditur, quantumcunq́ue fiat cum clamore, tranſit & in nihil abit. Greg. hom. 7. *Rectè ſe indignum ad ſolvendam corrigiam calceamenti ejus denuntiat, quia nomen Sponſi non uſurpat.*

Si hoc ſpeculum inſpiceremus, quos nos videremus? Vulnus & vulnus, peccata, &c. Sed vidimus fortè hoc ipſum non ſemel, quid deinde? fecimus ut ille de quo Jacob 1. *Comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo, conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Vidimus nos eſſe inſtar diaboli. 2. Petr. 2. *Qui facit peccatum ex diabolo eſt.* Pœnituit nos, dimiſit ille nos, reformati ſumus. Sed quia non reſtituimus, occaſiones peccati proximas non amovimus, retraxit nos ad priorem formam. Scribit in vita S. Anſelmi Cantuarienſis Epiſc. Surius 21. Apr. Vidit hic Sanctus ſemel puerum cum avicula ludentem, dimiſit eam, ſed per funiculum ligatam iterum retraxit. *Et vocatis nobis, conſiderâtis, inquit jocum pueri, hâc ratione jocatur diabolus cum multis hominibus quos ſuis laqueis irretivit.* Hoc provenit ex eo, non inſpicimus ſpeculum, quid pro nobis Chriſtus fecit, quantus eſt in quem peccamus. Inde Ambr. *Plures ſunt ſalvati qui nunquam peccaverunt, quàm qui condignam pœnitentiam egerunt.* Orabat Aug. DEUM. *Noverim te, noverim me.* De quo Bern. ad Sororem. *Brevis oratio, ſed fidelis hæc eſt animi vera Philoſophia,* & utraq́ue cognitio prorſus neceſſaria ad ſalutem. *Noverim me abyſſum malorum, cui tu na-*

tu nasceris. Noverim te abyssum omnis boni qui pro me nasceris. Ita fecit S. Paula apud Hieron. epist. 27. ad Eustochium. *Ego misera atq; peccatrix digna sum judicata deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? orare in spelunca in qua Virgo puerpera Dominum fudit infantem? hæc requies mea, quia Domini Patria, hîc habitabo, quoniam Salvator elegit eam. Et statim facta minima inter omnes, pauperem Dominum pauper Spiritu secuta.* Hoc ipsum nos faciamus ad cunas proximè nascituri Domini, considerantes quis ille sit, qui nobis natus.

CONCIO XXI.

Pro Feria Secunda post Dominicam 3. Advent.

Confessus est & non negavit. Joan. 1.

CONstantia patet Joannis in confitendo Christo, confessus coram plebe, discipulis, legatis Synagogæ. Confitemur & nos sæpè Christum. Sed quid? Ps. 63. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Irridet quis, cessamus à devotione: Constituimus restituere, venit metus vanus paupertatis, ecce sagittæ. Ps. 13. *Illic trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Sicut passeres in tritico vanis terriculamentis, interea bona proposita pereunt, Christi Confessio in factis cessat, loquar de hac perseverantia.

Satis ad nos firmandos in constantia esset, quia neque nos ipsi Artifici solvimus qui laborem cœpit, sed qui perfecit: neq; arbores amamus quæ flores quidem offerunt, sed fructu carent. Neque domum inhabitamus, quæ quidem inchoata, sed tecto &c. caret. Ita & apud DEUM. *Qui perseveraverit usq; ad finem hic salvus erit.* Quia & ipse in finem dilexit nos, cùm crearet, perfectè nos creavit; cùm redemit, perfectè redemit: præmium promisit perfectum. S. Bern. de quatrupl. debito.

bito. *Domino totis viribus, totis medullis serviendum, ne fortè indignationis te oculo respiciat, & despiciat & conterat in æternum & in sæculum sæculi. &c. Quid ergò ampliùs grunnies dicens: nimiùm laboramus, nimiùm jejunamus, nimiùm vigilamus, cùm nec millesimæ, imò nec minimæ parti debitorum suorum valeat responderе.* Jamné revelatum est nobis quòd omnia peccata sint dimissa, purgatorium abolitum, quòd tantam mensuram attulerimus meritorum juxta quantam nos constituit salvare? Hæc inconstantia provenit à sagittis parvulorum, quia post revoluta proposita, res parvas initiò contra ea admittimus, & tandem in priora magna relabimur. Greg. lib. 5. in Reg. c. 2. sic de Saule. *Idcircò per inobedientiam cecidit.* 1. *Reg.* 13. *Quia integrus septem diebus sicut jussus fuerat non expectavit, quo in loco trementi corde considerandum est, quàm brevissimi temporis expectatione neglectâ, repulsus sit. Nam cùm complêsset holocaustum, ecce Samuel veniebat. Si ergò eum solo brevissimo temporis intervallo expectaret, quo obtulit holocaustum, securus jam regni sui robur obtinere potuisset. Itaq; si tanta pœna est quando Propheta despicitur, quid putamus de pelago illo Divinæ animadversionis si incurratur, cùm ipsa Divina præcepta dissipantur?* Constituit castè vivere Juvenis, sed hoc facto proposito, concedit aliquid oculis, ecce res parva, sagittæ parvulorum: sed inde concitatur imaginatio, fit tentatio, sequitur consensus. Ecce plaga. Idem de vindicta, constituit parcere inimico, postea indulget sibi, tamen illi dicam ne me secundò lædat, ex hoc proceditur ad contentiones, rixas, nova odia, &c. Inde lapsus graves, & mirantur homines quomodo iste post tot confessiones cum fletu factas redit ad eadem peccata. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* Infirmata lingvæ proposita, promissa, vota, &c. *Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Hinc Angeli quia sciunt quàm sit noxi-

noxium si parva sibi homo permittat, tamen valdè oderunt parva, ut est in vita S. Veronicæ Mediolanen. apud Bolland. Hæc Sancta aliquando sub sacro sororem respexit, nec tamen ab intentione orationis discessit, tam acriter & tali vultu ab Angelo ob hoc in visione increpita, ut dixerit, si hoc illi extra visionem contigisset, morituram se præ terrore fuisse. Æstimant eadem minima Sancti. S. Maurilius Episc. dum missam longiorem faciens tardaret ne puerum cujusdam sacro Chrismate antè mortem ungeret, & puer interea mortuus relicto clàm Episcopatu, se cuidam in hortulanum tradidit in magna egestate.

Ut quis perseveret in bono opus est humiliter implorare DEI auxilium, quia Concil. Arausic. sic docuit. *Adjutorium DEI etiam in Sanctis, & renatis hominibus semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono perseverare possint.* Et Trid. Sess. 6. can. 22. *Si quis dixerit, hominem justificatum sine speciali DEI auxilio perseverare posse, aut cum illo non posse, anathema sit.* Idcircò & pro Petro Christus orat ne deficiat fides illius. Sed nos facto proposito bono, veluti jam debellatum esset, DEI auxilium implorare desinimus, & accidit nobis quod Ps. 27. *Ego dixi in abundantia mea non movebor in æternum.* Chald. legit. *Ego dixi cùm sederem in fiducia,* &c. Quid deinde accidit? *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Tale fuit propositum Petri. *Etsi omnes scandalizati fuerint,* &c. orandum erat Petro. Non permitte me Domine scandalisari. Cautiùs Paulus. *Quis me separabit à charitate Christi, &c.* Tum addit. *Libenter glorificabor in infirmitatibus meis, ut in me inhabitet virtus Christi.* Ego me per humilem orationem profitebor infirmum, labilem, & Christus dabit mihi robur. Et ita Petrus corruit Paulus substitit. Cypr. Serm. de Cœna Dom. *Ubi cum Judice agit qui judicatur, eo ipse in partem accusatoris*

cusatoris transiens etiam in sua proscriptione sententiam approbat condemnantis, experitur clementiam salvantis, & lætabundus canit. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Cùm humiliter dicit. Sum indignus tuâ gratiâ quia sæpè illâ sum abusus. Oro tamen, qui mihi decorem dedisti, gratiam ut à peccatis surgerem, tribue huic decori virtutem, robur scilicet perseverantiæ. Si autem agnoscimus nos fragiles, ita nobiscum procedamus ut cum vase tenui vitreo quod scimus fragile, non exponimus etiam parvis occasionibus in quibus frangi possit. Et sic non solùm verbis sed etiam reipsâ nostram fragilitatem profitebimur.

CONCIO XXII.

Pro Feria Tertia post Dominicam 3. Adventûs.

Confessus est & non negavit. Joan. 1.

SUfficeret ad nos in bono detinendos quod dixit Basil. serm. in ebriet. *Qui in bonarum actionum profectu semel fuerit, deinde ad antiquam vivendi consvetudinem redierit, non solùm eorum quos est passus laborum præmium non sumet, sed longè gravioribus dignus est pœnis, qui cùm semel verbum DEI degustaverit, brevi admodum delinitus voluptate, cuncta perdiderit. Vesper unus, impetus inimici unus, omnem præteritum laborem perdidit atq; diruit.* Quomodo comparebis post mortem, ut cœlum petas? quomodo in vita ut aliquid firmiter speres? sed sunt alia plura mala, quorum aliqua constitui proponere.

Si aliquis è carcere hosti fugiat, certè si eum hostis iterùm acquirat, ponit in fortiori &c. fugisti dæmoni ecce te captat, dum iterùm ad eadem peccata pertrahit. Peccatorem dæmon captum excæcat, inde impingit in montem superbiæ, jam in spinas avaritiæ, jam in lutum luxuriæ, jam in lapides iræ, jam in aquam

aquam ebrietatis, &c. Cùm DEUS illi dimittit peccata, visum recipit. Advertit quòd fuerit hostis DEI: quòd omnia perdiderit, velut cùm quis evigilat & videt omnia sibi furto oblata: jam videt se inscriptum libro damnatorum ad mortem, cùm antè fuisset factus filius Regis, &c. Sed cùm dæmon talem iterùm nanciscitur procurat ne aliquo modo perveniat ad collyrium, ut confiteri differat, vel sacrilegè confiteatur, & sic collyrium corrumpat. Greg. Past. p. 3. ait de tali relapso. *Dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, antè DEI oculos etiam ipsas lachrymas sordidas facit.* Et rationem paulò post dat. Relapsi, *antè districti Judicis oculos similes se illis agnoscant, qui venientes ad faciem quorundam hominum blandiuntur, recedentes autem inimicitias & damna, quæ valent inferunt: ita plerumq; mali inutiliter compunguntur ad justitiam.* Deinde peccator est claudus quia semper in eodem loco, in iisdem peccatis hæret. Sanat illum Christus; sed si in peccata recidit, dæmon illi etiam quasi pedes aufert. Et certè neminem claudum legimus bis à Christo sanatum, sed sanatis aliquando additum. *Noli peccare ne quid tibi deterius contingat.* Bern. in Cant. serm. 3. *Erit sine dubio recidenti quàm jacenti deterius.* Ut Dagonis statuam stabilientibus, denique & caput & manus, & pedes amputati sunt reperti. Peccator est ulceribus, vulneribus plenus. Et tam miser, ut meliùs illi fuisset non nasci. Unde Sancti malebant bona, honores, membra, &c. perdere quàm peccare. S. Quirinus manus pedesque truncandos præbuit. S. Serapion, S. Jacobus incisus, malebant articulatim incidi. S. Laurentius in craticula torreri. S. Joannes de Bono ipsemet suis ungvibus acutas arundines infixit. S. Martinianus se igne adussit. S. Franciscus in carbonibus spinis, nivibus, se volutavit. S. Jacobus Anachoreta manum ignibus injecit, &c. Ab his suis vulneribus sanatur peccator cùm ei peccata dimittuntur. Sed si per re-

lapſum rumpatur cicatrix longè difficilior curatio, quia ſecundi & tertii lapſus ſceleſtiores ſunt prioribꝰ. Greg. in Pſ. 3. Pœnit. ſuper illa verba. *Corruptæ ſunt cicatrices meæ. Cicatrices putreſcere, eſt ſanata jam peccatorum vulnera rurſus in tentationem ſerpere, atq; de eorum iteratione delectationem ſentire. Quantò magis extenditur inæqualitas corporis, tantò difficiliùs oſtenditur efficacia curationis.*

Peccator ut ſurdus, clamat Concionator à DEO miſſus. (S. Vinc. Dom. 3. Advent. ſerm. 3.) *Quando prædicant doctrinas Poëtarum, tunc non immittuntur à DEO ſed à diabolo.* Clamant tubæ DEI, non audit. Pſ. 137. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam.* Redditur illi auditus cùm peccatum dimittitur. Sed ſi rurſus fiat ſurdus. Greg. Paſt. p. 3. *Colligamus, ſi nobis delinquentibus tantâ pietate parcitur, à nobis ad delictum redeuntibus quātâ improbitate peccatur. Aut quæ ab illo erit ſuper improbos venia qui non ceſſat vacare poſt culpam.* Si enim dæmon unus ſurdum facit, cùm homo relabitur, ſeptem nequiores veniunt, quomodo non magis facient ſurdum, quomodo non hominis illius noviſſima fiunt pejora prioribus? Unde videmus maximos peccatores ſæpiùs converti, quàm recidivos. Peccator eſt plenus dæmone. Hinc dicitur eſſe ex Patre diabolo. Et quidem ita, ut Greg. Nyſſen. dixerit, *Non fruſtra initiò Orationis præfixum, qui es in cœlis Pater, ne peccator orando Patrem, dæmonem invocaret.* Et Chryſoſt. cenſet miſeriorem eſſe dæmone peccatorem. Et addit hom. 54. in 9. Joan. *Ingratitudine in DEum Conditorem ſimul ac Redemptorem ſceleratus: dum dæmonis crimen, Conditoris tantùm offenſa fuerit,* & addit. *Novis itaq; inferis plectendus qui poſt Chriſti mortem repetit peccatum; idcircò obitam ne repeteretur.* Hinc etiam opera diaboli facit. Inſtigabat dæmon ne Chriſto naſcenti darent Judæi locum, & ſic in ſtabulo debuit naſci: at ho-

at homo peccans, ex ipso stabulo, ex corde suo natum ejicit, instigavit ut jam virum crucifigerent, peccator crucifigit. Instigavit Paganos ut in loco Sepulturæ Christi erigerent Idolum Adonidis, erigit in suo corde peccator, in quo antea fuit Christus. Quid fiet de homine si hoc iteratò faciet?

Peccator est mortuus. Si homo vehemens venenum bibat, moritur: nullum est vehementius animæ venenum quàm peccatum. 1. Joan. 2, *Qui non diligit, manet in morte.* Facit DEus miraculum cùm istum mortuum voce suâ excitat. Ille se rursus occidit, an DEus obligatur iterùm facere miraculum. Certè Medicus nollet illum sanare, qui semel ac iterùm ab illo sanatus, eundem morbum sibi advocavit. Certè credet sibi illudi. *DEus non deridetur.* Sed cur hæc tanta mala non sentit homo? Quia mala nō sunt corporis sed animæ. Anima verò peccatoris est phrenetica sive amens, hic verò mala sua non sentit. Greg. in Ps. 3. Pœnit. *Sicut phrenetici mentis alienationem tolerant, cùm se non solùm nihil pati, sed etiam incolumes putent, ita qui mortali carne circumdatus ærumnas præsentis vitæ non senserit, à virtute sapientiæ alienus existit.* Sed quomodo tot mala patitur anima si mortua est? *Anima quæ peccaverit ipsa morietur?* Quia damnatorum in inferno statum imitatur, qui & moriuntur, & simul ad pœnas vivunt.

CONCIO XXIII.

Pro Feria Quarta post Dominicam 3. Adv.

Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.

SEmper Joannes crescit in virtute, jam fidem exercet circa Christum, jam ad pœnitentiam vocat &c. Deniq; hodie summam humilitatem. *Cujus non sum dignus* &c. Ista est occupatio moderni temporis, ut peccatis exoluti crescamus in virtutibus. De sola devotione agam.

Devo-

Devotionis Christianæ sunt multi actus, nobilissimus verò Missæ Sacrificium. Et hoc moderno tempore instituitur cum speciali cæremonia, quia septem candelæ accenduntur, siquidem in Christum ut hominem cum septem donis Spiritûs S. descendit, ut est Isai. 61. Septuplices etiam nostras tenebras illuminat quia septem sunt peccata capitalia quæ magnas inducunt tenebras. Missa ipsa totam Christi vitam repræsentat, ac potissimùm passionem &c. Quocirca & Sacerdotes in celebranda, & alii in audienda convenit ut sint frequentiores. Nam licet Sacerdos, ut docet S. Th. non debeat Missam quotidie celebrare, debet tamen ita vivere ut quolibet die paratus sit ad celebrandum. Non tamen agit laudabiliter, si de illo dici potest 2. Machab. 4. Quòd *jam non circa officia altaris dediti erant, sed contempto templo & sacrificiis neglectis.* Et certè si tenetur quis Missam celebrare si pro illa accipiat eleemosynam: Beneficia sunt eleemosynæ poscentium Missæ celebrationem. Unde Ambr. ita orat DEUM. *Grave est quod ad mensam tuam mundo corde & manibus innocentibus non venimus, sed graviùs est si dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus.* In hanc rem ipsam ita argumentatur S. Vincent. serm. 3. Dom. 3. Adv. *secundùm Gregor. Cùm crescunt dona, rationes crescunt donorum: Sacerdoti autem data est potestas nobilissima, ergò reus negligentiæ erit nisi illa utatur in honorem DEI, & ad salutem suam, & aliorum vivorum, & mortuorum, secundum illud* 1. *Petr.* 4. *Unusquisq́, gratiam quam accepit in alterutrum administrantes.* Certè arbor ad hoc plantatur ut fructus ferat. Greg. hom. 31. *In hoc sæculo potens quilibet si fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præstat cæteris, quia quicunq́, sub ipso sunt, exemplo pravitatis ejus quasi umbrâ premuntur. Stat desuper arbor infructuosa, & subtùs terra sterilis jacet &c. Sed de hoc perverso quolibet ac potente, pænè jam requisitio DEO non est, postquam enim se perdidit, quæren-*

quærendum solummodò est, cur & alios premat? Unde benè ejusdem vineæ Dominus, ut quid etiam terram occupat? Quid talentum defossum tenet? Jam verò quomodò ad Missam audiendam non curremus in hoc Adventu? Ibi est, qui nos in se transformat. Isai. 40. *Omnis caro fœnum.* De quo Gregorius homil. 8. *Factus homo fœnum nostrum vertit in frumentum, qui de semetipso ait, Nisi granum frumenti cadens in terram &c. Unde & natus in præsepio reclinatur.* Venite peccatores qui facti estis jumenta. Bern. in Circumc. serm. 3. *Ipse est panis vivus de quo vivere debuit homo, sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fœnum, ut sic vivat de eo & hujus quidem mutationis Sacramentum die nativitatis celebratum est, quando verbum caro factum est, cùm sit omnis caro fœnum.* Eras cœcus, peccator, ecce dum Christus Jericho appropinquat, cœcus illuminatur. Greg. hom. 2. de hac illuminatione. *Dum Conditor noster appropinquat Jericho cœcus illuminatur, quia dum Divinitas defectum carnis nostræ suscepit humanum genus lumen quod amiserat recepit.* Tum cognoscemus quantum boni nobis fecit. Iste est qui ad nos tot legatos misit, quot Prophetas, & jam ipse venit. Iste est quem Moyses desiderabat Exod. 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Iste quem Isai. 64. *Utinam dirumperes cælos & descenderes.* Ipse quem David Ps. 71. *DEUS judicium tuum Regi da.* In quæ verba Greg. in Ps. 5. Pœnit. *Judicium suum Regi DEus Pater dedit quando Filius carnis humanæ substantiam assumpsit.* Iste est ad quem è longinquo tres Reges cum maximo suo periculo properârunt. Qui omnes sanabat ægrotos, nec modò manus ejus abbreviata. Iste mitissimus & peccatores recipiens. Donat fructum laborum suorum, quem tulit dum lateret in ventre Matris per dies 277. quem tulit per vitam reliquam, quem tulit in cruce. Ejus meritis divites esse possumus. Offert se nobis ut eum quotidie per spiritualem communionem

nem

nem ſumamus. Deniqúe fit nobis omnia ut illum amemus. Chryſol. ſerm. 69. *DEus jacet in incunabulis, & homo vagitu ſuo implorat à te quam tibi præſtitit pietatem. Parens omnium usus eſt te Parente, ſubjectus tibi extitit, cui omnis ſubjacet altitudo. Timuit quem omnia metuunt. Fugit ad quem cuncta confugiunt. Cœlorum arbiter eſt hoſpes in domibus peccatorum. Pane paſcitur qui paſcit omnes. Et quid plura? Omnium author tenetur ſæculorum.* Cujus nativitatem expectamus, jam eſt in Miſſa præſens. Nec ad illius recipiendum meliùs ornari poſſumus, quàm ornamentis, quæ modò ipſe diſtribuit. Ipſe modò offert veſtem nuptialem, offert annulum & ſtolam primam. Septem iſtæ candelæ illuſtrent ſeptem ſtatus hominum. Principes, ut ſicut ignis æquè lucet omnibus, ita illi æquè juſtitiam adminiſtrent. Prælatos, ut luceat lux illorum omnibus. Sacerdotes, ut exemplo præluceant pleni in ſe igne cœleſti. Religioſos, ut lucem habeant circa ſuas obligationes. Conjugatos, ut mutuâ benevolentiâ ardeant, & proli bonis moribus præluceant. Viduis & continentibus ut ardor ſit pœnitentiæ, & lux bonæ famæ. Virginibus ut diſcernant fraudes dæmonis. Apoc. 1. *Et in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem Filio hominis* vidi. Hos ſeptem ſtatus in ſe Chriſtus expreſſit. Egit Regem cùm provideret panes multitudini in deſerto. Egit Pontificem in altari Crucis. Egit Religioſum, cùm tam pauper eſſet ut non haberet ubi reclinaret caput. Egit Sacerdotem in Cœna ultima. Similis conjugatis accipiendo Eccleſiam in Sponſam. Viduis cùm per triduum mortis eſſet orbatus diſcipulis. Virginibus, quia fuit ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus. His omnibus ſtatibus vult benè.

CON-

CONCIO XXIV.

Pro Feria Quinta post Dominicam 3. Advent.

Tu quis es?

CUm nos ad Christum excipiendum præparamus, oportet crebrò nos interrogemus. *Tu quis es?* Non solùm quoad animam, sed etiam ad exteriora. Commendavit Christus Joannem qui ejus adventum celebrabat, non molliter vestitus, vos saltem vanitatem in vestitu compescite.

Originem vestium fecit peccatum Adæ, sicuti funis imponitur furi in signum, quòd illum sit meritus, si fur suum funem amaret, exornaret, quid diceretur? fecit DEUS Adæ tunicam pelliceam in signum, quia comparatus est jumentis insipientibus. Igitur vermibus se comparant qui induuntur serico. Paulatim à pelliceo progressi ad alias vestes, ad colores, & ut divites supra pauperes essent, progressi sunt ad aurum. Admiscuerunt se his inventionibus dæmones Tertull. lib. de habitu muliebri. *Eva non ornabatur. &c. Ideò omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta, sunt quasi ad pompam funeris constituta. Hæc qualia sunt, interim jam ex doctorum suorum qualitate & conditione pronunciari potest, quòd nihil ad integritatem pectoru, nihil ad castitatem adamatoriu, nihil ad timorem DEI desertores spiritus aut monstrare potuerunt aut præstare.* Gavisi sunt valdè dæmones quòd Adamum seduxerint, gavisi quòd illi in opprobrium & pœnæ signum imposita vestis ex mortuo animali, quia scilicet ob pomi esum meruit mortem. Jam ut hanc lætitiam suam augerent, hominibus persvaserunt ut hoc signum suæ pœnæ variè exornarent, sicut si hostis alicui compedes injecisset, & ad ludibrium, flosculis illos exornaret. Sed ais? Vestis est necessaria in hoc statu, Ita est sicut & cibus, in quo si excesseris, reus es peccati. *Quibus tegamur his contenti simus.* Pergit Tertull. *Si sunt Angeli quos judicaturi sumus, hi sunt Angeli quibus in lavacro renunciavimus &c. quâ constantiâ Tribunal*

illud ascendemus decreturi adversùs eos quorum munera appetimus? nisi ergò hîc jam præjudicaverimus res illorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi sumus, illi potiùs nos judicabunt, atque damnabunt. Quomodò illud coram Judice approbabis, quòd renunciaveris Sathanæ & pompis ejus? quomodò dices te Christi discipulum? quomodò probabis te salutem desiderare, qui tantopere amas tuæ perditionis insignia? Quare severè Cypr. libro de habitu Virginum. *Christum videre non possunt auro & margaritis & monilibus adornatæ, ornamenta corporis & pectoris perdiderunt. &c.* Quid de pictura faciei? Idem ibid. *Dicit DEus faciamus hominem &c. & audet quisquam mutare & convertere quod DEus fecit. Manus DEO inferunt, quando illud quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt, nescientes quia opus est DEI omne quod nascitur, & diaboli quod mutatur.*

Duo insuper mala hic lux9 in vestitu affert. Scādalo est aliis dum æmulari vanitatem nituntur, aut etiam dum alterum sexum ad libidinem accendit. Præterea dum impensa fiunt in hanc vanitatem, neq; ad illas bonæ artes sufficiunt, recurritur ad malas. Hinc oppressio subditorum, debita nunquam exolvenda, usuræ, in judicando perversitas, rapinæ, furta, &c. Amos 8. *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, quando transibit messis & venundabimus merces, & sabbatum, & operiemus frumentum ut minuamus mensuram, &c. Juravit Dominus, si oblitus fuero omnia opera eorum &c.* Supra hoc olim ploravit Tertull. lib. de habitu mulierum. *Brevissimis loculis patrimonium grande profertur: Uno lino decies sestertiûm inseritur, saltus & insulas tenera cervix fert. Graciles aurium cutes Calendarium expendunt, & in sinistra per singulos digitos de singulis saccis ludit.* Ita agebat illa civitas Apoc. 18. *Væ, væ, civitas illa, quæ amicta erat bysso purpurâ, & cocco, & deaurata est auro, & lapide pretioso, & margaritis quoniam unâ horâ destructa sunt tantæ divitiæ.*

divitiæ. Væ in anima, væ in corpore. Talibus occurret Christus ornatus, sed quomodò, dicat Sap. 5. *Sumet armaturam zelus illius ad ultionem inimicorum, induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium rectum, Sumet scutum inexpugnabile æquitatem, acuet autem diram iram in lanceam.* Quid de scandalo illo duplici dicam certè partes dæmonis agunt, qui laqueos animabus parant. Laquei illi sunt. De laqueo libidinis. Tertull. lib. de cultu fœminarum. *Quid alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? quàm, si Dominus ampliando legem à facto stupri non discernit in pœna, nescio an impunè habeat qui alteri fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma si concupierit, & admisit jam in animo quod concupivit, & facta es gladius illi, ut etsi à culpa vaces, ab invidia tamen non libereris. Ut cùm in alicujus agro latrocinium est gestum* &c Quare cõcludo cum Greg. hom. 6. *Nemo existimet in luxu atq; studio pretiosarum vestium peccatum non esse, quia si hæc culpa non esset, nullo modo Dominus Joannem de vestimenti asperitate laudâsset. Si hæc culpa non esset, nequaquam Petrus Apostolus per epistolam* 1. *Petr.* 3. *fœminas à pretiosarum vestium appetitu compesceret, Dicens. Nõ in veste pretiosa. Pensate ergò quæ culpa sit, hæc etiam viros appetere, à quo curavit Pastor Ecclesiæ & fœminas prohibere? Sed quia arundo* Joannes *vento agitata esse denegatur, quia non esse mollibus vestitus dicitur.* &c. Proinde etiam secluso scandalo non licet sumptuosè ornari rarus circa hoc peccatum facit sibi conscientiam, rarior illud corrigit.

CONCIO XXV.

Pro Feria Sexta post Dominicam 3. Advent.

Ego Vox clamantis in deserto.

S. Joannes totus vox erat, prædicabat moribus pœnitentiam prædicabat suo Baptismo, prædicabat remittendo disci-

pulos ad Christum prædicabat ex eremo, vinculum prædicabat Regi Herodi, Sacerdotibus, plebi, militibus. Hoc est esse ferventem servum DEI, hic est modus optimus Adventum celebrandi. Proinde agam de isto fervore.

Fervori spiritûs opponitur acedia, quam sic describit S. Thom. 2. 2. q. 5. a. 1. Acedia est quædam tristitia aggravans, quæ ita deprimit hominem ut nihil illi libeat agere. Seu breviùs. Est tædium operandi. Non libet è lecto ad sacrum matutinum surgere, non libet ad templum ire, orare, res sacras audire. &c. Hinc oritur quidam tepor, ut homo neq; calcat, neque frigeat. De hoc Prov. 18. *Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Sicut qui ædificat & idem simul destruit: orat, sed verba omittendo, dimidiando, alia cogitando &c. Nihil prodest oratio sicut domus dissipata, vestis concisa. Apoc. 3. *Esto vigilans, & confirma cætera quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.* De quo Greg. Past. p. 3. *Quia plena ejus coram Deo opera inventa non fuerant.* Deerat intentio, attentio, perseverantia. *Moritura reliqua etiam quæ gesta erant prædicebat. Tolerabiliùs esse potuisset rectam viam non arripere, quàm post tergum redire.* Ex acedia oritur inconstantia, incipit frequentare Missas, postea relinquit: vitam corrigere; domum ordinare, pœnitentiam agere, disciplinas facere &c. At si de inimico sumenda esset vindicta, non essent tam inconstantes, si de lucro ageretur. De his 2. Petr. 2. *Meliùs erat eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti.* Sed quomodo, meliùs? explicat Apoc. 3. Utinam calidus esses, &c. Quia tales cum nausea rejicit, ferventes amat, frigidiorum miseretur. Oritur ex acedia pusillanimitas, non audet duriora aggredi. *Leo est via* dicebat piger ne ad arandum iret. Vani sunt hi metus. Non impossibilia Christus præcepit, impleverunt alii & tu potes. Derisiones

socio-

sociorum terrent. Audi Cypr. lib. 1. epist. 3. *Nec Christiani ultrà aut durare, aut esse possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, atq; insidias pertimescamus.* Audi Tertull. lib. de fuga in persecut. *Perfecta dilectio foras mittit timorem, quia timor supplicamentum habet, utiq; ignem stagni. Qui autem timet non est perfectus in dilectione, scilicet Dei.* In manu sunt per quæ lucrari possumus salutem. Dedit DEUS animam cum suis potentiis, iis utamur, dedit corpus. Non timent laboriosiora milites aggredi pro stipendio, & superant &c. Adhibe sensus, aspice frequenter cœlum, libros spirituales, audi conciones, os aperi in laudes DEI, manum pauperi. Datæ sunt tibi opes, istis eme cœlum. Habes tempus quo carent damnati. Non vis laborare, esuries in æternum. Oritur ex acedia, evagatio mentis ad illicita. Greg. in Ps. 5. Pœnit. *Ubi à desiderio vitæ æternæ defecit intentio, consequenter procedit de corde malarum cogitationum vociferatio, in qua os adhæret carni, si ratio subigitur delectationi. Per hanc vocem os adhæsit carni, quia Adam Evæ consensit. Habet unusquisq; Adam & Evam.* Bern. serm. de vita &c. *Magna est, dico vobis charissimi, & nimirum inexcusabilis negligentia nostra, quòd otiosis cogitationibus vacantes tempus amittimus, quibus nimirum, nec penetrandæ nubes nec maria transfretanda, ut salubres inveniamus cogitationes.* Oritur ex acedia torpor circa DEI præcepta, quomodò mulieres sunt sedulæ circa sua ornamenta? quomodò litigantes circa tribunal? non curamus verò ne non labamur in peccata. Jer. 40. *Maledictus qui facit opus DEI negligenter.* Bern. serm. 2. de S. Andrea. *Unum è duobus negligentia nostra probat, aut omninò traditos nos hostibus & nescire: aut si inter hæc conservamur, ei qui tuetur nos ingratos inveniri.* Idem de ordine vitæ. *Ingemiscendum jugiter, & postpositâ securitate lugendum, ne à Deo deseramur propter superbiam & negligentias nostras, & in potestate dæmonum*

num relinquamur. Ultima acediæ filia est desperatio, ut cùm videt homo suam desidem vitam, tandem desperet de salute.

Quomodo istos acediosos calefaciam? nihil magis calefacit quàm ignis: meditentur pœnas æternas inferni, quas semel ingressi nunquam egredientur. Eccles. 9. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Brevis est vita nostra, & incerta. Voles intrare portam cœli, dicetur: nescio vos. Si nimiùm terret ignis inferni, calefaciant se igne Purgatorii. Joann. 15. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum,* ad infernum projiciet. *Et omnem qui fert fructum purgabit eum.* Vel in hac vita tribulationibus, vel in purgatorio. S. Bern. in obitu Humberti. *Illud scitote quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hîc neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem.* Elige vel flammas illas, vel hîc fervorem, quia ex his duobus unum eveniet necessariò.

CONCIO XXVI.

Pro Sabbato post Dominicam 3. Adventûs.

Tu quis es?

DUm S. Joannes celebrat Christi adventum, interrogatur quis esset, Elias &c. Respondit se esse Vocem. Sed Christus dixit insuper esse Angelum. Quia qui vult benè celebrare adventum; non solùm debet esse vox, fugiendo acediam, de qua heri; Sed etiam debet imitari Angelum, quia Christus ad hoc venit ut reparet per homines Angelorum ruinam, & ut postea simus æquales Angelis, hîc jam similitudinem cum illis præmittere oportet. Ad hoc Incarnationem suam conciliat per Angelum, Nativitatem suam publicat per Angelos. De hac similitudine erit sermo.

Tria

Tria imitationi idonea invenio in Angelis. Pſ. 103. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Sunt Spiritus, ſunt Miniſtri, ſunt ignis. Spiritus ſunt, igitur carent corpore, & ab omni ſorde corporea puriſſimi. Igitur & nos ſi ad locum Angelorum aſpiramus, etſi carne carere non poſſimus, tamen carnis operibus careamus, & ita Anima quæ eſt ſpiritus carni dominetur, ut ſpirituales dici poſſimus, ſic enim & Cæſarei &c. dicuntur quibus Cæſar imperat. Animales, carnales, quibus caro. Etiam ita diſſimiles Angelo evadunt carnales, ſicut lutum ſoli, & magis. Proinde in tanto horrore fuit populo DEI peccatum carnis, quamdiu ille populus recordabatur ſe uſum fuiſſe Angelo duce per deſertum, ut bello illud vindicaret. Ambr. 3. off. 14. illud Judic. 9. conſiderando, cùm violata fuiſſet Levitæ uxor. *Quanta igitur honeſtatis cura majoribus fuerit, hinc proditur, ut 40. millia virorum ſtringerent gladium adversùs Fratres ſuos de tribu Beniamin qui temeratores caſtitatis non ſufferebantur. Itaq́ eo bello cæsa sunt utrinq́ 65. millia bellatorum, & exuſtæ urbes. Et cùm inferior primò fuiſſet populus Israël, tamen nec adverſi belli metu percitus, vindicandæ caſtitatis ſequeſtravit dolorem.* Idem Ambr. repetit epiſt. 65. Caſtis promiſſus eſt locus Angelorum. Iſai. 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, &c. Dabo illis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus.* Hæc verò virtus propria eſt Adventûs in quo & nuptias ſolennes Eccleſia vetat, & quem expectamus ex Patre & Matre Virginibus naſcitur, & pii augent jejunia, & caſtus Joannes in exemplum proponitur. Abſint ergò joci turpes. choreæ, cantilenæ &c. Imò & Conjuges caſtiora meditentur, abſit & ornatus ſuperfluus in veſtitu caſtitati parùm favens. Cypr. de Bono pudicitiæ. *Non eſt pudica quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalvâ Corporis caſtitate. Nam ſollicitudo de pulchritudine, & malæ mentis*

indicium est, & deformitatis. Semper est misera quæ sibi non placet qualis est. Quid speculum consulitur, nisi quia ne ipsa sit timetur? Cultus mulieris pudicæ pudicus sit, adulterium nec in coloribus noverit. Luc. 23. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Dicimus de luto, quòd non fiet ex eo candela, neque de carne fiet spiritus.

Alterum est in Angelis quòd sint ministri, nobis multò vilioribus serviunt promptè. Adsunt in periculis, commonent ad bonum, quia DEUS regit inferiores per Superiores, ita terram per astrorum influxus, corpora per spiritum, nunquam ita hominem Angelus deserit; quin aliquod bonum circa illum operetur, avertat malum. Hic habemus opera pietatis quæ in hoc tempore exercenda sunt. Salvian. ad Ecclesiam l. 2. *Fatuarum Virginum numerum ideò tantummodò dixit Christus pœnis perennibus dandum, quia scit ei opus misericordiæ defuturum &c. Blandiuntur sibi, si saltem exigua largiaris. Nec ego abnuo, ut si ita ratio est, ita esse credatur. Parum detur si parum dedisse sufficit. Sed ego sufficere parum nescio imò parum non sufficere certò scio.* Vacandum uberiùs misericordiæ operibus, nec contenti simus corporalibus, etiam spiritualia adhibeamus. Docet Angelus ignorantem Danielem, visitat Petrum incarceratum, &c. Nihil agit perperam. Basil. in instit. Monach. c. 75. *Quid est perperam agere? Quidquid non propter usus necessarios, sed vel decoris causâ, vel ornatus alicujus fit, hoc est perperam agere.* Nihil agit malitiosè. *Ps.* 31. *Astitit omni viæ non bonæ, iniquitatem meditatus est in cubili suo, malitiam autem non odivit.* Talis sunt detrahere, invidere, persequi. *Omni viæ non bonæ* quærere modos nocendi.

Amant Angeli DEum, quia sunt ignis. In igne cœlum repetiit Angelus Judic. 13. Amor est, idem velle quod vult alter, vult DEUS sua præcepta observari. Et si non amemus DEum ait Basil. Instit. Monach. c. 3. *Quæ poterit ira esse major, quæ*

ultrò gravior, quàm hoc ipsum, si accidat nos esse alienos à charitate DEI quæ est in Christo Domino nostro? Sed iste amor opus in præceptis DEI servandis ostendatur. At verò Salvian. ad Ecclesiam lib. 6. *Quis locus majorum Christianorum virorum copias habet? caveané ludi publici, an templum Dei? Evangeliorum magis diligunt, an thymelicorum? verba Christi an mimi? non est dubium quòd illud magis amemus quod anteponimus.* Omnes pompas diaboli amplectuntur, omnes superbiam, omnes pejerant, &c. Non potestis bibere simul calicem Christi & dæmoniorum. S. Bern. epist. 2. *Calix dæmoniorum est superbia, calix dæmoniorum est invidia & detractio. Calix dæmoniorum est crapula & ebrietas. Quæ cùm impleverunt mentem & renem tuum, Christus in te non invenit locum.* Hinc est amor DEI, de calice hostis illius bibere? Dyonis. *Angelus est manifestatio occultorum hominis.* Hic manifestabit quomodò DEUM diligamus.

CONCIO XXVII.

Pro Dominica 4. Adventûs, Prima Concio.

Vox clamantis in deserto. Lucæ 3.

UTinam loco mei consisteret Epulo ab inferis evocatus, ipse diceret meliùs quàm sit terribile incidere in manus DEI viventis. De quodam qui tantùm per somnium à DEO judicatus, scribit S. Vincent. serm. 1. in Sexages. quòd totus incanuerit. De altero Discipulus serm. 9. qui post mortem clamabat. *Nemo credit, nemo credit, nemo credit, quàm strictè judicet DEUS, quàm severè puniat.* Erimus tunc in eo statu in quo ille qui in parietem impingit dum illum hostis insequitur. Sed hoc ipsum spectemus.

Incipiunt separare Angeli oves ab hædis. Tum apud justos benedictio, apud malos blasphemiæ. August. serm. 130. de temp.

Crux loco Solis & Lunæ radiabit & apparebit in frontibus electorum. O quàm durum, ducitur unus Frater ad thronum, alter ad patibulum. Unus ad coronam alter ad flammam. Et multò plures ad flammam. Jerem. 5. *Circuite vias Jerusalem, & aspicite & considerate, an invenietis virum facientem judicium & quærentem fidem & propitius ei ero.* 4. Esdræ 8. *Quomodò dabit terram multam magis unde fiat fictile, parvum autem pulverem unde aurum fit, sic & actus præsentis seculi.* Figura hujus Sodoma, quotnam ex ea salvati? Figura, Exod. 12. Sexcenta millia virorum præter vulgus, euntium in terram promissionis, & tantùm duo ex illis pervenerunt. Sed absque figura Eccl. 31. *Beatus est qui inventus est sine macula, &c. Quis est hic & laudabimus eum?* Ludov. Granaten. in Duce peccatorum lib. 1. cap. 26. ita discurrit. *Negare mihi non potes ex centum hujus terrarum orbis partibus vix unam esse Christianam, & ex nonaginta ne unam quidem esse salvandam.* Profertur decretum. *Venite Benedicti, ite maledicti.* Discedite in exilium, jam vos exhæredito, jam vos proscribo, jam vos igni æterno addico. Hieron. ep. 1. ad Heliod. *Judicaturo Domino lugubrè mundus immugiet, tribus ad tribum pectora ferient, potentissimi quondam Reges nudo latere palpitabunt,* dum se inter hædos conspicient. De illo decreto Jer. 23. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet, non revertetur furor Domini usq; dum faciat, & usq; dum compleat indignationem cordis sui.* Tunc maledicent diei in qua nati sunt. Intellectus apprehendet pœnas æternas, occurrent voluptates præteritæ, & earum vanitas. Tunc mugitus orietur ut bestiarum. Tum desperatio, videndo quid amiserint, & facilè habere potuerunt. Ps. 111. *Peccator videbit & irascetur, dentibus fremet & tabescet.* Maledicent Omnipotentiæ DEI, quòd illos creaverit & non annihilet; Sapientiæ quòd sciat illorum omnia. Sanctis &c. Omnibus doloribus corripientur. Oculi cruciabuntur

buntur aſpectu dæmonum, ex quibus cùm unum vidiſſet noctu quidam Monachus, de quo Bern. in Pſ. *Qui habitat.* totâ die vix compos ſui erat. De aliis Caſſian. Quòd cùm vidiſſent dæmonem, deinceps nec ſoli habitare, nec dormire potuerunt. Aures, acſi conſiſteret inter mille vivos palis infixos. Olfactui objicientur totius mundi ſordes. Pejor erit fœtor de corporibus quàm dum Arriani Catholicos 4996. in unum arctum & diuturnum carcerem compreſſerunt. De quo Victor African. l. 6. de perſecut. Vandal. Pejus quàm ſi putrido cadaveri alligareris. Guſtus, *Fel draconum vinum eorum, venenum insanabile.* Tactus, Pſ. 20. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, pars calicis eorum.* Cypr. ſerm. de Aſcenſ. *In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur.* Quæ concordia? Iſai. 9. *Succensa eſt quaſi ignis impietas, unusquiſq; carnem brachii ſui vorabit, Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen.* Dæmones augent pœnas. Jer. 24. *Dabo impios in vexationem afflictionemq;, in opprobrium.* Omnia contraria ſimul Job 24. *Ab aquis nivium transeunt ad calorem nimium.* Simul ignis & tenebræ, calor & frigus, fletus & ſtridor dentium. Ipſa nomina inferni in Scriptura poſita, quid non ſonant terribile? Lacus, miſeria, ſtagnum, terra miſeriæ, tenebræ, tartarus ſeu conturbatio, domus diaboli. *Ibi,* ut Bern. *clamabit dæmon ad dæmonem, percute, dilacera, interfice, velociter ſpolia, detrahe, citò prædare, infer prunas & ebullientibus impone lebetibus.* Ignis qualis? Anſelm in elucid. *Ardet non lucet, nutritur ſulfure æterno.* Iſai. 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis, de manu mea factum eſt hoc vobis.* Ezech. 28. *Et ducam ignem de medio tui qui comedat te. Qui alii cruciatus?* Baſil. in Pſ. *In fine mundi fex omnium elementorum, & proprietates eorum læſivæ, virtute divinâ ſeparabuntur ab eis, & ad malorum cruciatum mittentur ad infernum.*

Sed nunquid non apponet DEUS misereri? 1. Reg. 15. *Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur.* Illi miseri erunt velut in rota, ubi finis speratur initium est. Psal. 28. *DEUS meus pone illos ut rotam.* Quàm diu tormenta durabunt? Ps. 76. *Vox tonitrui in rota.* Job 24. *Obliviscetur misericordiæ suæ.* Aug. 21. de Civit. *Non enim nulla sed sempiterna mors, quando nec vivere poterit anima DEum non habendo, nec doloribus corporis carere, moriendo.* Si alicui in pœnam imponeretur, ne per annos decem de lecto, etsi molli, surgeret. S. Th. 1. p. q. 10. a. 1. *Æternitas est duratio immutabilis, indeficiens, carens omni successione, tota simul existens.* Ista æternitas in inferno, ut Greg. 9. Moral. est *Mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit.* O quis mihi daret scipionem S. Patritii ut illo aperirem infernum, ut hæc quæ dico spectare possitis. Videremus Cainum, interrogaremus, transiitné pars aliqua pœnarum &c.? Interrogaremus Epulonem. *Sepultus est in inferno*, inter vermes, tenebras, fœtorem, immobilis, sine auxilio. Vos hìc estis filii regni qui foras ejecti estis! vos qui de sinu DEI in fauces draconis! vobis parabatur Angelorum obsequium! vos Sponsa Filii DEI! quomodò cecidisti Lucifer? quomodò Sion facta es Babylon? non quiesces in æternum, vigilabis, esuries, &c. *Congregabo super eos mala*, ut milites sub vexillum. Ista semper affligent. Quid est, semper? Greg. 27. Moral. 26. *Cùm homo de æternitate disserit, cæcus de luce loquitur.* Nazianz. *Æternitas nec tempus, nec tēporis pars ulla est.* De æternitate tolle quot placet annos, millia annorum, & hoc facias millies, non est minor facta. Isai. ult. *Ignis eorum non extinguetur.* Cogitate vos colles mundi, vos summa ingenia, quid sit æternitas? Ps. 31. *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Defecerunt scrutantes scrutinio.* Nemo explicabit.

Et ca-

Et tamen hæc æternitas à momento pendet. Et tamen quæ agimus, pro æternitate agimus! *Intelligite hæc qui obliviscimini DEum, ne quando rapiat & non sit qui eripiat.* Intelligite divites, intelligite pauperes, &c. Non erit *qui eripiat.*

CONCIO XXVIII.

Pro Dominica 4. Adventûs, Altera Concio.

Videbit omnis caro Salutare DEI. Lucæ 3.

VErba in themate proposita sunt prophetia de tempore, quo sunt omnes credituri in Christum, sed simul describitur in illis vita æterna, quando omnis Electus visurus est DEUM, quando homo sitiens, veniet ad fontem ex quo in illum rivuli sanitatis, scientiæ, divitiarum, potestatis defluebant, licet impuri, quia per terram limosam. Quare datur mihi occasio dicendi de beatitudine æterna.

S. Joannes Evang. utpote qui hausit Theologiam de pectore DEI, statim hunc fontem ostendit omissis illis quæ sunt circa illum, ut sunt dotes corporis, gaudium sine tristitia. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te DEum.* Modò cùm aliquid videmus, in nostros oculos intrant species rerum visibiles: ibi verò mentem nostram intrabit ipse DEUS, & ut illum possimus recipere confortabit mentem nostram per quandam qualitatem, quæ vocatur lumen gloriæ, sicut ut quis dignitatis Senatoriæ sit capax, priùs debet esse in Polonia Nobilis. Expressit hoc Salomon. *Ego sum flos campi.* Coronæ olim convivis & Victori parabantur ex floribus, ecce DEUS flos campi. De hac corona Paulus. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Si DEUS est corona quæ ornat, igitur DEUS nos ornabit qui est omne bonum, omne robur, omnis sapientia, omnis vita, omnis superioritas, omnis pulchritudo, omnes divitiæ, omnis lætitia, omne solatium,

omnis mali incapacitas, &c. *Coronabit nos in miserationibus.* Ex hoc nascetur in nostro intellectu cognitio magna SS. Trinitatis, Patris nostri qui nos genuit, quem hactenùs non novimus, nascetur Artificis cujus fabrica sumus. Videbim⁹ in eo plurima quæ potest facere, novos cœlos, novos mundos. Videbimus quæ in mundo fuerunt, & quæ sunt in eo futura, quibus viis suos Electos ad salutem duxit. Voluntas nostra ad illum modò anhelat. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Ibi se in isto fonte merget juxta illud. *Intra in gaudium Domini tui,* non gaudium in te intrabit, quia illud non caperes. Et quia non solâ animâ constamus, etiam corpus de felicitate participabit. Ibi visus habebit omnia quæ DEUS ad illum oblectandum faciet, ut jam non possit hortorum amœnitatem, florum pulchritudinem, palatiorum ordinem, desiderare. Videbit affines, Patronos SS. quæ ars aliqua ab initio mundi excogitavit, fontes mirificos, plantas, &c. Auditus audiet melos, quale cuidam Eremitæ dum est per aviculam exhibitum, centum annos putavit esse unam horam. Gustus recreabitur non jam mannâ quod in se omnem continebat saporem, non jam pomis illis quæ attulit Angelus S. Dorotheæ, non pomis paradisi de ligno scientiæ, sed aliquo ampliori. Olfactus habebit omnes odores gratissimos. Tactus omnes voluptates demptis sordibus. Non pugnabunt qualitates in corpore. Insuper, *Cæli enarrant gloriam DEI.* Cujuslibet cœli est motus proprius, Solis, Lunæ, &c. Sed ita alteri consonat veluti illius esset: volet quisque Beatus quod libuerit, sed ita cum DEO ac cœteris Beatis cohærebit, ut idem velint. Et hoc totum est æternum.

Quæ in terra habent Reges, pulvis est & minùs respectu cœli. Cogitemus quas unquam delicias audivimus, nihil est. August. *Quid dabit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædestinavit ad mortem? hæc omnia miserorum*

sunt,

sunt damnatorumq́, solatia, non præmia beatorum. Si hæc dantur capite plectendis, quid coronandis? circa hoc suam magnificentiam DEus ostendit. Ps. 39. *Date magnificentiam Deo nostro.* Aug. *DEUS totus simul oblectat.* Quid tamen Beatos specialiter oblectabit? illud quod illos specialiter ad amorem DEI accendet. Hæc omnia ita pro meritis accipient, ut simul donum in iis agnoscant. Opera nostra, sunt DEI quia nos sumus illius propter creationem, sicut quòd benè sonet horologium artifici tribuitur. Sunt illius propter redemptionem, sicut illius sunt fructus agri qui emit agrum. Sunt illius quia nos ad illa excitat, ad peragenda juvat, & id quod est nostrum in illis. *Non sunt condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Si DEUS pro his daret ut sine tædio, molestia, satis securi essemus, etsi non beati, satis esset. Et ecce omni bono & æterno præmiatur tanquam ex debito. O bone DEus quàm es magnificus! quantùm nos amasti! Bonav. *Antequam tu, vel aliquis homo, vel Angelus, vel cœlum, vel terra esset, & certè antequam esses tibi regnum præparaverat, & Filium pro te mori fecerat.* Hæc bona nobis paravit antequam nostra merita vidisset. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Hæc est una vox Sanctorum. Parùm est, ipsemet *transiens ministrabit illis.* Cujusq́ue gustui attendet ne quid desit, ipse qui omnem contentationem in sua manu habet, ministrabit sapores odores, &c. Quis? nobis. O Domine ait S. Thomas Angel. *ita me amâsti, quasi quilibet homo esset DEI DEUS.* Quid aliud faceret si Deos quospiam convivio exciperet? *Ministrabit.* Et ad hoc ministerium se præparavit Rom. 5. *Cùm adhuc peccatores essemus.* Et expectavit, excitavit ut ex peccatis surgeremus, & hoc non semel, ut nobis ministraret. Bonavent. *Tantùm me diligis DEUS meus, ut te odisse videaris.*

Inci-

Incipiamus jam amare hunc Dominum. Dicamus cum S. Mechtilde. *Mallem mori quàm minimâ noxâ à te ô bone JESU separari.* Dicamus cum Paulo. *Qui non amat D. JESUM anathema sit.*

CONCIO XXIX.

Pro Feria Secunda post Dominicam 4. Adv.

Parate vias Domini. Lucæ 3.

SIcut DEUS dat præmium quàm diu est DEus, id est, per omnem suam æternitatem; ita homo debet illi servire quàm diu erit homo, id est ad mortem. DEUS de se ait, Ego sum α & ω principium & finis, non est perfectus circulus nisi finis jungatur principio, nisi à DEO incipiamus & in DEO finiamus. Multi parant viam ad Dominum, sed deficiunt, incipiunt vitam emendare &c. & tandem ad Dominum non perveniunt. Causas hujus inconstantiæ aperiam, ut vitemus.

Triplex hujus rei frequentiùs est causa. Exemplum aliorum, adversitates, & orationis defectus. Exemplo Clerici Clericus, mali Religiosi Religiosus &c. trahitur. Videt hunc ita vestiri, indevotum, &c. & ipse imitatur. Peccant vehementer qui malum dant exemplum, & magis qui ad dandum bonum sunt obligati, ut Ecclesiastici, & Domini. Greg. hom. 16. *Quò cæteris prælati sumus ad agenda qualibet majorem licentiam habemus, &c. Sed nos pereunti populo authores mortis existimus qui duces debuimus esse ad vitam. Ex nostro enim peccato populi turba prostrata est,* & tot animarum mortis rei sumus. Sed etiam qui imitantur peccant. Et hoc ipsum erit in fine mundi. Matth. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Sed qui iniquos imitantur in culpa, sequentur in pœna. Et solus qui in bono perseveraverit. salvus erit. Qui defecerit damnabitur, neque

neq́ue poterit mercedem pro beneficiis prioribus petere, sicut qui thesaurum suum & alicujus defert per plura milliaria, & tandem in ultimo abjicit illum in mare, quid ex illo thesauro ipsi supererit? thesaurum portamus in vasis fictilibus, in eo sunt virtutes nostræ, sunt DEI dona non eum demergamus. Audiant & illi qui non solùm factis sed & dictis alios scandalisant, qui laudant vitam dissolutiorem, lascivos jocos &c. Greg. Past. p. 3. *Opera per semetipsos solùm prava perpetrant, ore autem per tot personas iniquitatem exhibent, quot accidentium mentes, iniqua laudantes docent. Admonendi sunt ut eis perditio privata sufficiat. Isai. 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec abscondérunt. Gen. 18. Clamor Sodomorum ascendit ad me.* Exaudietur.

Altera causa inconstantiæ sunt tribulationes; sed sicut mare non potest esse quin aliquando sint fluctus; sicut aër, quin aliquando pluvia & venti: ita nec vita nostra, quin aliquando dolor & afflictio. Sed nec fluctum nec ventum curare debet viator, & pergere, qui vult esse in termino; maximè si sciat quòd multos cum illorum damno, quando minimè putant, retrahi contingat de via. Nescimus quando retrahemur. Et si ad terminum non pervenerimus miserrimi erimus. Fugimus ab hoste, dum emendamus vitam, & tantùm ab illo recessimus, quantùm nos emendavimus; & quantùm illud? At verò, non progredi in via salutis est regredi. Sed tribulatio turbat; in majorem devenies, si ad hostem redieris. An ignoramus quòd pessimè de nobis agatur; Si absq́ue cruce vivamus, tum enim Christum ad regnum non sequimur. Ps. 72. *Dejecisti eos cùm allevarentur.* Explicabit hoc S. Bern. serm. 42. in Cant. qui ita ad DEUM. *Non cùm nescio, sed cùm sentio te mihi iratum, tunc maximè confido te mihi propitium, etenim cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis. Ps. 98. DEUS tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum. Moysen alloquitur, & Aaron, atq́ Samuelem,*

muelem, quos modò præmiserat , & hoc vocat propitiationem, quòd eorum DEUS non pepercit excesfibus. Imò cùm affligeris tantò magis in virtute profice, quia certior redderis quòd pro illa in cœlo præmium accipies. Nam te diligit DEus & pro filio habet, cùm aliis parcit, tibi non parcit. Faciunt aliqua pueri vitiosa in platea, exit vir de domo, uni dat alapam alios relinquit. Cur isti? quia est filius ejus, alii ad eum non spectāt, ita & Deus facit. 1. Petr. 4. *Tempus est ut incipiat judicium à Domo DEI.* Cur ab hac? Greg. 26. Moral. 17. dat causam. *Ira judicii à nostra hîc correptione inchoat, ut in reproborum damnatione conquiescat.* Hîc filios castigat, & hostibus parcit, quia se ibi de illis vindicabit. *Reproborum nequitiæ hîc quidem inultæ proficiunt, sed inposterum feriuntur.*

Tertia inconstantiæ causa, quia per orationem non recurrimus ad DEum, & ita nos igne cœlesti non calefacimus. *Os meum aperui & attraxi Spiritum.* Nempe Sanctum, qui in nostris cordibus ignem excitat & ipse est ignis. Sine illo non possumus esse constantes in bono. Aug. lib. de correct. Et gratia cap. 6. *Si dixerimus istam perseverantiam tam felicem & laudabilem sic esse hominis, quòd non sit ex Divino muere, evacuamus id quod dixit Christus Petro. Ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua.* Orandum est, & ferventer, quia de re magna agitur, neque illam impediant occupationes. Ps. 118. *Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi.* De quo Chrysost. in Genes. hom. 30. *Nos in mollibus stratis recumbimus, & inversamus latera. Rex tantis vinctus curis somni tempus ad DEUM accedendi faciebat, & rationibus suis bella conficiebat, trophæaq; statuens victoriam victoriâ copulabat. Imitemur privati Regem, otiosi eum qui in purpura & diademate Monachorum vitam transcendit.* De S. Posthumio in vitis PP. scriptum. *Si aliquando valetudo gravis debilia genua fatigaret, ita ut ad vigilias surgere non valeret, orando & psallendo in stratu suo non desinebat. Si lingva præ siti siccaretur, cordis intima rugiebant, ne si-*

ne silentio ejus hostis animæ diabolus lætaretur, aut in opere vir sanctus negligens inveniretur. Orationi adjungetur humilitas, & sic oratio cœlos penetrabit si consideremus illud 1. Cor. 10. *Qui stat videat ne cadat.* Hostem habemus potentissimum. 2. Reg. 26. Syriæ Benadab jactabat se de viribus suis. Dixit illi Rex Israël. *Non glorietur accinctus æquè ac discinctus.* Nondum est finis belli, nondum gladio discincti sumus.

CONCIO XXX.

Pro Feria Tertia post Dominicam 4. Advent.

Rectas facite semitas ejus.

IN proximo est Dominus, veniet, paranda illi via, dirigendæ semitæ. Nam ad aliquos veniet per viam, ad aliquos per semitam. Aliquos palam, aliquos secretè accedet. Olim palam cùm in stabulo natus, modò venit occultè, non videtur; tamen est idem, & cùm nesciamus modò quando venturus, oportet semper esse paratos.

Sicut variis modis venit ad nos Dominus, jam cor pulsando, jam in Sacramento, jam in morte, in judicio, &c. Ita ad omnia sint nostræ semitæ directæ. Una olim via Nativitatis, nunc multæ semitæ, ad omnes oportet advertere, & rectas facere. Quia verò nescimus quando venturus. Oportet statim aggredi laborem, & paratos esse, ut dicere possimus. *Loquere Domine quia audit Servus tuus.* Quidquid dixeris, faciam. Hæc semita si fuerit recta, etiam aliæ facilè dirigentur. Bern. serm. 3. in Resurr. Dom. *Quid odit DEUS, aut punit præter voluntatem propriam? cesset voluntas propria, & infernus non erit, in quem enim ignis ille desæviet nisi in propriam voluntatem?* Propria voluntas est, cùm non DEUM ad cor loquentem, per se, vel per suos legatos, audimus, & DEUS dicit, non me sequimini, sed

vosmetipsos. Clamet DEUS, confitere, dimitte inimicis &c. nihil fit. Per hoc cecidit primus homo, quia voluntatem suam maluit, quàm DEI. Propterea Christus qui venit ad reparandum Adami lapsum, semper non suam sed sui Patris voluntatem se facere testabatur. Quia per alias virtutes nostra DEO damus, cùm verò illi obsequimur, nosipsos tribuimus. Quid vult DEUS nisi ut obediatur voci ipsius? *Hodie si vocem ejus audieritis &c.* Unde Greg. lib. 2. in Reg. 3. *Si in malo inobedientiæ* Adami, *mors prævaluit, toties vita reddimur, quoties obedimus, &c. Ad promerenda vitæ æternæ gaudia, non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propria, & executio alienæ voluntatis.* Scotus docet, quòd Christus eo instanti quo conceptus est, Patri obedientiam sit professus. Anima DEO obediens assimilatur curribus Pharaonis. Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Habuit Salomon currus Ægyptios pretiosissimos, & equites, ut patet ex 3. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. Sed tamen fuerunt omnes obedientissimi.

Vocat DEUS Ethnicos, vel repræsentando pœnas, ut Nabuchodonosori, Balthasari. Dan. 4. & 5. vel per homines ut Ninivitas, per Jonam, vel per exaltationem æmuli ut Aman exaltato Mardochæo, Esther 6. Vocat Hæreticos, per tot libros eorum detegentes errorem, vel per sangvinis profusionem Fidelium. Vocat peccatores per internos instinctus. Vocat ad restituendum, deserendos malos socios, vitam arctiorem amplectendam. Cyrill. Jerosol. Cathechesi 1. *Quemadmodum qui milites sunt conscripturi, ætatem & corpora diligendorum ad pugnam diligenter excutiunt, sic & Dominus delectum faciens animarum voluptates illorum scrutatur.* Sed quando DEO non obeditur Jer. 8. *Immittā vobis serpentes regulos quibus non est incantatio.* Quæ verba Moral. 34. c. 10. sic explicat Greg. *Ac si diceret. Justo judicio talibus vos immundis spiritibus tradam, qui à vobis excuti exhortatione*

tatione prædicantium, quasi incantantium sermone non valeant. Et jam fit in statu miserabili anima. Si quis tibi insinuaret, tuam vestem corrodunt tineæ, certè illam excuteres. DEUS insinuat, non audis! Felicianus Arelaten. Episc. *Rogo vos Fratres, quid tam malè meruit de vobis anima vestra? quòd vel tantam custodiam nolumus ei impendere, quantam vestibus nostris adhibemus.* Et tamen anima pretiosior omni veste. Bern. serm. 3. in Adv. *Si stillantem in cruce sanguinem Domini collegissem, essetq; repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpiùs oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? & certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utiq; Sapientia, sanguinem illum dedit.*

Sed non satis est vocanti Domino, sola verba, & bona proposita dare, opus est quàm primùm exequi, Prov. 19 *Abscondit piger manum suam sub axilla, nec ad locum suum porriget illam.* Quare Ps. 77. *Filii Ephrem arcum intendentes, & mittentes sagittas, conversi sunt in die belli.* Contendunt arcum, faciunt proposita bona, sed cùm est tempus belli convertuntur, cùm faciendum, nihil faciunt; pati proposuerunt, sed ubi se patiendi occasio obtulit, sunt impatientes &c. Restituere constituunt, humiliare se, injuriam condonare. Greg. hom. 21. in Ezech. *Convertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentatione vitiorum, & pectus opponere nolunt.* Quid deinde fit cum illis? Psal. 88. *Avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello.* Non adjuvat DEUS illis specialibus auxiliis, & sequitur induratio, qualem videmus in Judæis, quibus toties DEUS dixit, ut Christum in Messiam reciperent, Oseæ 12. *Ego locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* In operibus Prophetarum, quæ fuerunt mei figuræ. Nunc quidquid dicas Judæis, induratur cor illorum ut incus malleatoris ad ictus mallei. ut dicit

dicit Job 41. Tunc qui nolebant recipere Spiritũ veritatis, recipiunt Spiritum erroris. Zach. 11. *Assumpsi mihi duces virgas, alteram vocavi funiculum, alteram decorem.* Trahebat antea per funiculum hic Pastor, non per funem, quia noluit libertatem lædere: jam utetur virgâ decoris, quando in decore Majestatis spretæ agit, & justo suo judicio erga se contemnentem utitur. Jam qui ad cor stabat, deambulat. Ita factum Adamo. Gen. 3. de quo Greg. 28. Mor. 2. *Quid est quòd post peccatum hominis Dominus in paradiso jam non stat, sed deambulat? nisi quòd inventâ culpâ, se à corde hominis motum demonstrat. Quid est, quòd ad auram post meridiem? nisi quòd lux veritatis ferventior abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant. &c. quatenus homo per deambulationem, amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, & per auram fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret, & per declinationem Solis cognosceret, quòd ad tenebras propinquaret.*

CONCIO XXXI.

Pro Feria Quarta post Dominicam 4. Advent.

Omnis vallis implebitur, &c.

Audivit aliquando S. Dominicus, ut scribit S. Vinc. Dom. 4. Adv. serm. 4. cantilantem sibi dæmonem. *Magis & magis; minùs & minùs.* Et eodem explicante intellexit, quòd dæmon expectat, ut homines aut plùs faciant, aut minùs quàm expedit. Hoc est, ut sint colles aut valles, & nihil planum. Quia enim virtus in medio inter excessum & defectum, vitia opposita sunt aut valles aut colles, ut viam Domino paremus, opus colles tollere &c. De singulis virtutibus longum esset, solas Cardinales accipio.

Omnis virtus in medio, sic fides inter Atheismum & vanas ob-

nas observationes. Spes inter præsumptionem & desperationem. Amor DEI qui consistit in observatione DEI mandatorum inter laxitatem conscientiæ & scrupulositatem. Virtutes sunt ut via plana quæ non habet montes, colles, valles. Sed de Cardinalibus. Incipiamus à Prudentia. Sine hac omnes virtutes nullæ sunt. Quare valles & colles imprimis complanandæ in ea. Vallis est stupiditas, collis vafrities, ex hac oriuntur deceptiones in ponderibus, mensuris, laboribus opificum: in reddendis tributis fraudes. Ex fatuitate decipimur, cùm v. g. quis ita jejunat ut se ad omnia inhabilem reddat, omni spiritui credat, visioni &c. tollendi colles, implendæ valles. Sed in rebus salutis prudentia haberi non potest nisi humiles simus. Greg. in Ps. 3. Pœnit. *Tunc homo lumen intelligentiæ habere incipit, cùm cæcitatis suæ tenebras recognoscit.* Prudentia Christiana, juxta quam etiam omnia sæcularia negotia optimè procedunt, quia est solida, non fuco induta, non instar bullæ inflata, qualis est mundi prudentia; consistit in regulis quas fides dictat. Ut nullius rei causâ pecces. Primò cura Divina, postea humana. Proximo æquè benè velis ac tibi. &c. Alioqui nec temporalia succedent. Videbitur tibi consilium esse sapiens, sed si fuerit contrarium dogmatibus fidei, in nihilum recidet.

Complananda sunt etiam omnia circa justitiam, & hæc in plano, in medio est. Hæc docet reddere cuique quod illius est. Solvere operariis quod justum, honoribus cumulare ut quis meretur, punire non amplius nec minùs quàm culpa exigit. Sap. 1. *Diligite justitiam qui judicatis terram.* Non respiciendæ personæ in judicio sed causa; non odia, amicitiæ, affinitates. Deut. 1. *Ita parvum audietis ut magnum, non accipietis cujusquam personam, quia DEI judicium est.* DEUS loco sui in terra constituit Judices. Ita debent judicare sicut ipse. Nunquid aliquis apud
DEUM

DEUM lucratur contra pauperem causam iniquam? nunquid non æquè Regem damnat fornicatorem atq; mendicum. Imò non solùm ad causas, sed etiam ad circumstantias aggravantes respicit in divite Salvian. de gubernat. lib. 4. *Si fures servi sunt, ad furandum egestate fortè compelluntur, &c. Si mentiuntur &c. &c. Tu verò nobilis, tu verò dives, qui omnibus bonis affluis, &c.* Sed de nostris temporibus servit lamentum. Abac. 1. *Usquequò Domine clamabo & non exaudies, vociferabor ad te vim patiens, & non salvabis? Quare ostendisti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & injustitiam contra me? Et factum est judicium, & contradictio potentior, lacerata est lex, & non pervenit ad finem judicium, quia impius prævalet adversùs justum, propterea egreditur judiciũ perversũ.*

Fortitudo etiam hæc habet excessus & defectus à suis lateribus Greg. Moral. 31. c. 14. *Valdè praceps est qui semper se adversis objicit, & valdè pavidus qui semper abscondit.* Fortitudo est recta, est in medio. Nihil propter metum omittit, nihil temerè aggreditur. Exemplo malo in malum non pertrahitur, charismata æmulatur meliora. Tribulatione non pertrahitur ut aliquid contra DEUM faciat. Temerarius est qui se in occasionem peccati infert. Pusillanimis qui timet quasi non posset servare DEI præcepta. Tertull. lib. de fuga. *Times hominem Christiane, quem timeri oportet ab Angelis? Angelos siquidem judicaturus es, quem timeri oportet à à dæmoniis, siquidem & in dæmones accepisti potestatem, quem timeri oportet ab universo mundo, siquidem in te mundus judicatur. Christum indutus es, siquidem in Christum tinctus es.* Tentatio virum ostendit qualis sit. Quis scivisset fortitudinem trium puerorum nisi Chaldæi succendissent fornacem? quis Susannæ, nisi Senes minati fuissent. &c.

Ultima est Temperantia, & circa hanc sunt quæ complanantur. Et hæc in medio est, nec nimis multùm evadere, nec nimis

nec nimis parùm, bibere, dormire, recreari &c. contra temperantiam peccat qui pœnitentiam agit cui vires ſunt impares: item qui valdè modicam. Rom. 12. *Sit rationabile obſequium noſtrum.* Nam neque quod eſt minùs, neque quod eſt plùs, placet DEO. Ab his qui majora ſuſtinere non poſſunt, recipit DEUS, ſi faciant quod poſſunt. Cavendus fervor nimius ad quem ducit dæmon ut cùm deinde illis virtutem reddiderit gravem, faciat & exoſam. Contigit hoc tempore S. Bernardi; ſerm. 33. in Cant. *Ipſi experti eſtis, quòd quidam, ad verecundiam illorum dico; qui antè inhiberi non poterant, in ſpiritu vehementi ad omnia ferebantur: poſt, ad tantam ignaviam devenerunt, ut ſecundùm Apoſtolum, cùm ſpiritu cœperint, carne conſummaverint, qui turpe inière fœdus cum ſuis corporibus, quibus crudele antè indixerant bellum. Videas, prô pudor! importunè ſuperflua quæritare, qui priùs obſtinatiſſimè rejiciebant.* Cavenda ex altera parte remiſſio damnabilis. Nam tepidus tandem frigeſcet. *Reſpicere retrorſum,* ait S. Anton. in vitis PP. *nihil eſt aliud quàm in eo pœnitere quòd cœperis, & mundanis rurſus deſideriis obligari.* Monet S. Ephrem. lib. de compunct. cordis. *Attende tibi, ne te velis ſegnitiei & negligentiæ tradere, quia principium quidem perditionis eſt negligentia, & omnis inobedientia, quæ quidem per modicas occaſiones irrepit, poſtea verò totum hominem obſidens omne ſtudium religionis refugit imitari.* Veniet tempus quando DEUS valles & colles examinabit quomodo ſunt complanati, an vera prudentia fuerit? &c.

CONCIO XXXII.

Pro Fer. 5. poſt Dominicam 4. Adventûs.

Omnis collis humiliabitur, &c. Luc. 3.

QVod paulò poſt cantabunt Angeli. *Et in terra pax &c.* Ad hoc conſequendum dare videtur medium Joannes.

Omnis collis &c. Unde enim in nobis bellum, nisi ex inæqualitate? Corpus est terra, Anima spiritus. Cum proximo bellum, quia quis illi præfert se, vult illi, aut illius rebus dominari. Cum DEO, quia non vult legi ejus subesse, extollit se. Complanabo hos colles, has valles implebo, ut sit pax, & sic DEUM pacis venientem excipiemus ut decet.

Homo ex diversis naturis est compositus, veluti si bovi alligaretur aquila. Ista volare, hic ambulare: ista appetit alium cibum, ille alium, hinc lucta; sed si posset reperiri tam ignava aquila, quæ in bovis naturam transiret, comederet fœnum ut bos &c. monstrum. Si etiam bos volaret, esset miraculum. Et tamen ut inter ista duo pax esset, alterutrum fieri deberet. In nostra potestate est, vel animam dejicere ad statum bestialem, vel corpus attollere ad similitudinem spiritûs, quid eligendum? Si fiamus bestiæ, dicetur de nobis. *Putruerunt ut jumenta in stercore suo. In inferno positi sunt ut oves, mors depascet eos. De carne metet corruptionem,* Si fiamus spirituales, mortem non gustabimus, resurget corpus spirituale. Ergo pugna nõ cesset, donec caro subigatur spiritui. Pugna erit. Curã carnis in desideriis non feceritis, solùm necessaria illi dãda non quæ desiderat. Appetit jacere in fimo luxuriæ, appetit plus edere, otiari &c. Si nõ est necesse prohibeatur. Durum hoc quidem erit. Sed cogitate *Mors depascet, eos.* Ambr. 1. offic. 38. *Quæ difficilè quidem sustinentur, sed quia omnia supplicia graviorum suppliciorum vincuntur formidine, ideò si consilio firmes animum tuum, nec à ratione discedendum putes, & proponas Divini judicii metum, perpetui supplicii tormenta, potes animi subire tolerantiam.* Consideranda & cœli præmia. *Similes ei erimus.* DEO ditisſimo, felicisſimo, &c. Pax turbatur cum proximo, propter colles & valles. Vellemus ipsum esse vallem. Si exsurgere incipiat in collem, invidemus. Sunt qui volunt vallem, vi, res proximi auferendo, destruendo, non salvando: sic & hìc æqualitas, non illa quidem

quæ in terra, aliàs omnes deberent esse divites, vel omnes pauperes &c. Sed quæ est inter membra nostra. Nobilius est caput pede, tamen illum non contemnit, imò servit illi dirigendo. Major manus oculo, non ideò obruit oculum &c. Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus. Omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo.* Quid lucraretur manus una si alteram occideret? Ipsa certè maneret misera. Hoc & nos lucramur cùm proximum lædimus. S. Ephrem. lib. de vera pœnit. *Qui odit Fratrem suum cum venefico & homicidà judicatur.* Nec solùm debemus carere odio, sed opus est ut diligamus. Greg. Pastor. p. 3. *Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram DEO, diligere. Quia hoc solùm sacrificium DEus accipit, quod antè ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.* Ora, & fac quod vis, si in odio es, DEUS non acceptabit. Quid de illis qui seminant zizania discordiarum. Si Matth. 5. *Beati pacifici quoniam filii DEI vocabuntur.* Itaque de illis qui pacem destruunt, dici potest. *Maledicti, filii diaboli vocabuntur.* Ita argumentatur lib. cap. S. Greg.

Etiam cum Deo pax læditur, cùm læditur æqualitas quæ debet esse inter Dominum & servum, quantùm enim Dominus beneficiorũ confert, tantùm serv9 debet esse gratus. Æquare DEI beneficia non possumus, saltē obedientiam circa ejus mandata & reverentiam illi præstare debemus. Præcipuè ne illo relicto quis hostem accedat: eunt, cùm res perdita, ad sagas; ad divinatores, cùm proles, aut pecus infirmatur. De his decretum dicit 26. q. 7. c. Non observetis. *Qui talibus credunt, aut ad domos eorum vadunt, aut in suas domos introducunt ut interrogent, sciant se fidem Christianam & Baptismum prævaricari: ut paganum & apostatam, & DEI inimicum, iram DEI graviter in æternum incurrere.* Idem de aliis præceptis. Quare Job 22. *Acquiesce ergò ei*

gò ei & habeto pacem, & per hac habebis fructus optimos. Hæc inobedientia oritur ex inæqualitate, quia se non vult servus Domino subjicere. *Initium omnis peccati superbia.* Ex hoc procedit perjurium, quia non æstimatur nomen Domini ut oportet. Ex hac, quòd dies festi convertantur in diem mercatûs. Ex hac hypocrisis, quando facimus bona ut videamur ab hominibus, ubi autem à DEO videmur nihil boni agimus; ex hac irreverentia erga DEum, in rebus sacris, narrat S. Vinc. Conc. de Superbia. De quodam qui tempore elevationis sacræ hostiæ in Missa, genu non flexerat, quòd eum diabolus medium secuerit, his adjectis, si DEUS pro nobis tantùm fecisset quantùm pro te, semper maneremus genu flexo. Et sic ille homo malè mortuꝰ & damnatus. Ex hac superbia procedunt blasphemiæ, In qua fit Deo convitium. Ex hac vanitas in ornatu præsertim in mulieribus, quæ caudas faciunt ut vulpes, cornua ut hirci, alas ut papiliones. Apud quasdam gentes, ut patet ex S. Vinc. lib. cap. Papilio pictus antè domum exponitur in signum quòd in ea scortum habitet. Unde addit. *Si equus venalis non est, quare signa venalitatis portat? solent equorum venditores equis suis, imponere ramum, vel aliud signum super capita eorum, vel in caudis, in signum, quod velint vendere. Ita mulieres imponunt ornamenta capitibus suis, in signum, quòd corpora eorum venalia sint.* Quare id Mariti permittitis uxori, quod non permitteretis equo vestro fieri? Sicut quando cōtegitur in speciosè feretrum signum est quòd ibi sit cadaver. *Sic in corpore ornato, signum est, quod ibi sit anima mortua.* In istis caudis est ignis ille exurens frumenta, qui fuit in caudis vulpium Samsonis. Ex Superbia deniq́ue est ambitio. Reducere se oportet ad æqualitatem servi cum Domino. Sumus pulvis, ille est infinitus Dominus. Quid anima nostra fuit antequam crearetur, & cujus beneficio creata est? quid corpus? Qui fecit ex Angelis dæmones, non potest ex nobis facere pe-

jores

jores dæmonibus, cùm creatura in infinitum possit esse vilior? Sed Ps. 30. *Retribuet abundanter facientibus superbiam.*

CONCIO XXXIII.

Pro Feria Sexta post Dominicam 4. Adv.

Omnis Mons & collis, &c. Luc. 3.

SUblatâ superbiâ quæ est mons tantoperè impediens viam ad nos Domini, ut nec per eum fides transire possit. *Quomodo potestis credere qui gloriam accipitis ab invicem?* hinc Superbia mater hæresis. Superest collis complanandus avaritiæ. Nam etiam iste obest. S. Thom. 2. 2. q. 119. a. 3. Avaritia habet speciem idololatriæ. Unde S. Bern. in Nativ. Dom. serm. 5. *Pauperibus atq; laborantibus, non vobis divitibus, qui habetis vestram consolationem, & va Divinum, inter istas vigilias noctis, dies sanctificatus illuxit.* Humiliemus hunc collem, ut ad nos Christus faciliùs veniat.

Hic collis quantùm impediat Christi ad nos viam, cognoscemus ex his, quia in plures colliculos scinditur, & horrendam facit scabritiem. Primus est Simonia, quam qui amant, latrones Christi gregis efficiuntur. Joann. 10. *Qui non intrat in ovile ovium per ostium, fur est & latro.* Quomodo ad talem Christus parvulus veniret? qui tam vilem spiritum DEI habent, ut eum pecuniâ, temporalibus obsequiis &c. æstiment. Alter colliculus est rapina, cùm exigitur plùs à subditis quàm debent. Jura eorum violantur, istos colliculos extruũt aliqui Notarii, Advocati, Judices, qui ut plùs accipiant, lites in longum trahunt, scripturas non necessarias faciunt Abac. 2. *Væ ei qui multiplicat nõ sua, usquequò & aggravat contra se densũ lutum.* In quo ita hærebit, ut deinceps exire nõ possit. Tertius est collicul⁹ valdè scaber & cœcis ple-

cis plenus decipulis Usura; in qua pro mutuo aliquid exigitur. Et hæc scabrities variè tegitur. Aliqui dant mutuũ, sed in pignus accipiunt, v.g. hortum, pagum, ac fructus sibi retinent; cùm tamẽ illi sunt ultra sortẽ, quæ ad illos integra debet redire. Vel exigũt laborem, vecturas, pro eo quòd mutuum dederint. Alius in contractu receptionis non servat conditiones, quia non verè emit, sed tantùm ut fructus interea rei quasi emptæ, percipiat, & pecuniam totam. Vel verè quidem emit, sed rei emptæ onera non sustinet. Alter non petit quidem ex pacto aliquid ultra sortem, Sed tamen allegat consvetudinem, quòd plus accepto datur. Alter tradit jumenta mutuò agricolæ, sed hâc conditione, ut si jumentum moriatur etiam sine culpa agricolæ, solvat agricola. Alter cariùs vendit frumentum, quia expectabat pecuniam. Alius pactum init, quia expectat pecuniam, v.g. pro frumento, panno, &c. Si interea creverit, det illi alter juxta incrementum: non admittit verò, ut si decreverit, det etiam juxta diminutionem. Alter dat frumentum impurum, & quia expectat illius redditionem, vult ut purũ reddatur. Alter elocat agrũ, sed plùs accipit quàm ager possit fructificare. Alter pro censu loco pecuniæ accipit frumentum, sed minori pretio quàm sit in foro. Alter accipit cum uxore dotem sed ultra dotem, perinde plus petit, atq; si dotem expectaret ex cujus fructibus alenda esset uxor, idem de dote Monialium. Alius sumit in pignus pagum, sed addit conditionem: ut si v.g. lucra intra triennium debitor non redemerit, cogatur ipsi vendere vel amittere. Vide Synod. Crac. Szyszkov. c.60. De usura docet S. Vinc. Conc. de Avaritia. Quòd in usura nec Papa ullo modo dispensare potest, quia DEUS præcepit Deut. 24. *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Etsi aliquando Ecclesia toleret, quia corrigere non potest. Usurarii non habent accessum ad cœlum. Ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondetur, *qui pecuniam non dedit ad usuram.*

usuram. Addit ibid. S. Vinc. *Dico vobis quòd usurarius est perjurus & proditor DEO, quia promisit fidelitatem in Baptismo quam fregit. Ideò dico, quòd usurarius Christianus est pejor Judæo. Qui non facit usuram cum aliis Judæis &c. Ideò Christianus usurarius est similis cani rabido, qui exiens domo mordet quemcunque reperit,* Ita ille religiosos, laicos, &c. *Pejor est Juda qui restituit 30. argenteos, sed usurarius nunquam vult restituere aliquid, sed dicit. Ea dimittam in testamento meo, & filii mei restituent. Dico quòd talis restitutio nihil valet. Si Usurarius potest restituere & non restituit, &c. ideò damnandum.* Etsi filii postea restituerint, nihil prodest. *Dico quòd Usurarii similes sunt diabolo, quia semper nocet die ac nocte, jam Usurarii, dormiendo, vigilando, semper lucrantur.* Adducit exemplum de quodam moriente Usurario, quia cum variis artibus uteretur ne restitueret, ab aliquot Doctioribus Sacerdotibus non est absolutus. Incidit in rudem qui eum absolvit. Parochus communionem dedit, & in Ecclesia sepelivit. Nocte sequenti venerunt quatuor dæmones ad Parochum ut accepto superpelliceo & stolâ iret cum eis ad templum, adjunctis quatuor facibus. Ubi templum ingressi dæmones, effoderunt corpus Usurarii, & os ejus aperuerunt, exemit inde Corpus Christi Sacerdos, & loco decoro collocavit. Reduxerunt dæmones Parochum in Parochiam, addito, ne timeret si quid audiret. Quia DEUS vult ut corpus Usurarii sit in inferno simul cum anima.

Quartus colliculus est frater, cùm mercator v. g. corruptam mercem vendit pro bona, cùm falsificat pondera, vel monetam. Quintus, furtum. Sextus, ludi pro pecunia, si fiant cum fraude, vel ab iis pecunia accipiatur, qui eam dare non poterant quia non erant ejus Domini. &c. Septimus collis est nimia sollicitudo circa temporalia, ut propterea Missæ diei festo fiat injuria. Ultimus colliculus est sacrilegium, cùm quis rapit vel furatur aliquid ex templo, vel loco sacro; vel bona, aut jura Ecclesiæ

clesiæ occupat. Huc spectant retentæ decimæ, vota non impleta. De his omnibus Isai. 57. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus, iratus sum, & percussi eum, abscondi faciem meam, & indignatus sum, & abiit vagus in via cordis sui, vias ejus dimisi.*

Humiliandus est hic collis, restitutiones faciendo, & de proprio dando eleemosynam. Nihil ex his post mortem nobiscum efferemus, & si hæc cum peccato habemus, damnabimur. Nisi restituerimus in cœlum non intrabimus. Date eleemosynam Basil. serm. 1. in divites avaros. *Avaritiæ genus pessimum est, nolle quod corrumpitur, egenti dare.* Quale hoc genus? Cassian. collat. 12. c. 2. *Quisquis non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ quàm infideli tenacitate conservat Christi præcepta postponit. Idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet mundialis materiæ Divinæ præferens charitati.* Priùs facienda restitutio cui debetur, postea ex eo quod superest proprio benè acquisito, danda eleemosyna. DEUS pauperes disponit ad portam Ecclesiæ, ut suos amicos Rex ad portam palatii. Hi placandi sunt ut à Rege aliquid obtineamus. Greg. homil. 40. *Videte si negare possumus quod petimur, quando Patroni sunt qui petunt.* Et paulò antè. *Quotidie Lazarum si quærimus invenimus, quotidie Lazarum etsi non quærimus cernimus.* Non simus illi Epulones. Occurrit vulgari objectioni Cypr. lib. de Opere & eleemosynis. *A danda eleemosyna retardat te numerositas filiorum, quominùs largus sis, atqui hoc ipso operari ampliùs debes, quò multorum pignorum Pater es, plures sunt pro quibus Dominum depreceris: nec illum liberis suis cogita Patrem qui temporarius est, sed eum illis para eleemosynis, qui æternus Pater est. Qui spectacula edunt, & Imperatores spectatores habent, maximos sumptus faciunt. DEUS & Angeli spectant cùm eleemosynam das, & sumptum doles?* Non respicis proles propter Imperatorem, respicis propter DEum? pro epulis, canibus, &c.

CONCIO

CONCIO XXXIV.
In Vigilia Nativitatis CHRISTI.

Inventa est in utero habens, Matth. 1.

JAm virga parat florem. Jam Propheta Legislator Moysi similis, est in proximo. Jam Dux adventat ex Jacob. Jam DEUM in carne spectabimus. Jam veniet qui delebit iniquitatem terræ. Jam salus nostra adveniet, & liberabit nos à malis quæ hactenus passi sumus. Jam Sol orietur sedentibus in umbra mortis. *Occurrite illi dicentes, Magnum principium & regni ejus non erit finis.* Occurrite substernentes pedibus ejus coronas, è capite nostro detrahentes, quod Magi fecerunt, sed eas quàm primùm illius auspicio paremus. Ut Dux iste pacis nos agnoscat se non indignos.

Vincamus primò nostrum intellectum, hic talis naturæ est, ut rei difficili non assentiatur nisi illi offeratur clara ratio id probans. Difficilè est credere, quòd qui nascitur infans, sit immensus DEUS, sit altera persona DEI qui est unicus indivisibilis, nec rationem quæramus quomodo id fiat, satis quia summè verax dixit DEUS, hoc ita esse. *Concepit de Spiritu S. Verbum Caro factum est.* Veracitas illa est tanta in cognoscendo ut falli non possit, est tanta in dicendo ut non possit fallere. Nolimus aliam rationem. DEUS dixit, quia ita est, credo ita esse. Voluntas potest in obscuris dum non sint impossibilia evidenter, imperare ut assentiatur, imperet. Non evolet ampliùs intellectus, sub hoc imperio captivus teneatur. Si velit misterium inspicere & scrutari, velut avicula cistulæ inclusa, fides avolabit. Ipsa dicit Cant. 6. *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Tam certum est quod credimus, quàm certum, esse veracem DEUM qui hoc dixit. Dum ita vincitur intellectus, ponitur ut Luna sub pedibus, quæ modicum habet lucis, & corona no-

na noſtro capiti imponitur, & ſol nos tegit, ſcilicet DEI ſapientia, imponiturque capiti noſtro corona 12. ſtellarum, ſcilicet 12. articulorum ſymboli. Apoc. 12. *Mulier amicta Sole & Luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Ponamus hanc coronam fidei ſub pedibus cras naſcituri. Credendo firmiter, quòd ſit verus DEUS & homo in una perſona. Ponamus Lunam noſtram ſub pedibus ejus.

Sed etiam voluntatem noſtram vincamus, ut alteram coronam acquiramus quam venienti Regi ſubjiciamus. Voluntas noſtra libera eſt, & ita ſuam voluntatem amat, ut malint homines ſæpè multa perpeti, quàm non eſſe liberi, &c. Cùm ergò homo vincit ſuam libertatem ut non faciat id quod vellet facere, ſed quod DEUS per ſeipſum jubens, aut per eos quos ſuo loco præpoſuit cùm ipſe in terris adiri non poſſit, ut ex eorum ore accipiatur reſponſum, magna eſt victoria, cui parata eſt corona, Tob. 3. *Hoc habet pro certo omnis qui colit te, quia vita ejus ſi in probatione fuerit, coronabitur.* Hinc qui DEO jubenti, *Non æſtimans nomen* &c. obedit, coronatur. Item qui hominibus propter DEUM obedit S. Thom. 2. 2. q. 104. Abnegatio propriæ voluntatis quæ requiritur per obedientiam, maxima virtutum eſt. Et ad hanc perfectionem hæc virtus in aliquibus pervenit, ut non diſcutiant, ſintné poſſibilia an non, quæ jubentur, ſed deſiderio parendi ſtatim agere aggrediantur. Et oppoſitum S. Bern. ſerm 3. in Reſurr. Domini, ita damnat. *Porrò voluntas propria quo furore Dominum Majeſtatis impugnat, audiant & timeant ſervi propriæ voluntatis, primò enim ſubtrahit ſeipsam & ſubducit ejus dominationi &c. Nunc autem & ipsum quantum in ipsa eſt, DEUM perimit voluntas propria &c.* & Greg. lib. 6. in Reg. cap. 2. *Per alias virtutes DEO noſtra impendimus, per obedientiam noſmetipsos exhibemus.* Unde plus facit obediens quàm ſi victimas offerret. 1. Reg. 15. *Nunquid DEUS vult holocau-*

locausta & victimas, non potiùs ut obediatur voci Domini? De quo Gregor. lib. cap. *Quid est, quod dicitur, obediatur voci Domini? nisi quia bona opera postponenda sunt his quæ jubentur.* Ib. de obedientia quæ homini exhibetur. *Longè altioris meriti est propriam voluntatem alienæ voluntati semper subjicere, quàm magnis jejuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Qui perfectè voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno & abstinentibus & flentibus præcellit.* Claudat hoc punctum S. Anton. de Padua. Domin. II. post Trinit. Toties Apostatæ Angeli similis efficeris, quoties tuo Superiori contumax obedire contemnis. Cùm Camillus de Læliis fundator Clericorum ægrotis ministrantium, ut est in ejus vita lib. 5. miro teneretur desiderio visitandi nosocomia, juxta suam vocationē; interrogat9 à quodam si prohiberetur à superiore visitare nosocomia an acquiesceret? respondit, Imò, alioquin Religiosus non essem, sed bestia.

Tertiam coronam parabimus, si carnem nostram vicerimus. Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis enim est memoria illius. Quoniam apud DEUM nota est & apud homines, & in perpetuum coronata triumphat.* Hanc coronam possunt omnes habere virgines, viduæ, conjugati. Quia cùm homo compositus est ex duabus diversis naturis carne & spiritu, hæc duo secum pugnant continuò. Brutum ex sola materia est, Angelus ex solo Spiritu, nihil est in illis quorum alterum alteri contradicat. At in homine Gal. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversus carnem.* Anima contemnit has voluptates, quæ sunt in quinque sensibus, & quæ corpus afficiunt, corpus contemnit spirituales, ut orare, DEum laudare, &c. & dum cor-

pus ad suas trahit animam, anima ad suas corpus, fit pugna. Cui debetur victoria? si carni, tum caro animam trahet secum in mortem æternam. Si anima vincet, trahet corpus in vitam æternam. Ideò Paulus corpus appellat, *corpus mortis*. Job 10. *Memento quòd sicut lutum me finxisti*. Totum corpus si prævalet, animam facit lutulentam. Quare S. Bernardus. serm. ad Fratres de monte DEI. *Oportet sic habere corpus suum sicut agrum commendatum, cui etiam multùm volenti inutilia deneganda sunt, utilia verò & nolenti ingerenda*. Et qui corpori obedit, planè facit atque si Angelus regeretur equi imperio. Quis erit in culpa? si ab eo ad stabulum, ad paleam ducatur. Basil. instit. eorum qui perfectam vitam cupiunt. Cùm ita agit equus. *Non equi natura per se mala, sic nec corporis erit, sed utentis tantùm, & id regere nescientis negligentia*. Hinc etiam qui curam corporis majorem habet quàm animæ, ita facit atq; si auro & serico vestiret equum, ipse verò nudus frigore periret. Rectè Tertull. l. de cultu fœminarũ. *Gloriabitur Christianus in carne, sed cùm propter Christum lacerata duraverit, ut & spiritus in ea coronetur*.

Est insuper cum hominibus bellum qui nos vexant si vitam piè instituamus, derident, &c. 2. Tim. 3. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo JESU persecutionem patientur*. Sed si vicerimus, corona est parata. Jacob 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit accipiet coronam vitæ*. Dissimilitudo morum est occasio belli. Vident Parentes devotum filium, timent ne fiat Religiosus, impugnant. Vident socium socii orantem, sacra aliquot audientem, irrident. Job mala patienter tolerat, uxor insultat. Sed ut Tertull. lib. de patientia. *Ubi DEUS, ibi & alumna ejus patientia. Cùm spiritus DEI descendit, individua patientia comitatur eum, Imò nescio an diutiùs spiritus DEI in nobis morabitur sine sua comite ac ministra*. Stat ex una parte DEUS cum patientia, stat ex altera mundus cum suis lu-

dibriis,

dibriis, cui velis horum, te adjunge. Sed ubi DEUS, ibi corona; ubi mundus, ibi ignis. Sed meliùs DEO adhærere. Cypr. lib. 1. epist. 3. *Nihil interest quis tradat aut sæviat, cùm DEUS tradi permittat quos disponit coronari.* Sed qualem coronam accipit qui ob virtutem affligitur? Greg. hom. 35, *Ferre contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.* &c. *& nos sine ferro possumus esse Martyres, si patientiam in animo veraciter custodiamus.*

Ultima est pugna quam nobis movet diabolus, in ea si fideles Duci nostro Christo fuerimus, Apoc. 2. *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Dux nobis certè aderit, quia etiam illius causa agitur. Movit in cœlo bellum dæmon, sed victus & dejectus, & nobis insuper assignatus est locus illius. Cùm itaque nihil potuerit, lucrari contra DEum, in nos iram vertit. *Nam quòd corruerit proditor Angelus, ardens invidiâ pellere nititur quos Cœlo DEus advocat.* Causa hîc se miscet Ducis, quia illi vult contumeliam facere. Sed jam contra hoc Dux providit, cùm eum ita debilitavit, ut nullus ab illo vinci possit nisi qui ipse voluerit, nulli vim inferre potest. Ergò sollicitat ut vinci velimus, blanditur, res suas sub varia larva proponit & aliquando quasi nostrum bonum velit, accedit. S. Bern. serm 33. in Cant. *Itaq; primordia nostræ conversionis primus exagitat timor.* (Quid facis? non perseverabis in hac dura vita, vel te occides. Vel si cœpto cessaveris, risui omnium exponeris, potiùs non incipe) *quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, & insveta austeritas disciplinæ.* Et hoc est, *à timore nocturno.* Si hic non lucratur, saltem inquit, sciant opera tua bona homines, es jam Sanctus, & te glorificent, & ducit ad inanem gloriam. Et hoc est *à sagitta volante in die* pergit S. Bern. lib. cap. *Si* hæc vana gloria *exsufflatur tanquam inanis aura, instat ut solidius aliquid offeratur, de divitiis & honoribus sæculi, si forté qui*

tè qui non curat laudes, appetat dignitates. Et vide si non hic ordo servatus est in Domino nostro, *cui post suggestum ad vanitatis præcipitium, ostensa sunt omnia regna.* Videte, fraudes sunt istæ, *Est negotium perambulans in tenebris.* Ubi induxit in peccatum, terret velut in tenebris. Ephrem Parenesi 34. *Ante consummationem iniquitatis vehementer eam in oculis ipsorum imminuit* ut vix videri possit quasi sagitta volans. *Potissimùm verò concupiscentiam voluptatis carnalis, tantùmq; eam in ipsorum oculis, priusquàm peragatur scelus, extenuat improbus; quomodo si quis poculum aquæ frigidæ humi effunderet. Consummato autem jam scelere, usq; adeò illud extollit & exaggerat malignus in manibus Fratris, qui in illud incidit, ut nihil suprà.* Aliquos nihil turbat, quia de illis securus est quod non sunt acturi pœnitentiam, ut patet in iis qui venerunt in profundum, postquam dæmonis suggestioni homo consensit, jam se illi tradidit, jam victus est, jam ejus est captivus, jam coronam quæ illi promittebatur amisit. Quare *resistite ei fortes in fide* signum S. Crucis formando, ad DEUM per orationem recurrendo, accipietis coronam quam CHRISTI pedibus subjicietis, qui est Rex Regum, & qui solus dat victoriam.

CONCIO XXXV.

Dominica infra Octav. Nativ. Prima Concio.

Positus est in signum cui contradicetur. Luc. 2.

CReavit nos DEUS in terra, sed ut in cœlum perveniamus, & statim primum Parentem nostrum posuit in via, & quò ulteriùs pergendum esset, ostendit: ut eum sequeremur. Sed Adam viam deseruit, inde factum ut nemo posterorum ejus ad cœlum pervenerit. Ps. 106. *Erraverunt in solitudine, in ina-*

inaquoſo, viam Civitatis habitaculi non invenerunt. *In ſolitudine*, non habebant quem de via quærerent. Unde Pſ. 24. querebatur. *Unicus ego ſum & pauper.* *In inaquoso*, ſitis urebat, omnes appetimus cœlum, nihil nos aliud ſatiat. Deerat aqua, de qua deinde Chriſtus dixit Samaritanæ. Miſit DEUS Filium ut oſtenderet viam. *Qui ſequitur me &c.* Sed multi rurſus aberrant ad Bachum &c. Et cauſa eſt. *Quia lata via eſt quæ ducit ad perditionem, anguſta quæ ducit ad vitam.* Illa voluptuoſa, hæc &c. Ne erretur ſignant viam. Idem fecit DEUS, poſuit tria ſigna ut dixit Angelus Paſtoribus. *Invenietis infantem pannis involutum, poſitum in præſepio.* Si hæc ſigna ſunt in via noſtra, benè imus. Faciamus modò ſupra hoc reflexionem.

Invenietis infantem. Marci 10. Adducebat populus ex devotione ſuos filiolos ad Chriſtum. Apoſtoli metuendo moleſtiam, prohibebant. At Chriſtus. *Sinite ad me venire parvulos, & nolite prohibere eos, talium enim eſt regnum cœlorum.* Et benedicebat eis. Quare hoc? Colligemus ex Apoc. 5. *Sequuntur Agnum quocunq; ierit, hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*, non ſunt coinquinati deſiderio &c. Tunc in via ſalutis ſumus cùm vivimus caſtè. Greg. in lib. 6. cap. 2. ubi oſtendit quòd luxuria ſit ſignum reprobationis, addit. *Si nolunt vitare cùm posſint, poſtea non poſſunt ſi volunt, quia perfectè velle non poſſunt.* Et meritò, quia indigna eſt gratiâ & dote virgo, quæ probrum domui intulit. Fecit nos conſangvineos ſuos Chriſtus, cùm noſtram ſumpſit carnem, de domo ſumus illius, ideò nos appellavit Fratres, & Patrem ſuum noſtrum Patrem, & Matrem ſuam noſtram Matrem. Origen. in Joann. 2. *Omnis Chriſtianus Filius eſt MARIÆ.* Plùs deſponſavit nos ſibi, in dote cœlum conſtituit, quomodo adultera hanc dotem requiret? Quid faciendum ut nos caſtos conſervemus? Joſve capite 2. Miſit exploratores in Jericho, receperunt ſe in domum meretricis, quæruntur à civibus. Illa verò *novi*

quòd

quòd Dominus tradidit vobis terram hanc. Ego vos ſalvabo, ſed *detis mihi ſignum ut ſalvetis Patrem meum, & Matrem & Sorores meas* &c. Dederunt illi ſignum, ut appenderet ex feneſtra domûs funiculum coccineum. Quale hoc ſignum? nunquid miles captâ civitate furens ad id advertet? Raab meretrix erat. Raab idem quod *dilatata.* Carnalis homo dilatat conſcientiam, jam damnatas quærit doctrinas, ſimplex fornicatio non eſt mortalis, &c. Quærit rudes confeſſarios, multis verbis involvit peccata ne agnoſcantur, fugit ſtrictius examen. Cogitationes fœdas pro modico habet. Sed audiat Greg. lib. cap. *Reprobis mentibus magnum non eſt immunda cogitare, ſed coram DEO peccatum parvum non eſt in templo DEI* alludit ad verba S. Pauli. *Noſcitis quia templum DEI eſtis? ſi quis violaverit templum DEI diſperdet eum DEUS.* Quando filii Seth commixti fuerunt filiabus Caim, tum DEUS dixit. *Pœnitet me quòd hominem creaverim.* Quod aliàs non dixit. Datur ergò non fruſtra pro ſigno funiculus ſed cum aliquo myſterio Raabi, quod patebit ex hac hyſtoria. 3. Reg. 20. Benadad Rex Syriæ cæſus à Judæis. Conſultat quomodo ſe poſſit ſalvare, & conſulunt illi famuli. *Ponamus funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad Regem Iſraël, & fortaſſe ſalvabit animas noſtras.* Ne in domo Raab quis interficiatur, ne ſuccumbat peccato, oret humiliter tanquam reus coram Judice cujus capiti jam funis imponitur. *Non poſſum eſſe continens niſi dederis.* Quando Moabitas vicit David, *menſus eſt eos funiculo coæquans terræ,* &c. factusque eſt Moab ſub *tributo.* Coæquemus nos terræ, non fidamus nobis atque vitemus perſonas, loca, &c. humiliemur ad terram, Egoné domui Chriſti audebo inferre dedecus? Egoné templum DEI violabo? quis ego? cum quo negotium? Moab idem eſt quod *à Patre,* ab Adamo Patre habemus concupiſcentiam fiat Moab ſub tributo. Funiculo menſurabantur limites, præ-

ſcriba-

ſcribamꝰ nobis quos egredi nõ liceat. 1. Cor. 15. *Corrumpunt mores bonos, colloquia prava.* Clemens Rom. hanc tulit legem. *Ad viſitandam mulierem infirmam nullus Clericus ingrediatur, niſi cum duobus aut tribus &c.* Egreſſi limites perierunt, audi Auguſt. *Experto crede, expertus loquor, coram DEO non mentior, Cedros Libani, Duces gregum, ſub hac peſte concidiſſe reperi, de quorum caſu non magis ſuſpicabar quàm de Ambroſii, vel Hieronymi impudica turpitudine.* Quia Iſai. 3. *Laxati ſunt funiculi tui.* Quid ſi etiam rupti? Jer. 10. *Funiculi mei dirupti ſunt.* Utebantur funiculo & ad corpus mortificandum. Iſai. 3. *Pro zona funiculus.* Iſid. *Summum nobis adjutorium præſtabit cilicium & cinis, totisq; noctibus ſtatio immobilis, panis deſiderium, ardens lingva, ſepulchrorum habitatio.* Et tunc fiet, Eccli. 4. *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Nempe orationis humilis, cuſtodiæ ſui, mortificationis. Sed huic ſignõ multi contradicunt, grave orare; ſed orabis cum epulone guttam aquæ nec impetrabis; grave ſe arctare, arctior locus erit in carcere æterno: moleſta mortificatio, moleſtior ignis inferni. Iſai. 45. *Væ qui contradicunt Factori ſuo, teſta de Samiis terræ.* Pulchra erant fictilia facta in Samos Inſula, tamen teſta, ardebis in fornace figuli, frangeris nec erit qui reparet. 1. Cor. 6. *Neq; adulteri neq; molles, neq; fornicarii, neq; maſculorum concubitores regnum DEI poſſidebunt.*

Alterum ſignum, *Pannis involutum.* Pauperies. Paupertas eſt triplex. 1. Liberè aſſumpta, Apoſtolica. Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia.* 2. Jobi, cùm ex neceſſitate facit virtutem, amittit bona cum dolore. *Scidit veſtimenta ſua & tonſo capite corruit in terram.* Sed mox benedicit DEum. *Nudus egreſſus ſum de utero Matris meæ, nudus revertar illuc. Dominus dedit &c.* 3. Davidis, cùm retinet bona, ſed illis cor non apponit, & partem illorum in bona opera vertit. Pſ. 61. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Si qua ex his paupertatibus in tua via reperitur, be-

nè vadis. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Gen. 9. Timebant ex arca egredi, ne fortè fieret aliquod de novo diluvium. Tum DEUS. Ne *timeatis, arcum meum ponam in nubibus. Et erit signum fœderis inter me & terram.* Iris habet similitudinem paupertatis, è terra oritur sed ad nubes ascendit. Paupertas non est in cœlo sed eò conscendit. Habet tres colores qui notant tres gradus dictos paupertatis, nam egestas mendicorum qui egent, sed corde ad opes anhelant, non meretur nominari. Igneus color Iridis notat hominem amore DEI succensum omnia relinquentem. Cœlestis, eum qui amissis rebus, spe cœli se consolatur. Viridis eos, qui fructum DEO faciunt ex suis divitiis. Hic arcus si est in nubibus, fœdus habemus cum DEO. Sed huic signo contradicitur à multis Bern. serm. de Nativ. *Panni tui Domine positi sunt in signum, sed cui à multis contradicitur.* Contradicunt Usurarii, Raptores, mercedis laborum detentores, Judices venales, fraudulenti, Mercatores, &c. De istis Christus per Isai. cap. 6. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Non credit Avarus verbis; *Quid prodest homini si totum mundū lucretur* &c. Non credit, *Date & dabitur vobis* &c. Judæi promissis plus creditur quàm Evangelio.

Tertium signum. *Positum in præsepio.* Hic est summa Christi humilitas. Filius DEI inter bestias jacet. Humilitatem si in via vestra habetis, non erratis. Sed humilitas hìc est in factis non in verbis Eccli. 16. *Est qui se nequiter humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo.* Si Filius DEI humiliâsset se ad Seraphim, Cherubim, &c. magnum fuisset, humiliavit se ad bestias. Pro magna pœna Nabuchodonosori fuit humiliari ad bestias Dan. 4. *Ejicient te ab hominibus & cum bestiis ferisq́ erit habitatio tua.* Quid egisti ô Domine ut ad bestias ablegareris? jam verè dices Patri. Ps. 72. *Ut jumentum factus sum apud te.* Ecce quid sit

esse

esse verè humilem. Hæc humilitas est signum viæ bonæ. Quia humilis se ita subjicit DEO ut malit mori, quàm ei per peccatum rebellare. Se contemni gaudet, quia se reputat nihil, at verò nihil omni sorde est vilius, ideòque contemptibilius. Et cùm ita tractatur ut dignus est, gaudet. Reipsâ mentitur qui dicit se rusticum, & vult æstimari ut Princeps. Iratus fuit DEus Jerosolymæ. Ezech. 9. & voluit eam perdere, Miserat verò sex Angelos cum hoc mandato. *Transite per civitatem & percutite, non parcat oculus vester, nec misereamini senem, adolescentulum & virginem, parvulum & mulierem, interficite, usq; ad internecionem.* Sed antè præmisit unum Angelum cui demandavit *Signa Thau super frontes virorum gementium.* &c. Hæc litera Thau scribebatur eo tempore ut Crux, ut scribit S. Hieron. cujus tempore adhuc Samaritani hoc modo illam figurabant, sed Judæi odio Christi aliter eam deinceps exprimere cœperunt. Crux est signum humilitatis. *Humimiliavit semetipsum usq; ad mortem, mortem autem Crucis.* (Similia sunt Apoc. 7. de viris signatis.) Humilitas hæc sit in fronte, non solùm in monte, prodeat in opera. Exibant illi sex Angeli, *& percutiebant eos qui erant in civitate, &c.* Ecce unus gemens peccata, humilians se DEO, signatus Thau, illi parcunt. Contradicunt huic signo. Ego &c. Sed fortasse modò agitur, ut contigit S. Macario, hic ingressus quoddam desertum, ne in reditu erraret, bacillos multos in via defixit. Tandem cùm semel obdormîsset, dæmon collegit omnes bacillos & deposuit ad Sancti caput. Posuit signa DEUS, aufert Asmodæus dæmon luxuriæ, Pluto opum, Lucifer superbiæ. Ps. 37. *Signa nostra non vidimus.* Precemur DEUM ut iterùm illa ponat. Psal. 85. *O Domine fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.*

CONCIO XXXVI.

Pro Dominica infra Octavam Nativitatis, seu vacat. Altera Concio.

Positus est in Resurrectionem. Luc. 2.

MUlta erant vacantia beneficia ab initio mundi. 1. Multæ ſedes in cœlo vocabant poſt ruinam Angelorum, inter Principatus, Poteſtates, &c. 2. Etiam via ad iſta vacabat, quia vetera Sacramenta fuerunt vacua elementa, ut dicit Paul. Et hæc ſint quaſi uva. 3. Non erat qui daret ut tempore interregni, ſedis vacantis. Unde Job. 7. *Vacuos menſes numerabam.* Hodie venit qui diſtribuat, erit *in reſurrectionem.* Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis miſit DEUS Filium ſuum.* Videamus quibus dabit, ne nos prætereat.

Ita vacabat mundus ut etiam ſpe vitæ æternæ corruerit. In lege naturæ ſpes erat proxima limbi non cœli. Gen. 37. Jacob ait. *Deſcendam lugens in infernum ad Filium meum.* Job 17. *In profundiſſimum infernum deſcendet anima mea.* Et erant viri Sancti. In lege ſcripta ferebatur plurimorum ſpes in bona temporalia. Pſ. 127. *Filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ, ecce ſic benedicetur homo qui, timet Dominum.* Sed hæc bona non ſunt bona hominis in quantum differt à beſtiis, in quantum rationalis, & ad altiorem finem factus. Sed in quantum animal & ſimilis beſtiis. Beſtiæ bonum eſt creſcere, multiplicari, comedere &c. Opes habere eſt terræ excoctæ multum habere, hoc enim eſt aurum & argentum. Sed hominis elevati bonum eſt ſolus DEUS, illo ſolo ita ſatiatur, ut nihil ampliùs appetat. Jam in lege gratiæ, venit Chriſtus in reſurrectionem hujus ſpei, quàm ut ſolidam faciat, aſſerit S. Paulus Rom. 8. quòd hæreditate illa beneficia capiemus. *Hæredes DEI; cohæredes CHRISTI.*

Qua-

Quatuor personæ succedunt in hæreditatem. 1. Filii, etsi desint isti, succedunt affines: si desint & isti succedunt cari Amici: si etiam desint isti, succedunt pauperes. Istæ personæ exprimuntur hodie. In Christo Filius: in B. Virgine Affinis, in S. Josepho Amicus, in Simeone & Anna mendicantibus misericordiam à DEO, pauperes. Capiunt ergò primò Filii, hos Christus ut haberet contraxit Matrimonium cum Ecclesia. Ex qua Jacob. 1. *genuit nos verbo veritatis.* Verbum hoc. *Euntes baptisate. &c.* Isti capiunt ut Filii sine meritis. Qui extra hoc matrimonium prodeunt, sunt ex Agar. Gal. 4. *Non erit hæres Filius ancillæ,* Etsi aliàs sit morum optimorum quare? quia non est Filius. Illegitimo datur solùm aliqua sustentatio. Filiatio per mortale corrumpitur. Apud DEUM quia est tanta hæreditas ut infinitis sufficiat, etsi non desint Filii, succedunt & Affines seu Consangvinei, sangvine juncti. Vidit quosdam in cœlo Apoc 7. quærit qui sint? respondetur. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt vestimenta sua in sangvine Agni.* Sunt plures tribulationes, sed non omnes magnæ, etsi duræ. Est verborum, cùm tibi detrahitur, afficeris contumeliâ, calumnia imponitur. Experiris quòd Ps. 13. *Sepulchrum patens est guttur eorum* quia in eo sepelitur tua fama. Ps. 54. *Verba iniquorum prævaluerunt adversùm nos.* Nondum tales succedunt in hæreditatem. Est alia factorum, cùm tibi res furto, per vim tolluntur, bona externa, de his Hebr. 10. *Rapinam bonorum vestrorum sustinuistis cum gaudio,* &c. Est alia corporum, cùm dolores, vulnera inferuntur. 1. Petr. 3. *Si quid patimini propter justitiam, beati.* Sed neq; isti hæredes, licet per ista merentur cœlum; Sed non sine Baptismo, sed hæres accipit non pro labore, sed quia est hæres. Tandem est magna tribulatio cùm vita propter DEum tollitur, hæc facit hæredem. Ps. 60. *Dedisti hæreditatem timentibus te.* qui plus timuerunt DEum quàm illos tyrannos. Hi laverunt stolas in sangvine, quia per ejus sangvinem fiunt hæredes cœli.

Tertiò succedunt in hæreditatem Amici. Hi sunt qui præcepta servant. Joann. 15. *Vos amici mei estis si feceritis omnia quæ ego præcepi vobis.* Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Hi non propriè hæredes, neque ex opere operato cœlum, ut prioribus contingit, qui etiam in peccato mortali existentes de illo tamen saltem attriti, nihil aliud faciendo, dum baptisentur capiunt cœlum ut filii, & Martyres idem facientes si ad baptismum pervenire non possint, capiunt tamen & isti cœlum. Tandem ultimò cœlum accipiunt Pauperes, id est, pœnitentes. Quis peccatore pauperior? Ps. 78. *Citò anticipent nos misericordia tua quia pauperes facti sumus nimis.* Matth. 18. *Oblatus est ei unus qui decem millia talenta debebat.* Sed quomodo pauper pœnitens cùm sit in gratia DEI? & hic qui oblatus est fuit in domo & obsequio Domini, sed quia debebat tam multùm, erat pauper. Debet pœnitens DEO honorem quem abstulit, proximis ædificationem pro scandalo, debet pœnas temporales in hoc mundo vel purgatorio. Debet non solùm pro suis, sed etiam alienis peccatis hæc singula, pro uno mortali quanta olim imponebatur pœnitẽtia? nunc amori nostro erga animam nostram relinquitur. Matt. 5. *Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur.* Isti etiam capiunt cœlum. Et nos ut idem sperare possimus ex aliquo simus horum ordine, alioqui non spes erit sed vana præsumptio de misericordia DEI, quæ est peccatũ. Jer. 51. Cùm DEUS minaretur Babiloni direptionem. *Juravit Dominus DEus exercituum per animam suam, super te canticum cantabitur.* Quodnam illud? Prov. 10. *Spes impiorum peribit.*

CON-

CONCIO XXXVII.
Dominica in Octava Epiphaniæ.

Ego à te baptizari debeo. &c. Matth. 3.

HIstoriam baptismi Christi breviter describit Joãnes, circumstantiæ illius supplendæ ex Matth. 3. & suntistæ. 1. Voluit Christus baptisari à Joanne. 2. Voluit Joannes à Christo. 3. Spiritus S. in specie columbæ descendit in Christum. 4. Vox Patris audita. 5. Cœli aperti, expendamus illos ordines per totidem quæstiunculas.

1. Cur Christus voluit baptisari? Baptismus Joannis fuit institutus contra peccata. In illo se homo profitebatur peccatorem, & de peccatis conterebatur. Exorabatur DEUS ut ipse ablueret peccata. Quod ille Baptismus non habuit sicut habet noster, fuit enim mera cæremonia excitans ad contritionem & petendam veniam, noster tollit peccata. At verò Christus peccata nulla habuit. cur ergo baptisatus? Colligitur ex Ps. 91. cur id factum. *Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi.* Nota est historia de Unicorni, quòd cornu miscendo aquas purget à veneno, & tum animalia sine periculo bibunt. Ingressus aquas Christus, de quo, Ps. 28. *Dilectus meus tanquam Filius unicornium* ut aquas redderet nostro baptismo tempore suo idoneas. Beda. *Ut abluens nostrorum sordes scelerum omnium fluenta aquarum sanctificaret.* Sequitur. Ps. 91. *Et exaltabitur senectus mea &c.* Habet suas ætates mundus. Infantia fuit ad Adam ad Noë. Pueritia à Noë ad Abraham. Adolescentia ad Abraham, ad Moysen? Juventus à Moyse ad David. Viriditas à David ad transmigrationem Babilon. Senectus ab eo tempore ad Christum. Reliquum est ætas decrepita, ut vocat Apostolus. Novissima tempora. *Exaltabitur Senectus in misericordia uberi.* Tum instituetur à

Chri-

Christo Baptismus verè tollens peccata, cujus imago quædam fuit Baptismus Joannis. Veniet ad Baptismum dæmonis mancipium, & exaltabitur ad hoc, ut sit Filius DEI.

2. Joannes liberatus fuit ab originali peccato, quia in utero sanctificatus, cur appetit à CHRISTO baptisari, cùm CHRISTI baptismus specialiter sit institutus ad tollendum originale, quod Joannes spiritu S. plenus poterat prævidere? Baptisavit Christus & B. Virginem quæ non contraxit originale. Baptismus enim non solùm abluit peccata, & gratiam sanctificantem confert, sed etiam characterem imprimit, per quem homo notatur à DEO quòd sit res ejus, filius ejus, sicut dum aliquis Stemma suum sive sigillum alicui rei imprimit, præterea dona Spiritûs S. conferuntur, & virtutes infusæ, & propter has causas habuit locum in Joanne Baptismus, quem tamen non obtinuit in aqua. Sed in sangvine per Martyrium, nam & hoc est alter baptismus licet characterem non imprimat. Nos baptisati sumus & est nobis impressus indelebilis character, nec Baptismum iterare possumus sine maximo scelere, possumus tamen animæ nostræ quosdam characteres imprimere. Philosophi docent quòd anima nati hominis sit rasa tabula, in ea nos ipsi scribere possumus, quod placuerit. Et servit huc quod S. Paulus vocet discipulos suos *suam epistolam*. Scribunt aliqui auro amorem DEI, alii luto amorem carnis: alii argento castitatem, &c. Aliqui orant Spiritum S. ut in iis scribat quia illius *lingva est calamus scribæ velociter scribẽtis*. Ps. 44. Alii permittunt ut dæmon in illis scribat, cujus enim alterius illa Scriptura? Non parcam inimico, nulli me postponam &c. Proferetur hic liber aliquando ex hoc judicabimur. Leget totus mundus &c.

3. Quomodo Spiritus S. in Christum ut hominem descendit, siquidem in eo fuit ab instanti conceptionis? Isai. 61. *Spiri-*

Spiritus Domini super me &c. Nos recipimus in Baptismo Spiritum S. quia cùm propter originale simus latronis spelunca, in templum DEI sanctificamur. Hoc est altare in quo DEO in igne amoris sacrificamus. Musica est lingva DEI laudes decantans &c. Uno verbo 1. Cor. 3. *Nescitis quia templum DEI estis & Spiritus S. habitat in vobis,* Jam si quis in altari DEO consecrato Veneri immolaret, si in templo loco laudum DEI decantaret Musica blasphemias, maledictiones &c. *Si quis autem templum DEI violaverit, disperdet illum DEUS, templum enim DEI sanctum est, quod vos estis.* Descendit ergò supra Christum visibiliter Spiritûs S. ut Joannem certum faceret, quòd hic esset Christus. Revelatum enim illi fuit antea, super quem videris descendentem Spiritum S. in specie columbæ, illum scias esse Filium verum DEI.

4. Cur audita vox Paterna. *Hic est Filius meus.* Quando ille non erat Filius? nobis hæc vox potiùs competeret, qui primùm in Baptismo efficimur Filii. Arbitror hanc causam hujus vocis inter alias posse esse, quàm tali similitudine explico. Miles quispiam præclarum inexpectatum facinus bellicum facit, acclamatur illi. Modò es miles. Agit quispiam nobilis quod decet nobilem, & dicunt. Modò es nobilis. Etiamsi & antè fuerit. Ita hic DEUS Pater videndo quoddam singulare Christi factum. Ait. *Hic est Filius meus.* Profiteri se in publico esse furem, esse malè natum, credo, quòd sit majus quàm tormenta pati. Quia hæc gloriosè pro DEO & Patria sustinentur, & miles gloriatur de cicatricibus. In baptismo profitebatur homo se esse peccatorem. Hunc in se suscepit Christus, quàm grave & durum apud eum qui scit quid sit peccatum! hic actus humilitatis traxit Patrem, ut diceret. *Hic est Filius meus.* Ita humile caput nostrum Christus. Jam pingat aliquis personam cujus sit caput humanum. Sed pro pe-

ctore sit cauda pavonis, pro manibus fauces leonis, pro pedibus aquilarum capita, quale erit monstrum? tale est, si nos, cùm simus membra tam humilis capitis, &c. Superbiamus.

5. Cur cœli aperti? In nostro baptismo nobis aperiuntur. Aperti cœli, opinor, ut spiritus cœlestes viderent illam Filii DEI humiliationem. O si possemus scire quæ tunc Angeli cogitâstis! sed si interfuissemus, fortè aliquis vestrûm dixisset nobis. Videte quid Christus faciat, videte si non imitamini quo digni estis? Jam estis Fillii DEI. Cùm videmus singularem Patris erga vos amorem. Si non amatis hunc Patrem &c. Sed ille: *Sine modo sic nos omnem decet implere justitiam.* Non excusabit se hìc superbus homo quasi exemplum non habuerit humilitatis &c. Ego cùm sim infinita sanctitas, ita me humiliavi ut viderer esse infinita malitia, id est, peccatum. Non amabimus tanta facientem pro nobis? non imitabimur? frustra hoc erit exemplum? res illi contra naturam ostendere se peccatorem: nos id nos esse cogitemus, quod sumus: nihil, lutum, & ita nos æstimemus.

CONCIO XXXVIII.

Dominica I. post Epihaniam, Prima Concio.

Ascenderunt in templum juxta consuetudinem diei festi, Luc. 2.

DEUS processit in creatione ut qui librum scribit, primò materiam digerit in capita, paragraphos, &c. Et suam de illa dat sententiam tandem finito opere, addit Indicem in quo in summa videatur quid in libro contineatur. Creavit quædam in quibus solùm est *esse*, in aliis *vivere*, in aliis *sentire*, in aliis *ratiocinari*, finito hoc opere veluti indicem posuit hominem in quo ista sunt omnia. Sed contingit librum tandem

dem pulvere inſpergi, renovabit eumDEus indie judicii, modo indicem ſumpſit repurgandumLeo ſerm. 4. inQuadrag. *Dum per varias actiones ſollicitando vitæ hujus diſpergitur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Unde clamabat Iſai. 52. *Excutere de pulvere.* Excutit pulverem de his libris inter Doctores Dominus, ſed non omnem excusſit, quia ibi invenit conſvetudinem diei feſti loquar de illa.

Monet Sponſam Cant. 2. *Surge propera*, quare? *Quia flores apparuerunt in terra noſtra*, potes facilè purgare vineam dum ſunt flores, ſed ſi creverint arbores, ſi conſvetudo, non extirpabis niſi maximo labore. Clem. Alex. orat. exhort. ad Gentes. *Conſvetudo eſt barathrum & orcus quidam.* quia ab illa ſicut ab inferno nonniſi miraculosè exitur. Prov. 18. *Impius cùm in profundum peccatorum venerit contemnit.* Chryſoſt. epiſt. ad Theodorum quærit. *Quid eſt veniſſe in profundum? idem eſt quod aſſveviſſe peccatis.* Alii lib. cap. Apud Salazar ita legunt. *Impius cùm in centrum peccatorum venerit* &c. Idem eſt conſvetudo quod centrum. De centro Philoſophus lib. 1. de cœlo. *Res in centro habent quietem, conſervationem, & unionem.* Hoc idem fit in conſvetudine. *Quietem*, jam conſcientia non turbat, & ut Hugo in lib. cap. Prov. ait. *Aſſvetus conſcientiam contemnit.* Lyranus, contemnit ſupplicia, quod poterat graviùs eſſe monitum quàm datum illi nobili Polono aſſveto peccatis de quo Cromer. lib. 9. Contuſus fuit in lecto à dæmonibus, plagæ videbantur &c. Noluit converti, mortuus. *Conſervatio*, dè anno in annum differunt emendationem, ſicut oſtium in cardine moventur. *Unionem*, jungit ſe dæmoni ut ſponſa. Lyr. *Atq; in hunc modum contemnit omnem correptionem, pœnitentiam, omnemq; medicinam.* Quia unita virtus fortior, ibi verò ſe multa peccata unierunt per conſvetudinem. Ideòq́ue planè deſperatè de talibus Jerem. 13.

Si potest æthyops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum. Audiant hocqui differunt conversionem ad mortem, interim peccatis assvescunt. Contra malam consvetudinem ostendit Christus opponendam esse bonam, Unum templum erat in toto Judæorum regno. In Jerusalem, Christus in altera ejus regni parte habitabat in Nazareth idque in alio Ducatu in Galilæa oportebat transire montem Thabor, Jerichuntem latrociniis infamem, transire per flumen Chizon. Tamen cùm adhuc esset infans, manibus Matris voluit portari, postea ibat pedibus. Sed de consvetudine diei festi, quæ est pulvis, & debet citò excuti constitui dicere. Videamus ad quæ capita possit reduci consvetudo in festis. Certè ad Luxuriam & Acediam.

Lego aliquos vexatos fuisse à spiritibus immundis, quæro qui sint tales? respondit Ambr. in Luc. 6. Libidinosi. Nam hoc peccatum habet specialem cum dæmone connexionem. Peccavit Elymas Magus avertendo à fide, peccârunt alii aliter, non punit illos Paulus dæmonio sed solum libidinosum Corynthium. 1. Cor. 5. *Jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, &c. tradere hujusmodi Sathanæ.* Cur sic puniatur hoc peccatum potest ex doctrina S. Thom. 1. 2. q. 73. Causa peti. *Diabolus dicitur gaudere maximè de peccato luxuriæ, quia est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab eo potest homo eripi.* Videamus hanc difficultatem. 1. Reg. 14. Debellavit Saul *Reges Moab, filios Ammon, & Edom, & Reges Soba & Philistæos,* & *quocunq; se vertebat,* &c. *Congregatoq; exercitu percussit Amalec, & eruit Israël de manu vastatorum ejus.* Certè sine exercitu nec priores superavit, quid novum oportebat conscribere contra Amalec.? Gregor. in hunc locum Amalec. Idem est, quod populus lambens. *Ad extingvendum fornicationis spiritum virtus una non sufficit:* Opus novo virtutum exercitu. Quid si consvetudo accesserit? Et

sicut

sicut pro eo qui est traditus dæmoni (scilicet excommunicatus) non fundit Ecclesia publicas preces, ita nec Sancti pro luxurioso. Duobus id exemplis patebit. Revelavit DEUS Noë quòd esset orbem puniturus. Gen. 6. *Finis universæ carnis venit coram me, & ego disperdam eos de terra* Cur? *Omnis enim caro corruperat viam suam.* Rupert. de Victor. Verb. lib. 1. cap. 29. *Audit Noë vir justus & perfectus, & tacet, nullamq; pacem pro injustis offert ut DEUM teneat, & iram ejus suspendat.* Abraham verò pro Sodoma locutus, sed obtinuit nihil. Allegavi alterum exemplum de S. Paulo circa Corynthium, possidet dæmon luxuriosum, & ut pellatur, novo virtutum exercitu opus. Si possidet, ad quæ peccata non impellit? Certè crucifixio Christi initium habuit à luxuria Judæorum. Audite Aug. serm. 2. in Domin. 23. post Trinit. *Certè Judæi qui Dominum crucifixerunt* &c. *illi de sua luxuria cogitantes, dixerunt: nullum sit pratum quod non pertranseat luxuria nostra. Quomodo ergo parceret Christo, si eum invenisset in terra non solitaria, quæ non prata irritandis libidinibus suis, sed frequētissimas eligit Ecclesias?* in templo lascivias aspectu, colloquio, desiderio exercet. Sed utique recipiebat semper Ecclesia tales dum pœniterent. Sed videte qualis illorum pœnitentia debebat esse. Tertull. lib. de Pudicitia sic alloquitur Papam. *Et tu quidem pœnitentiam Mœchi ad exorandam fraternitatem in Ecclesiam inducens, conciliatum & concineratum cum dedecore & horrore compositum prosternens in medium ante viduas, antè Presbyteros, omnium lacrymas suadētem, omnium genua detinentem, benedictus Papa concionalis* &c. Solebat talis induci in templum post concionem, oratio pro illo publica indici, judicium ferri an satis pœnituerit, ille omnium pedibus advolvi, cinere conspergi, tum primò recipiebatur. Debetur templo DEI reverentia. Audite Josephum Judæum lib. 6. de antiq. cap. ult. qui postquam dixisset templum Jero-

solymorum ablatum esse Judæis propter illius irreverentiam, dicit. *Puto si Romani contra noxios venire tardâssent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmina ac Sodomæ incendia passuram, multò enim magis impiam progeniem tulit, & Sodomitis oppido pejores erant Jerosolymitæ.* Cùm quæsivissent à Christo discipuli, quando mundo esset facturus finem, respondit. *Cùm videritis abominationem stantem in loco sancto.* Amos 2. *Super tribus sceleribus filiorum Amon & super quarto non convertam eum, eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad.* Greg. intelligit per Galaad Ecclesiam, per prægnantes hos qui ad Ecclesiam veniunt cum bono orandi proposito, & illis alii obturbant. Potest enim servire nostris temporibus de quo conquestus Chrysost. hom. 36. in 1. Cor. *Nihil à caupona differunt templa nostra, tanta turba, tantus risus, quantus in balneo. Neq; enim tonstrina aut unguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia DEI, cœlum ipsum.* Sed ad propositum, à quo aliquantum digressi sumus, redeamus.

Altera consvetudo diei festi, otio diem transigere, in templo non morari &c. Hic est neglectus finis propter quem festum institutum est, totas sex dies nobis DEUS dedit, totam illi septimam demus. Instituerat DEUS festum in cœlo, Michaël illud totum in laude DEI consumpsit, & præmium accepit. Lucifer verò. *Sedebo in lateribus Aquilonis.* S. Bern. serm. 3. in Cant. *Sedere tentâsti ô impie! propterea moti sunt pedes tui.* Cùm erat laudandus DEUS, *sedebo*, non exibo templum *ad latera Aquilonis*, refrigerium capiam, me recreabo. Deductus ad infernum Epulo Luc. 16. orat, ut Lazarus intingat extremum digiti. otiabatur, diebus festis potabat, epulabatur Basil. in Ps. 48. *Qui in hoc mundo in lautitia & omnibus deliciis molliter egerit, purpuram & byssum induerit, & in conviviis splendidè quotidie se exhilarave-*

laraverit, deniq; pro virtute labores subire noluerit, is in futuro sæculo longè vitam videbit in camini flamma cruciatus. Ratio hujus peti à S. Chrysost. de Virginit. cap. 3. potest. *Non enim qui vitia caverint coronâ donandi sunt.* Non ideò coronâ dignus es si die festo mali nihil egeris, si tamen nihil etiam boni. Non habet illorum specialem curam DEUS qui templum negligunt. Apoc. 11. Jussit DEUS mensurare templum. *Surge & metire templum DEI, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod foris est templum, ejice, & ne metiaris illud.* Veluti rem ad se non spectantem. Hæreat nobis in mente dictum Isai. 21. *Si quæritis quærite.* Si festos dies agitis, agite ut festos. Ex hoc otio, ait S. Vinc. conc. hod. *Puellæ non virgines veniunt ad nuptias sed quæ bis aut ter pepererunt.* Sed & ipsis parentibus accidit ut dum negligunt quæ sunt DEI, etiam DEUS negligat quæ sunt eorum. Quid in nobis sine DEO? Isai. 8. *Ecce derelinquetur Filia Sion sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* Postquam fructus collecti, non curatur ab illo. Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 6. *Fleo, & oculi mei caligaverunt à fletu, quia elongavit à me qui me consolabatur.*

CONCIO XXXIX.

Dominica 1. post Epiphaniam, Altera Concio.

Dolentes quærebamus te. Luc. 2.

CUm aliquis amittit DEUM, ita cum illo procedit dæmon ut Pharao cum Judæis quos in servitutem redegerat, auget labores ne tempus habeant quo de modo libertatis recuperandæ consulent. Cyril Alex. lib. 9. in Joan. 19. *Graviora onera intulit ne sermonibus variis operam dare possent, appellabat sermones varios eos qui de libertate haberentur.* Sed omnibus curis aliis omissis, quæramus JESUM, si amisimus.

Impri-

Imprimis videndum ubi ſoleat amitti JESUS, & hoc patebit ex Evang. 1. Inter turbas. Luc. 19. Zachæus præ turba non poterat videre Chriſtum. Socii impediunt ſicut illum cœcum qui clamabat, *JESU fili David miſerere mei. increpabant eum. Excitans Chriſtus filiam Principis, ejecit turbas.* Ipſemet dicit. *Ducam eum in ſolitudinem & loquar illi ad cor.* Propterea non impediendi qui volunt Religionem ingredi. 2. Amiſſus Chriſtus die feſto, cum enim plura peccata committuntur. Iſai. 1. *Neomeniam & Sabbatum & feſtivitates, & ſolennitates veſtras odivit anima mea.* Malach. 2. *Diſpergam ſtercus ſolennitatum veſtrarum.* Rident Judæi, Hæretici, imò & dæmones noſtram celebrationem feſtorum. Thren. 1. *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata ejus.* Imò DEUM & fidem blaſphemant, ſi eſſet inquiunt, fides illorum verior quàm noſtra devotiùs obirent feſta quàm nos. Si eſſet Sacramentum Confeſſio, non ſtatim quæ confeſſi ſunt iterum patrarent &c. quia fidem ex operibus metiuntur. De hoc Ezech. 22. *A Sabbatis meis avertunt oculos ſuos, & coinquinabar in medio eorum.* 3. Inter cognatos amiſſus Chriſtus. Dum Abrahamum vult perfectiorem facere DEUS. Ait. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua*, quia ſcandaliſabunt te.

Opportet amiſſum Chriſtum quærere cum dolore. *Dolent es quærebamus te.* Job. 17. *In amaritudinibus moratur oculus meus.* Opportet quærere diligenter. Cant. 3. *Surgam & circuibo civitatem per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Sed nobis evenit ut illi, Prov. 6. *ecce leo eſt in via.* Si vitā mutavero quid dicent de me? per plateas, ſi publicè peccâſti publicè pœniteas. Putatis quòd quærenti Filiùm S. Matri non illuſerit aliquis? quid quæris? tamen ipſa vix habes quo te ſuſtentes? cur malè cuſtodiſti? nihilominùs illa, ut Pſ. 118. *In toto corde meo exquiſivi te.* Sed quæritis cur hanc afflictionem in B. Matrem immiſit DEUS? Certè non propter peccata, quia nulla habuit,

habuit. Non egit imprudenter, nam in illa templi visitatione seorsim ibant viri, seorsim mulieres: pueri verò sive cum his sive cum illis, & sic putabat Christum esse cum S. Josepho, & hic esse cum S. Matre, sciebat esse morigerum. Sed de industria se Christus illis subtraxit ad augendum eorum meritum. Quærendus Christus ardenter, ut Magdalena Joan. 20. *Tulerunt Dominum meum &c.* Quærendus ut amissus thesaurus: ut à famelico quæritur panis, nam *Ego sum panis vitæ.* Ut à graviter ægroto quæritur sanitas. Malach. 4. *Sanitas in pennis ejus.* Ps. 106. *Misit verbum suum & sanavit eos.* Quærendus perseveranter. Ps. 104. *Quærite faciem ejus semper.* Quæsivit S. Mater donec inveniret. Incipiunt aliqui quærere, Sed, *Video homines sicut arbores*, agitantur à vento, videntur se velle movere loco, manent in eodem, impellit Spiritus S. fiunt proposita, sed nihil exequimur. Quærendus per triduum, oportet conteri, confiteri, satisfacere. Oseæ. 6. *Vivificabit nos post duas dies, & in tertia suscitabit nos.*

Invenerunt Christum in templo, sed potest etiam alibi inveniri. Invenerunt Pastores in præsepi, fideliter DEO inter suos labores serviendo. Invenerunt Magi aurum offerendo. Daniel svadet: Redime peccata eleemosynis; sed addendum est thus devotionis, & myrrha mortificationis. Invenitur à Parentibus in medio Doctorum cùm suas proles piè instituunt. Inventus est à pœnitente Magdalena in domo Simonis leprosi. Vade in domum leprosi, Agnosce tuam lepram. In domum Simonis, *Simon*, idem quod *obediens*. Obedi instinctibus. Invenit & Sathan in deserto, sed ut tentaret illum. Ita faciunt Hæretici qui relictâ universali fide, novam in deserto quærunt. Alii, dicut lapides isti fiant panes: Si illum videro in Eucharistia credam. Alii ducunt eum supra pinnaculum templi, dicunt Ecclesiam totam errare, se solos sapere. Alii si cadens adoraveris me. Volunt ut Christus

apud illos emat fidem: si hoc & hoc mihi DEUS fecerit, convertar. Sed hic dicetur, vade Sathana.

Nunquam autem amittemus Christum, si in his semper fuerimus quæ Patris ejus sunt, in his enim & ipse est quidquid agimus interrogemus, an hoc sit Patris? &c.

CONCIO XL.

Dominica 2. post Epiphaniam, Prima Concio.

Nuptiæ factæ sunt. Vocatus est JEsus. Joan. 2.

CUjus hæ nuptiæ fuerint, non constat. Hieron. & Beda putant S. Joannis Evang. Sed contrà est. Quia jam antè ut patet ex Matth. 4. Marci 1. ad mare Tiberiadis vocatus S. Joannes ad Apostolatum. Apostoli verò cùm relinquerent uxores, multò minùs debebant novas assumere. Alii putant quòd Simonis Chananæi cum Magdalena quæ postea est effusa in vitam laxam. Sed etiam contrà est, quia hæc ut patet ex multis vitam laxam egit per annos 12. juxta hanc verò opinionem vix per annum aut alterum egisset. Cujuscunque demum fuerint nuptiæ, optimè factum quòd JEsus invitatus, qui & Matrimonium consecravit, & vini defectum compensavit, & ut invitetur à novis Conjugibus suadere aggredior. Et ratio

Prima sit, quia dæmon Asmodæus veniet si non in Christo sed in voluntate muli & equi sint nuptiæ, uti contigit Tob. 3. Hinc mirantur non benè succedere. Taliter acceperat Samson Dalilam, Judith. 16. & per illam periit. Taliter Joram qui & fratres suos occidit, & factus est idololatra. 4. Reg. 8. *Filia quippe Achab, pessima erat uxor ejus.* Taliter ipse Achab qui & idolis sacrificavit & Prophetas occidit. 3. Reg. 11. *Concitavit enim eum Jezabel uxor sua.* Tertull. *Matrimonium postulas à Presbyteris, & ipsi planè sic dabant viros & uxores quasi buccellas*, hoc est, quasi Eucharistiam, cum pravo affectu illam accepit Judas,

das, ingressus in eum diabolus post buccellam, cùm primo homini uxorem DEUS daret. Gen. 2. *in eum immisit soporem.* Quærit Hugo Cardin. in loc. c. qualis iste fuerit sopor? & dicit. *Non somnum fuisse sed extasim in qua creditur interfuisse cœlesti curiæ*, ita dicit Aug. Non solùm ideò somnum induxit, ne si eo vigilante formaret Evam, formam optimam peteret, sed quia qui quærit uxorem debet esse mente in cœlo, ad hoc solùm quærat ut quod per ruinam Angelorum in cœlo deest, per proles ejus reparetur & ad hoc deinde illas instituat. Non quærat tantoperè formam uxoris nec uxorem per humanas rationes eligat; sed quam DEUS dederit, quam putat pro salute animæ suæ, DEI gloria, accipiat. Cum qua deinde in concordia victurus, nam conjugium à jugo dicitur. Hieron. epist. ad Lætam. *Qui sub jugo est ita debet currere ne in luto comitem derelinquat.* Aliàs fiet, ut apud Mezentium, qui *mortua quin etiam jungebat corpora vivis.* Erunt suspiciones, zelotypiæ. Judic. 5. Cùm progressus in bellum Sisara non rediret: *Ululabat mater ejus cur moratur regredi.* Tum verò. *Una sapientior cæteris uxoribus hæc socrui suæ verba respondit. Forsitan nunc dividit spolia & pulcherrima mulierum ei eligitur.* In loc. cit. Abulen. q. 10. *Magis sollicitæ erant uxores, an sumeret aliquam speciosam puellam, quàm de vita ejus.* De casibus belli, quibus & periit, culpam sterilitatis in maritum conjiciet, ut Rachel. Gen. 30. *Da mihi liberos, alioquin moriar.*

Altera ratio est. Præsens conjugium sine dubio sanctum fuit, aliàs nec interfuisset illi Christus, nec in eo matrimonium sanctificâsset, tamen defecit vinum. Habet omne conjugium suas molestias, sed in sancto succurrit Christus. Tertull. supra cit. *Dabant viros ut buccellas.* Buccella est in memoriam passionis Christi instituta. *Qui cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori suæ.* In quem locum Basil. lib. de vera Virginit. *Quippe conjugii finem corruptionem & injurias esse considerans,*

siderans, ex ipso fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione colligit. Nuptias esse ait similes tragædiæ cujus initium lætum, tristis exitus. *Sollicitus est quæ sunt mundi.* Chrysost. *Quando ducturus es uxorem, non solùm civile jus, sed etiam Ecclesiasticum legito.* Litigabis de dote, causas divortii oportebit nosse, affinitates &c. Sanctum erat Adami conjugium tamen quò per uxorem deductus? unde Athanas. q. 97. in Scripturam. Cur DEUS non dedit plures uxores Adæ siquidem hoc conveniebat ad orbem propagandum, & postea id ipsum permisit? Respondet. *Quid futurum cum mundo fuisset, si ab initio uni viro DEUS fecisset duas uxores?* Si cum una perdidit mundum, at quando DEUS permisit plures: ait idem loc. cit. *Magna tunc erat diaboli Tyrannis quàm Christus abolevit.* Et præsentes nuptiæ ubi factæ sunt nisi in Galilæa? hoc est *transmigratione.* Sicut cùm in alienam regionem migramus multa accidunt mala. Nuptiæ ut ait Ambr. à nubibus dictæ, nubes non semper pluviam salubrem, sed etiam tempestatem, Tonitrua, nives, &c. adferunt, Et Hieron. tam proprias lites conjugio putavit ut dixerit adv. Jovinian. *Qui non litigat cœlebs est.*

Opus ergò ut juvet Christus, & juvabit si fuerit vocatus, etsi aliquando id non statim fecerit, fiet in majus bonum. Non statim hic fecit vinum ex aqua, quia si fecisset statim, cùm non omnibus innotuisset defectus, non putavissent factum miraculum & non credidissent in illum. Habet in sua cura Christus bonos conjuges per quos Filios DEO Patri ex Baptismate est generaturus. A Conjugibus dependet salus quam ille maximè desiderat. Cur aliqui Sancti, cur Susanna pudica? *Docuerunt eam Parentes à pueritia timere DEUM.* Dan. 12. Cur Tobias junior bonus, cur è contra aliqui pessimi? quia Parentes Ps. 104. *Immolaverunt filios suos dæmoniis* per malam educationem. Veniet Christus ad nuptias. Si bona fuerit uxor Prov. 19. *Do-*

mus &

mus & divitiæ dantur à Parentibus uxor bona à Domino. Si à Domino non deseret eam, nullæ erunt turbæ domi. *Quæ à DEO sunt ordinata sunt.* Amos. 3. *Nunquid ambulabunt duo pariter nisi convenerit eis?* Dat DEUS uxores pares. Erit à DEO si ad imitationem Christi. DEus intantùm dilexit suam sponsam humanam naturam, ut titulos sibi comunicent, jam dicitur DEUS mortuus, crucifixus: jam dicitur Filius hominis Filius DEI, adoratur ut Filius DEI. Si fuerint DEO obedientes. *Quodcunq; dixerit facite.* Sine cruce non eritis. Aug. serm. 5. de verbis Dom. *Omne granum, omne pomum,, omne frumentum, habet suum vermem.* Sed in promptu remedium, si facis quod jubet Christus. Affligimini, positæ sunt hydriæ ad purificationem, videte si quid est domi contra præceptum DEI, purificate. Regula juris 14. *Si res aliena propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur sed simulatur.* Tobias cœcus audivit alienum animal suæ domi statim voluit restitui. Datum est illi vinum, visus redditus. &c.

Sed sunt Conjuges qui volunt ut aqua illis mutetur in vinum, interim nec DEO obediunt, nec Sanctum Conjugium. Taliter isti orant sicut si quis Ducem rogaret ne militi meritò daret stipendium. Nescitis? *Stipendium peccati mors.* Et alia mala. DEO non obedit & vult illi ut DEUS obediat? DEUM non curat & vult ab eo curari? non dat illi de his quæ habet, & vult ut DEUS det illi de his quæ habet? Hostes DEI fovet, & vult à DEO foveri? Utuntur datis à DEO contra DEUM, & non volunt ut DEUS illis hæc arma subtrahat. Non solvit alter pro labore famulis, & vult ut DEUS ipsi labores ejus solvat? Perdit DEO filios, & vult suis filiis benedici? Honorem DEI non tuetur, & vult suum à DEO protegi? Christus in paupere perit fame, ille à Christo vult abundantiam? Non facit talis conjux quod Christus dixit. Non speret ab illo vinum,

nisi fortè illud quod aliquando fiet fel draconum. Injustè latro offenditur si illi viator arma extorqueat ne eis ab illo conficiatur, injustè querimur si DEUS subtrahat bona quibus illum oppugnamus.

CONCIO XLI.

Dominica 2. post Epiphan. Altera Concio.

Nuptiæ factæ sunt. Luc. 2.

NOn interfuimus his nuptiis sine dubio sanctis: Sed possumus quotidie interesse aliis non minùs sanctis, & quidem non solùm ut convivæ, sed ut arbitri de sponsa quam duo desiderant, & à nostro consensu pendent. Sponsus quo nemo dignior unus, alter quo nemo deterior: Sponsa quâ post Angelos nihil digniùs creatum. Sine dubio meliori adjudicabimus, ego tamen metuo an ita fiet? rem evolvam.

Anima nostra est virgo, & necessariò debet nubere vel DEO, vel dæmoni. Quia debet vel benè vel malè operari. Si DEO nubit, benè agitur. 1. Cor. 6. *Qui adhæret DEO unus est spiritus cum eo.* Si dæmoni, etiam cum illo. DEUS hanc sponsam ornabit. Dabit illi Christus seipsum in vestem. *Quicunque baptizati estis Christum induistis.* Dabit in dotem totum mundum. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Ipsemet aget vigilias. *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël.* Domus erit ex pretiosis margaritis. Cibi quibus ipse vescitur DEUS. Si dæmoni nubet, lectum dabit. *Subtus te sternetur tinea, & vermes erunt operimentum tuum.* Cibus fames. *Circuibunt civitatem sicut canes.* Domus. *Sepulchrum domus eorum in æternum, &c.* Quis ergò vellet animam suam desponsare dæmoni? sed ad matrimonium consensus explicatur vel voce, vel rebus. Dicat quæpiam, ego istum nolo habere virum, interea annulum ejus digito

gito detractum imponat suo, & suum det illi, arripiat manum ejus & deosculetur, ipsum ad se attrahat &c. Quis non dicet hunc consensum rebus expressum, illo vocali potiorem? Ita planè fit, dicimus nos renuntiare Sathanæ, & opera ejus facimus, dicimus, nolo esse cum Sathana, & per vim eum sequimur, illi obedimus, interim Christus expetit matrimonium & ad illud suis beneficiis sollicitat. Videamus rem in exemplo.

Venit non pridem Christus cum Synagoga contracturus sponsalitia. Tit. 1. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri.* Quid sponsa? Non erat ei locus in diversorio. Nihilominùs urget Christus, & ecce Herodes eum pellit usque in Ægyptum. Cæsar Romanus ab eo tributum exigit, ut per hoc se ejus recognoscat subditum. Christus ad hoc, non solùm id faciam, sed etiam meipsum exinaniam. Herodes quærit eum ad necem, & ut occidat unum tot innocentes perimit, at Christus Oseæ 1. *Sponsabo te mihi in fide.* Sed hoc factum in Judæa. Aliter fortasse apud nos. Abrenuntiamus Sathanæ in Baptismo. Sed vix ad usum rationis venitur, ecce ad dæmonem properatur. Sex hydriæ aquâ plenæ. Dixit Jacob cuidam. *Effusus es fili mi sicut aqua non crescas!* Jam iræ, jam maledictiones. Oseæ 12. *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis.* Jam lasciviæ. Thren. 4. Qui erat ex Baptismo ut nix candidus. *Denigrata est facies ejus super carbones.* Crescit in ætate, nulla DEI lex servatur, inclamant cœlites vindictam Psal. 118. *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.* Opera bona quæ aliquando fecit mortificata sunt per peccatum. Thren. 1. *Parvuli ejus ducti sunt in captivitatem.* Alia si fiunt, in peccato fiunt, & ita sunt mortua. Jerem. 31. *Rachel plorans filios suos & noluit consolari quia non sunt.* Thren. 5. *Hæreditas versa est ad alienos.* Et quod pessimum. *Pactum fecerunt cum inferno.*

Nihilominùs expectat Christus. *Desponsabo te mihi in sempiternum.*

piternum. Jam diſponit nuptias Apoc.19. *Gaudeamus & exultemus.* Clamatur in cœlo, *Quia venerunt nuptiæ Agni.* Apponitur panis Angelorum, invitantur amici Cant. 5. *Comedite & bibite.* Fit promiſſio Iſai. 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt & fugiet dolor & gemitus.* 1. Cor. 15. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Quid pro anima dicimus? Vellem. Cur non, volo? cur non ita ut ad nuptias dæmonis? *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum eſt procul.* Quis dicit, *Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtificationis tuæ?* Quis, *Si reddidi retribuentibus mihi mala?* &c. Chriſtus verba non ita curat ut facta, hypocriſis illi non ſatisfacit. Dicent aliqui. *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* &c. Audient. *Diſcedite à me operarii iniquitatis.* Redeamus aliquando ad cor & videamus quid agitur. Deſponſamus animam dæmoni, repudiamus Chriſtum, quale hoc erit matrimonium? Ergò anima tua erit uxor dæmonis. O quæ deliciæ cum illo in æternum! ô quis pudor coram toto mundo in æternum! O quod tonitru, cùm dicetur. *Vos me abjeciſtis*, ad eum ſpectatis cujus opera feciſtis! quâ veſte hic maledictus teſponſus, ô anima mea in æternum teget? quis lectus, quis cibus erit? &c. Carebis DEO in æternum. Ille eſt omne bonum, ergo ſine illo nullum tibi ſupererit bonum, ergò in purè malis volutaberis, unum malum grave eſt, in omnibus eris.

CONCIO XLII.

Dominica 3. poſt Epiphaniam, Prima Concio.

Multi venient ab Oriente & Occidente &c. Matth. 8.

NUnc ille Scripturæ locus venit mihi in mentem. *Militia eſt vita hominis ſuper terram,* quando video partes inter ſe confligentes de regno DEI, Centurionem & Filios regni. Centurio armatus ſcuto fidei. Jam pars altera debilior. *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* Armatus gladio verbi DEI,

quod

quod aliis Christus prædicavit de amore proximi, hoc iste fecit. Armatus sumpsit galeam salutis, altera pars silet, decernitur Centurioni regnum. *Multi venient ab Oriente* &c. Et nos in eadem militia sumus, arma ejus sumamus.

Incipiamus *ab amore proximi.* Multi ita amorem ostendunt erga proximum, ut Apothecarii erga herbam, exprimunt succum ejus, reliquum abjiciunt. Sed qui vult lucrari regnum debet agere ut Abraham. Gen. 12. *Fecit animas.* Chald. legit. *Subjecit legi.* Hæc cura prima debet esse, proximum subjicere legi DEI. Deinde providere in temporalibus. S. Gummari Præfecti Remensis uxor cùm ejus messores siti urgerentur, prohibuit illis potum. Sanctus percusâ terrâ baculo produxit aquam, uxor verò in pœnam siti, mortua. 1. Thim. 5. *Qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit & est deterior infideli.* Matth. 8. *Ivit oraturus pro servo Centurio.*

Fides. In prosperis fidem profitemur, in adversis videmur deficere. Sed qui solis prosperis ducitur, non servit DEO. Jerem. 23. *Locutus sum ad te in abundantia, & dixisti, non audiam.* Prospera faciunt ne DEUM audiamus. Jer. 5. *Saturavi eos & mœchati sunt.* Et quod pejus Zach. 1. *Juxta ubertatem terræ suæ exuberaverunt simulachris.* In adversis quando est fides, est vera, & docet totos nos in DEUM debere projicere. DEUS nos vult totos, dæmon parte contentus, ut cùm duo de agro litigant; unus qui nullum habet jus ad agrum, hic contentus est si pars agri illi adjudicetur, qui verò Dominus verè est agri, non est contentus nisi toto agro. Ita hic agitur ut cùm meretrices coram Salomone disceptarent, quæ non erat mater dixit de infante. 3. Reg 3. *Nec mihi, nec tibi, dividatur:* vera mater maluit integrum. Intellectus noster est ita pars nostri ut quasi totum nostrum, unde & rationales dicimur, illum sequitur voluntas, illi reliqua subsunt, reddamus nos totos DEO

 in in-

in intellectu, captivantes illum in obsequium fidei. Quidquid in contrà afferat, captivetur. Centurio credebat esse DEUM, ac proinde ubique esse. Vidit alios afferentes suos ægros, ille non attulit, DEUS est ubique, & hic sanabit. Vidit DEUM, ac proinde summo honore dignum. *Domine non sum dignus*, &c. Si fidem habemus de Providentia DEI, & quòd DEUS videat quæ patimur, quid turbamur? credimus DEUM qui nos amat nihil velle in nostrum malum; credimus ex malo posse elicere bonum, & si id expediat, etiam nobis facturum, *quid ascendunt cogitationes in cor nostrum?* Credimus Medico quòd nobis benè velit etsi amaras exhibeat medicinas, sectiones, ustiones. Luc. 1. *Regnabit in domo Jacob?* Cur non in domo Abraham, Isaac? Quia Abraham duos habebat filios, Isaacum, & Israëlem. Isaaco dedit totum, at Israëli Gen. 21. *Tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus*, Agar, *tradiditq; puerum & dimisit eam.* Isaac habuit duos filios Jacobum & Esau, Jacobo totum dedit, Esau nihil. At Jacob duodecem habendo filios omnibus providit, ita DEUS noster nullius obliviscitur. Filius prodigus ad se reversus tria se dicturum proposuit. 1. *Dicam Patri peccavi.* 2. *Non sum dignus* &c. 3. *Fac me sicut unum de mercenariis.* Pater duo prima permisit loqui filium, sed non pervenire ad tertium. Statim jussit proferri stolam, annulum. Ambr. in l. c. *Non addit quod disposuerat. Fac me sicut unum de mercenariis*, &c. *Sed Pater occurrens non contentus minora concedere, citiùs pristinæ dignitati Filium restituit.* Latro rogat. *Dum veneris in regnum tuum* &c. At Christus, *Hodie mecum eris in paradiso.* Dum Christus moreretur terra contremuit, ut si aliqua gutta in illo Sangvinis in redemptionem nostram superesset etiam illa efflueret.

Tertia arma sunt *oratio*, in qua spes includitur, qui enim non sperat non orat, si tam bonus est DEUS, cur non speremus?

S. Remigius Episc. multam vim frumenti congessit ut in pauperes erogaret, quia fames urgebat, quidam totum maliciosè incendit, at ille ignem accedens & se calefaciens ait. *Bonus est semper focus, præcipuè seni.* Nam senex erat. Et DEUS aliunde compensavit. Hanc spem habuit Centurio, hanc nos in adversis. Mutuò ista à DEO habemus, dabit cùm nobis expedierit. Habet suos thesauros. horum clavis est nostra oratio. Non impetramus, vel quia eò devenimus ut simus indigni beneficio, vel quia differt dare ob majus bonum. Ita & Magdalenæ in horto dixit. Joan. 20. *Noli me tangere.* quasi diceret, ut S. Leo serm. 2. de Ascens. *Ad majora te differo, cùm ascendero, tum me perfectiùs palpabis.* distulit excitare Lazarum ut miraculum postea celebriùs fieret. Permisit clamare Chananæam, ut beneficium æstimaret. Aliquos statim exaudit, quia nihil obest, omnia facit sapienter, omnia in majus bonum. Et in omnibus erga nos amorem ostendit. In his armis defectus fuit apud Filios regni, apud Judæos, ad quos principaliter fuit missus Christus, nolebant credere verbo ejus, cùm haberent tanta miracula Christi, ut non potuerint non credere nisi propter obstinationem. Non habuerunt spem in DEUM, politicis agebantur rationibus. Rom. 11. *Venient Romani tollent regnum nostrum.* Non habuerunt charitatem, viduas devastabant specie devotionis Parentibus non succurrebant, oratio illorum fuit in plateis ostentatio, ideò foras sunt ejecti.

CONCIO XLIII.

Pro Dominica 3. post Epiph. Altera Concio.

Multi venient ab Oriente &c. Matth. 8.

QUia baptisma suscepimus, Filii DEI sumus. Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios DEI fieri.* Si filii, hæredes, igitur filii regni.

Sed dum Evangelium considero, cogor cum Bernardo dicere. *Quis scit an omnium quos hic video nomina scripta sint in libro vitæ, & in catalogo prædestinationis notata?* Non prædestinatus, non salvabitur, prædestinatus non peribit. Hinc metus, quia nescimus quid de nobis in cœlo statutũ, hunc metum mitigabo.

Certum est, quòd DEus ita faciat in tempore sicut ab æterno facere disposuit, itaque ex his quæ modò facit, possumus certò colligere quid in æternitate disposuerit: neminem modò damnat nisi propter peccata, neminem salvat nisi propter bona opera: igitur & ab æterno disposuit ita salvare & condemnare. Præterea quia omnes homines vult salvos fieri, dat omnibus auxilia quæ sufficiunt ad obtinendam salutem. Dat gratiam omnibus, sicut columnam nubis dedit populò suo eunti in terram promissionis, quam tamen cuique liberum sequi aut non sequi. Etsi aliquis non fuisset columnam secutus, nunquid de DEO quæri poterat, quia non pervenit ad terram promissionis? Ita, neminem salvat nisi volentem. Patet hoc in Centurione & Judæis. Nonne æquè prædicabat Christus Judæis & Centurioni? Imò magis: nonne æquè miraculis se illis atque huic probabat? Imò magis. Nonne videbant illi compleri prophetias in Christo, de quibus Centurio fortè nescivit? Nonne sciebant Christum ex illa domo esse, in eo loco natum, eo tempore, quo debuit Messias, quod fortassè latuit Centurionem, utpotè Gentilem? Quid deerat ad hoc ut crederẽt Christum esse Messiam & salvarentur? Sed tamen, dicetis, elegit ab æterno Cẽturionem, non elegit Judæos. Electio verò Rom. 9. *non est volentis neq; currentis sed DEI miserentis.* Quid ergò poterant illis prodesse Christi prædicationes? &c. Nati sunt ut fornacio pro incendio. Ut vasa contumeliæ, ut esca rogi æterni. Non poterant se inscribere libro vitæ, in quo illos non scripsit DEUS: At verò Centurioni antè sæcula assignatur in cœlo locus, se-

cus, sedes inscripta. Ad hoc non jam respondeo cum S. Augustino. lib. 1. ad Simplicianum. *Nunquid iniquitas est apud DEUM exigentem à quo potest, donantem cui placet? qui nequaquam exigit indebitum, & nequaquam donat alienum?* Sed nulli pœnas erogat sine culpa, nulli dat præmia cui non potest. Eligit quos vult, non eligit quos non vult. Sed dices, si essem electus gratiam haberem quam non habet reprobus. Fingamus jam, quòd & Centurio, quem electum, & Judæi, quos reprobos putatis fuerint in cœlo dum scriberetur liber prædestinationis, & data esset parti utrique charta. Scribite vobis; ego vestrum utrumque volo salvare, quæ vultis adjumenta ad salutem. Scripsissent Judæi, quævis maxima. Habeamus Prophetas, templum &c. DEUS annuit, & addidisset, ego insuper mittam Filium, ipse vos docebit, ipse in conspectu vestro faciet miracula, &c. patietur, ut vos velitis salvari. Anselm. *Tanta fuit in hac gente gratia, quæ sublata ab ea mundum universum DEO reconciliare sufficeret.* Si dedisset toti mundo hæc auxilia quæ dedit Judæis, totus mundus cum illis poterat salvari. Imò ex his innumeris gratiis, v. g. deductio per mare rubrum, potuisset sufficere ad conversionem plurimarum Gentium: Suntne conversi Judæi, &c.? DEUS illis inscripsit plus gratiarum, auxiliorum quàm illi potuissent desiderare. Scribat etiam Centurio Gentilis. Audiam aliquem qui mihi annuntiet verum DEUM, audiam aliquid de Christo, & alia paucula. Dedit DEUS, conversus est Centurio. Estne culpa in DEO quòd Judæi non sint conversi? Ecce videte, an possit conqueri aliquis quasi illi DEUS non succurreret ad salutem obtinendam? Dat sæpè DEUS perdendis majora auxilia quàm salvandis. Ideò in *conspectu ejus non justificabitur omnis vivens.* Dat talentum servis, sed alter illo utitur, alter illud defodit. Sed si Judæi dices, habuissent gratiam aliquam certam, conversi fuissent. Sed

quæ major gratia illis poterat dari pro Filio DEI, & duodecem ejus Apostolis qui circa illos laborârunt, quorum singuli maximas orbis partes converterunt? sed & nobis Christianis numquid pauca dedit auxilia, Sacramenta, Conciones, exempla SS. &c.? Nonne per hæc ipsa auxilia multi alii pervenerunt ad cœlum? Nonne facti Sancti? Sed oro, si tantum lumen haberemus ut illi Sancti. Euseb. *Videmus humanam mentem tantâ esse præditam ratione, ut nullus sit etiam in medio facinoris tempore, cui facinus suum liceat ignorare.* Cur ergò peccamus? Nonne clamat conscientia?

Non poterant converti Judæi, poterat Centurio. Non poterant illi quia nolebant, iste quia voluit. Hoc idem nobis accidit. Nunquid desunt pauperes, quibus benefaciamus? conciones quas audiamus? templa quæ accedamus? &c. Toti in ambitione, vindicta, lascivia, &c. & dicimus nos velle salvari? Tota salus vestra posita in manibus vestris, non peccate, facite benè, & non damnabimini. Intrat quidam Imperator inter mancipia, ego vos volo facere Principes, sed opus dicens: est ut meâ pecunia ematis vobis dignas vestes, en parata pecunia. Alii emunt, alii negligunt, & isti non fiunt Principes, quis in causa? Emite vobis vestem gratiæ, eritis Principes, omnes vult DEUS noster facere Principes, omnes vult salvare. Sed neminem cogit ad vestem emendam, dat auxilia cuique, ut illam comparet. Poteruntné, qui non emerunt, conqueri, cur nos non fecisti Principes? cur manemus in servitute? *Multi venient ab Oriente.* &c Quia vocanti DEO obedient, *Filii regni ejicientur.* Quia vocanti non obedient. Nemo autem quidquam boni faceret nisi gratiâ præventus, nisi vocatus. Sed hæc vocatio, hæc gratia nulli deest. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non est qui se abscondat à calore ejus.* Quare non simus solliciti an simus electi nec ne, si enim id nobis ad salutem esset necessarium, revelavisset utiq; DEUS, sed curemus benè agere.

CON-

CONCIO XLIV.
Pro Dominica 4. post Epiph. Prima Concio.

Ascendenete eo in naviculam secuti sunt eum Discipuli ejus. Matth. 8.

NOn frustra Ps. 103. vocat mundum, *Mare magnum & spatiosum*, fluctuant enim in eo omnia, nihil stabile. Heri Holofernes in cujus virtute gloriabantur Assyrii, hodie cadaver. &c. Devorantur pisces minores à majoribus Ps. 13. *Devorant plebem meam ut escam panis.* Naves aliæ incipiunt apparere, aliæ ab oculis sufferuntur. *Transierunt ut naves.* Pereunt multi. S. Bern. *In mari Massiliæ vix una navis de decem perit, in mari mundi vix una anima de decem salvatur.* Fundus maris arena, fundus mundi cinis; eundum tamen. Petendus portus. Dabo monita, quid sit cavendum.

Primum, non accipite vobiscum Judam in navim, alioqui periclitabimini, etiamsi & Christus fuerit vobiscum. Ambr. serm. 11. Beda. S. Thom. Ideò naviculam hodiernam ajunt jactatam, quia in ea fuit Judas. Si malos habueris socios cave. Nota est historia Jonæ verbo DEI non obedientis, quomodo propter illum orta fuit tempestas, propterea si oriatur tempestas, videndum ne apud te sit Judas, qui dum aliquid pro DEO vis facere, clamet, *Ut quid hæc perditio?* Ne fugias à facie DEI. Secundum. Videndum ne in tua navi Christus dormiat, hic enim apud diversos est diversè. Apud aliquos vivit Christus. Gal. 2. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus.* Apud aliquos est mortuus. Apud alios dormit. Mortuus apud illos, qui ita vivunt, atque si Christus non esset vivus, nihil videret, nihil audiret, omnia mala securè faciunt: liberè se in occasiones peccati conjiciunt, cùm sit scriptum Eccles. 3. *Qui amat periculum*

culum peribit in illo. Dormit in acediosis. Et jam navicula periclitatur. Consentit alienis peccatis, Ac verò Rom. 1. *Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ita Heli periit dum filios non castigaret. Tertium non desperare etsi aliquando nobis videatur dormire Christus. Aug. in Ps. 62. *Subtrahit nobis aliquando necessaria, ut sciamus quia Dominus & Pater.* Nihilominùs si clamaveris promittit. Ps. 4. *Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione.* Officium est dæmonis turbare, & si non turbet malum est signum. Greg. *Dæmon eos tentare negligit, quos securè possidet.* Tempestas aliquando à causa superiore procedit, ut à stellis, planetis: aliquando à ventis ex fundo maris erumpentibus. Ita & in homines aliquando à DEO immittitur. Ita 2. Cor. 12. in Paulum immissa. *Ne magnitudo revelationum extollat me datus est mihi stimulus carnis.* Aliquando à dæmone ut in Job. Sed Christus cùm dormire videtur vigilat. Cant. 1. *Ego dormio, cor meum vigilat.*

Sciendum etiam quam navim debeamus ingredi. Sunt naves Salomonis. 2. Paral. 9. *Naves Regis ibant in Tharsis, & deferebant inde aurum argentum, & ebur, & simias, & pavos.* Sunt naves vanitatis mundi, hæ naves Salomonem fecerunt stultum in senio. Sunt naves politicæ Tyri, de quibus Ezech. 26. ornatæ, comptæ, sed cùm omnia videantur sibi habere, deest anchora. Est navis Jonæ fugientis DEUM, fugientis conscientiam, sed etiam istæ peribunt nisi Jonas ejiciatur. Est navis puerilium occupationum. *Naves poma portantes.* In nulla istarum est Christus. Oportet navim Christi conscendere. Navim Christi multi putant pœnitentiam quia initium habet ut in navicula strictum, durum initiò pœnitere, ferre cilicium, orare. &c. Sed ubi ad medium progreditur, jam est latior. Jam Ps. 101. *Cinerem tanquam panem manducabo.* Jam aspera illa

illa vita dulcescit, & suave est carere eo quod metuebamus relinquere, ut expertus in se Aug. 8. Confess. 11. *Punctum temporis quo aliud futurus eram, quò propiùs admovebatur tantò ampliorem incutiebat horrorem.* Sed cùm in pœnitentia progressus esset. *Quàm suave mihi subitò factum est à suavitatibus nugarum abstinere, & quas omittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat.* Hanc navim peccator necessariò ingredi debet. Decretum stetit contra aliquem, ut atrocissimâ plectatur morte, instat qui illum capiat, habet navim quâ evadat & non vult ingredi, quàm iste est stultus! Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.* Omni modo impedit ac dissvadet diabolus, ne hanc navim ingrediamur, sed quid per hoc facit? Euseb. Emiss. hom. de latrone. *Immittit diabolus securitatem ut inferat perditionem, nec dinumerari possunt, quantos hâc inanis spei umbrâ deceperit.* Interim augentur peccata & pœna, & crescit pœnitendi difficultas, congerit sibi peccator ligna in quibus ardeat. Ostendit in vitis PP. S. Arsenio Angelus quendam, qui fascem lignorum parvum metuebat onere territus ferre, interea ligna accumulabat sperando quod ferre posset. Non posse te putas pro paucioribus peccatis ferre pœnitentiam, quomodo feres si illa cumulaveris, & quotidie cumulas? Est in hac navi Christus, & salvat ne pereant.

Communiter tamen per hanc naviculam intelligitur vera Ecclesia, extra quam nulla salus ut extra arcam Noë. In hac sunt animalia munda & immunda, boni & mali. Huic columba ramum olivæ affert, hanc ipse tuetur DEUS, & est tutatus inter persecutiones Ethnicorum, Hæreticorum. Hâc sunt vecti quicunque sunt in cœlo, in hac contra morbos animæ sunt remedia. In hac in rebus fidei summa concordia. Ab hac navi nunquam recedamus, si portum felicem optamus. Non est in hac navi qui vel in puncto à fide universali dissentit.

CONCIO XLV.

Pro Dominica 4. post Epiph. Altera Concio.

Motus magnus factus est in mari. Matth. 8.

PUtant communiter hanc tempestatem in mari factam ab ipso Christo. Et hoc propter infideles qui aderant, qui viso deinde miraculo exclamârunt. *Quis est hic cui etiam venti obediunt?* partim quia in eadem navi fuit Judas, partim ut discipulos ad orandum excitaret. *Salva nos perimus.* Et in hoc mundo vehimur velut navi, sive dormimus sive non, procedimus, experimur sæpè fluctus, imò experiemur dum ad portum, terram, sepulchrum, perveniemus. Quare hæ tempestates excitantur, explicabo. Siquidem dixi quare in illa navi excitatæ.

Mundus vocari potest mare. Quia mare sordet non assuetis, & concitat nauseas. Ita mundus illis quorum est conversatio in cœlo. Philip. 3. *Omnia arbitror ut stercora.* Inde Sancti mundum fugiebant. At verò peccatores assueti mundo non sentiunt fœtorem, quia & ipsi *computruerunt ut jumenta in stercore suo.* Deinde ut major piscis in mari devorat minorem: ita in mundo. Unde Habac. 3. queritur. *Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se? & facis homines quasi pisces maris?* Quare ergo in hoc mari Christus excitat ventos? Unam causam attigi ex S. Ambr. ser. 11. Quia inter cæteros immiscuit se Judas. *Unius delicto cunctorum merita quatiuntur. Sic igitur Judæ peccato cuncti periclitantur Apostoli.* Cur nostra navis quatitur? quia in ea est aliquis Judas. Qui licet occultus sit peccator & sciat sua tegere scelera, ut Judas furtum destinatum. *Poterat hoc unguentum venundari.* &c. Ille autem ex denariis furari meditabatur cùm esset *loculos habens.* Marc. 2. Maledixit Christus ficui, quid illa rea

quòd

quòd fructus non protulerit quando tempus non erat fructuum? sed in hoc rea, quia primis peccatoribus dedit operimentum. Gen 3. *Acceperunt folia ficûs & fecerunt sibi perizomata.* Anselm. apud. Hector. Pintum in Ezech. 18. *Cùm Christus destrueret peccatum arefecit operculum peccati, hoc est, folia ficûs, quibus Adam tegebatur.* Si enim ita odit peccatum, ut Filio non pepercerit ut veluti per eum configeret peccatum, quomodo parcet illis qui se peccatoribus sociant? Et in ipsa bona peccatoris vindicabit. Peccaverant homines Gen. 6. Ille delet & domos & jumenta, *à reptili usq; ad volucres cœli.* Non omnes intulerant arcam in templum Dagon. Tamen 1. Reg. 5. *Fiebat manus Domini interfectionis magnæ nimis,* Et clariùs 1. Reg. 6. *Plaga una fuit omnibus.* Quid expectare debent qui malos protegunt ne ab justitia puniantur? quid protectores Hæreticorum, Judæorum Christum blasphemantium?

Altera causa, quia in nobis videt Christus aliqua peccata. Fortasse erat aliqua præsumptio in Apostolis quia putabant se suis viribus superaturos fluctus, unde non orabant nisi cùm jam mergerentur: immissum ergò periculum submersionis. Ps. 71. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Usura est cùm ultra sortem ex mutuo quid accipitur. Accipit peccator ultra peccatum, pœnam. Hinc tempestas. Isai. 57. *Cor impii quasi mare fervens quod quiescere nunquam potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum,* Hinc miratur quod conculcetur, quòd ut lutum contemnatur, & causam non considerat. Dan. 7. *Videbam in visione mea nocte & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Quando hæc pugna facta? *Et quatuor bestiæ ascendebant de mari.* Hæ bestiæ figurant peccata. Illud quod instar leonis superbiam, rex animalium. Quod instar ursi, avaritiam. Quod tres dentium ordines habet, invidiam. Quia invidus detrahit in bonis, animæ, corporis, & ex-

ternis. Quod pardo maculoso, luxuriam, in qua sunt varia desideria, habebat quatuor capita, quia luxuriæ sunt quatuor species ad quas cæteræ reducuntur, fornicatio, mollities, &c. Quod erat ab Aquilone & crudelius cæteris, notat avaritiam. Hæc animalia sunt causa quòd venti pugnent. Ut DEUS extingvat peccata, immittit ventos. Luxuria & ebrietas egent pecuniâ, aufert pecuniam. Quædam egent sanitate, ut vindicta, dat morbos, quædam Patronis ut ambitio, tollit illos, &c. Ostendit se vigilare supra peccata. Refert Greg. Nyssen. Cùm Ibicus Poëta clàm occideretur, cùm neminem vidisset spectatorem suæ mortis, præter grues, dixit homicidis. Isti grues testabuntur de mea morte quam innocens subeo, riserunt homicidæ, sed paulò post cùm in publico consedissent, per risum, visis gruibus mutuò inter se collocuti. Ecce testes mortis Ibici. Auditi sunt à quopiam & delati, & facto examine suppliciis affecti.

Jam, quid consilii tenendum in tempestate? 1. vela contrahenda, vita dissoluta revocanda in arctum. 2. Ejicienda vasa ut factum tempore Jonæ, deserendi mali socii, & peccatorum instrumenta. 3. In altum navis ducenda. Ps. 119 *Ad Dominum cùm tribularer clamavi.* 4. Permittenda navis fluctibus per patientiam. 5. Spes in DEO collocanda. Hebr. 6. *Spem sicut anchoram habemus.* Sciet DEUS modum salvandi.

CONCIO XLVI.

Pro Dominica 4. post Epiph. Tertia Concio.

Factus est magnus motus in mari. Matth. 8.

VIta nostra similis est naviculæ in mari, incidit in Syrtes, Sirenes &c. Transeundum circa promontoria bonæ & malæ spei. Expertus id Hieron. epist. ad Heliod. *Et ego non in-*

non integris, rate vel mercibus, quasiq; non ignarus fluctuum, & incautus nauta, præmoneo: sed quasi nuper naufragio ejectus in littus, timidâ navigaturis voce denuntio. In illo æstu charybdis luxuriæ salutem vorat, ibi ore virgineo ad perpetranda pudicitiæ naufragia scyllæum renidens libido blanditur. Hic barbarum littus, hic diabolus pyrata cum sociis, portat vincula capiendis. Nolite credere, nolite esse securi, &c. Tranquillitas ista tempestas est. In hac tempestate ut ait Ps. 106 *Ascendunt usq; ad cælos, descendunt usq; ad abyssos anima eorum in malis tabescebat.* Solus Christus potest imperare tranquillitatem, excitemus dormientem, & oremus.

Quomodocunque vitam agamus, tempestates pati debemus. Nec solùm circa animam, sed etiam circa corpus. Malè vivis, ecce mali Sap. 5. *Ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis & perditionis.* Nunquid non fatigatus superbus Aman, vindicativus Saul? &c. Benè vivis. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Denique de omnibus dictum. Ecclis. 40. *Jugum grave est super filios Adam. A residente super sedem gloriosam usq; ad humiliatum in terra & cinere.* Sed hæc differentia inter bonos & malos. Aug. 1. Civ. 8. *Sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat: sic in eadem afflictione mali DEUM detestantur, ac blasphemant: boni autem precantur, ac laudant.* Insurgit tempestas, apparet quod est aurum, quod palea. Tempestas est tentatio, hæc ostendit, quid in virtute, quid in fide quis valeat. Ephes. 4. *Circumferuntur omni vento doctrinæ.* Altera differentia inter bonos & malos. Boni hîc patiuntur, pòst mortem quiescunt: mali & hîc & post mortem patiuntur. Boni tanquam per malam viam eunt ad convivium: mali tanquam per malam ad patibulum. De bonis Job. 5. *In sex tribulationibus liberabit te, septima non tanget te.* Septima est quietis post opus sex dierum. Nullus sensus in

ſus in nobis qui non affligatur, nullum elementum quod non affligat, animalia vexant, ſol urit &c.

Sed cujus hæc fiunt imperio? Origen. hom. 6. in diverſis. *Tempeſtas non ex ſe orta eſt, ſed poteſtati paruit imperantis, qui educit ventos de theſauris ſuis.* Cujus imperio Job afflictus? &c. Putamus hæc à Dæmone provenire, nihil facere poſſet niſi DEUS permitteret. Iſai. 45. *Ego Dominus & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego domi faciens omnia hæc.* Omnia excepto peccato immittit ipſe mala. Quod impii dum non advertunt & caſu accidere putant, aſſerunt DEUM non habere curam mundi, talis fuit Epicurus & alii. Sed veritas eſt quam Pſ. 148. proponit. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, faciunt verbum ejus.* Quod ille jubet hoc agunt. Sap. 6. *Puſillum & magnum fecit, & aqualiter eſt illi cura de omnibus.* Impium eſt aliter cogitare. Ezech. 9. *Iniquitas domûs Israël & domûs Juda magna eſt nimis valdè, & repleta eſt terra ſangvinibus, & civitas repleta eſt averſione. Dixerunt enim, DEUS dereliquit terram, & Dominus non videt. Igitur & meus non parcet oculus, neq; miſerebor.* Sed cur contra bonos movet DEUS tempeſtatem? Quia ad majus bonum non perveniretur, ſi frumentum non contereretur, non eſſet panis. Si aurum malleo non percuteretur non eſſet annulus, ſi non fuiſſent paſſi homines, non fuiſſent Martyres. Sed tantùm excute conſcientiam, invenies te meritum pœnas iſtas, ſi non modò, ſaltem anteà. Scribit Fernandez in 38. Gen. Damnatus quidam fuit Olyſſipone ad mortem innocens, de quo & lamentabatur, ſed cùm ducitur, commemorat ſibi quòd occiderit olim quendam de quo facto nemo ſcivit. Nota ſunt quæ de ſeipſo narrat S. Ephrem. Nos peccamus, & DEUS ut Sap. 5. *Armavit creaturam ad ultionem inimicorum.* Hinc incendia, ſterilitas &c. Sic Ægyptios Exod. 8. punivit per muſcas, ranas &c.

Sic

Sic 1. Reg. 15. Azotum ferè totam delevit per mures. Sic, ut Theodoret. lib. 2. hist. ad preces S. Jacobi Episc. Nisibensis exercitum Persarum per culices disjecit. Et putamus, quòd interim Christus dormiat. Euseb. die hod. Non dormit quidem sed prælium intuetur & certaminis simul finem, & bellantium simul finem. Sicut quando Antonius affligebatur tentationibus, ut Athanas. in ejus vita, & post luctum oraret, Christusq́ue illi apparuisset, dixit. *Quare non à principio affuisti ut sanares vulnera mea? Et vox ad ipsum facta est. Antoni hìc eram sed expectabam videre certamen tuum.* Simile quid contigit Catharinæ Senensi. De cætero ut Ps. 120. *Non dormit neq́, dormitabit qui custodit Israël.*

Sed utiq́ue dormivit Apostolis. Quia 1. *Assumunt eum discipuli ita ut erat sine ulla præparatione, honore, &c.* 2. Quia fuerunt ibi & illi qui non noverant Christum, ut patet ex eo. *Quis est hìc qui etiam mari imperat.* 3. Ut Ambr. in Luc. 5. *Etsi multa illic discipulorum merita navigabant, tamen eam navem adhuc perfidia proditoris Judæ agitabat.* Admiserunt inter se Judam. 4 Quia fides erat debilis, quomodo enim eos deseruisset Christus si erat cum illis. Unde illos increpuit. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Glossa. *Dormit in nobis Dominus, id est, fides Domini, cum negligentiùs agimus, & ideò tempestas. Si verò fides resurgit, imperat ventis & fluctibus.* Nolumus pati tempestates, caveamus ne irreverenter cum Christo agamus. DEus enim est. Non sit domi nostræ quispiam infidelis aut proditor. Fides nostra non vacillet. Aug. inter LXX. hom. 3. *Quid est? Dormit in te Christus? oblitus es Christum. Excita ergò Christum, recordare Christum, &c. Quid volebas? vindicare? Excidit tibi, quia dixit. Pater ignosce illis, &c.* Vis superbire? excidit tibi Christus, qui dixit. *Discite à me quia sum humilis.* &c. Obdormivit Christus in cruce, exturbata sunt elementa.

Præce-

Precemur cum Pſ.43. *Exurge quare obdormis Domine ? exurge & ne repellas in finem.* Interea non deficiamus in fide. Chryſoſt. hom. 11. ex variis. *Chriſtus mecum eſt quem timebo, etiamſi fluctus inſurgant, etiamſi totum pelagus adverſum me conturbetur ?*

CONCIO XLVII.

Pro Dominica 5. poſt Epiph. Prima Concio.

Cùm dormirent. Matth. 13.

VItam hominum deſcripſit Pſ. 125. *Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua.* Quidam ſeminant triticum, quidam herbas inutiles. Ac tandem Prov. 24. *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & repleverunt ſuperficiem ejus ſpinæ.* Sed & his qui bonum ſemen ſparſerunt, ſuperſeminavit inimicus zizania. Cauſa & ſpinarum apud pigrum, & zizaniorum ſomnus. Proinde cum Apoſtolo clamabo. Eph. 5. *Surge qui dormis illuminabit te Chriſtus*, ut videas quid tecum agatur.

Iſtis per æternitatem veſcemur quæ hîc ſerimus, 2. Cor. 9. *qui parcè ſeminat parcè & metet.* Qui urticas, ſpinas, ſerit, easdem & metet, & iisdem paſcetur, ſed durus erit cibus ſpinæ, quis in cauſa ? *Surge qui dormis.* Poteriſne his veſci ? & quod pejus, etſi aliquid tritici habueris, ſi tamen fuerint zizania, ſuffocabunt illud, quia unum peccatum mortale ſuffocat omnia bona opera. Zizania habent colores varios, ſi ſolùm in conſpectu hominum benè facis & in occulto malè, zizania ſunt. Zizania pueris placent, agricolis diſplicent, ſi talia facis quæ rudes quidem laudant, prudentes verò reprehendunt: Non tam altè creſcunt ut triticum, ſi non elevas ad DEUM usq; intentionem. Succum furantur tritico, ſi ſpecie pietatis opprimis pauperes. Sumpta in pane dolorem inferunt capiti & caliginem

nem oculis, & ut addit Lemnius, contristant, lachrymas movent: si non hilariter, sed coactus ob bonam famam agis. Suffocabitur triticum, & sola tibi manebunt zizania. Comede miser. *Qui seminant corruptionem de corruptione & metent.* Sed quis hæc poterit comedere? *Famem patientur ut canes & circuibunt civitatem.* Alii qui triticum seminârunt. *Venientes venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Quia certi de bona mensa. *Panem cœli dedit eis, & adipe frumenti satiabit eos.* Læti falcem expectant Apoc. 14. *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora ut metatur, quia aruit messis terræ.* Læti expectent *Veni Domine JEsu.*

Non servabuntur zizania ut triticum etsi tolerantur ad messem, & lætos exhibent colores. Collocatur fictile in flumine, fluitat, sed sensim haurit aquam ac tandem descendit, ita illa crescunt, sed non est hoc diuturnum. Thren. 4. *Appropinquavit finis noster, completi sunt dies nostri.* Natet aliquamdiu fictile. Ps. 86. *Ibunt in adinventionibus suis.* Succedat, DEus interim 2. Machab. 6. *Patienter expectat, ut cùm dies judicii advenerit, in plenitudine peccatorum pereat.* Crescat Saul, crescat Jesabel, inferat damna Amalec, sed veniet dies quando hoc fictile implebitur aquâ, & mergetur. 1. Reg. 15. *Vade & percute Amalec, & demolire universa ejus* &c. *Recensuit quæcunque fecit Amalec Israëli.*

Ligabuntur in fasciculos. Greg. 9. Moral. 39. *Quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat.* Sed hoc ipsum magis explicat S. Aug. serm. 39. de SS. *Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cũ fornicatoribus, homicidas cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testib9, fures cum furibus.* Ubi illi colores zizaniorum, ubi depressio ab illis tritici? Ibit in fasciculum qui videbatur hominibus triticum. Erant aliqui sicut stellæ,

ecce in Apoc. Stella conversa in absynthium. Jerem. *Lamiæ nudaverunt mammas suas.* Hieron. in hoc. Lamiæ habent facies humanas, de cætero sunt bestiæ monstrosæ, patebit omnibus hoc monstrum, cùm qui videbantur esse homines probi, ostendentur fuisse bestiæ, & in fascem ligabuntur. Isai. 24. *Et congregabuntur in congregatione unius fascis, & claudentur ibi in carcere. Sumus modò veluti in nocte, aurichalcum putamus aurum, patebit illic.* Quàm modicum illic tritici reperietur! conquestus olim de hoc DEUS apud Michæam, 7. *Væ mihi quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos, Desideravit anima mea uvas præcoquas.* Quis in autumno præcocem uvam reperiet? aliæ sunt maturæ, aliæ deciderunt.

Dum de tali negotio agitur, dormimus, dæmon auget somnum, commovet inferni fumum & tenebras somno aptas inducit. Apoc. 9. *Ascendit fumus putei sicut fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei.* Intellectum ut solem obscurat, aër fumo impletur, hinc varia consurgunt meteora. In irascibili fulmina, tonitrua, &c. In concupiscibili ignes fatui &c. Micant igniculi lambentes, principia pseudopolitica. Non debeo ita strictè vivere ut aliquis monachus. Rapiendum & eleemosyna danda, bona opera faciam cùm senuero, &c. Greg. 33. Moral. 38. *Fumus qui procedit* Job. 41. *De naribus ejus*, Behemoth, *obtundit aciem cordis, quia caliginis suæ nubilo serenitatem intimæ quietis turbat.* Et tandem homo devenit ad hoc ut neque velit excitari. *Similis aspidi surdæ obturanti aures suas.* Aut ab aspide icto. Author imperf. operis hom. 12. in Matth. *Qui ab aspide percutitur quasi delectatus vadit in somnum & sic per suavitatem soporis moritur.* Dum verò dormit homo, non cessat seminare inimicus zizania, tritico nocere, crescit loco castitatis sub aliquo colore luxuria; loco patientiæ amaritudo sub specie zeli, loco conscientiæ licentia, loco pudoris libertas mala,

mala. &c. Causa omnium somnus. Rebus suis non attendit, non advertit ad statûs sui onera, ad juramenta, de aliis omnibus somniat. Chrysol. serm. 97. *Insidiatur in diebus, vigilantes fugit, appetit dormientes.*

Videte quàm sit periculosus somnus. Et si dormitis evigilate & orate. Ps. 12. *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte.* Attendis & vigilas, si furem suspiceris: certissimus est fur dæmon, certissimus latro, & dormies? Patieris tibi inseri zizania ut famem æternam toleres? Habes oculos & non vides, aures & non audis, dormis? *Surge qui dormis ora, illuminabit te Christus.*

CONCIO XLVIII.

Pro Dominica 5. post Epiph. Altera Concio.

Sinite utraq; usq; ad messem crescere. Matth. 13.

IN hoc mundo non est triticum sine zizaniis Aug. in Ps. 93. *Poterisne te convertere ad aliquam voluptatem ut spinas non sentias?* Jonathas gustavit mel. *Gustans gustavi & ecce morior.* Rachel pulchra sed sterilis. Lia fœcunda sed lippis oculis. Petro dicit, *Pasce oves meas.* Et statim additur. *Ducent te quò non voles.* &c. Sed quod pejus mali permittuntur inter bonos crescere, illos premere. *Sinite ad messem.* Quid agis Domine? bonus es & justus. Facis ergò quod decet bonum & justum. Bonitatem hanc & justitiam consideremus.

Causa rerum quas agit in mundo DEUS, hæc est. 2. Timoth. 2. *Omnia propter electos ut & ipsi salutem consequantur.* Ecce bonitas. Hoc ut intelligamus ad hodiernum agricolam eamus, ecce rastra pro laceranda terra, vomeres pro secanda &c. Vultné terram perdere, imò fœcundam faciet. Aug. in Ps. 54. *Omnis malus aut ideò vivit ut corrigatur, aut ideò vivit ut per eum*

bonus exerceatur. Hæc ſunt raſtra quæ nos exercent. Video agricola acuit falcem, & qui hoc facit eſt agricola bonus. Hæc dum non videbatur intellexiſſe Job 21. dicebat quaſi ſcandaliſatus, videndo quòd mali non exerceantur. *Domus eorum ſunt ſecuræ & pacatæ, & non eſt virga DEI ſuper illos.* Et David Pſ. 72. *Mei autem pænè moti ſunt pedes.* Sed ô Job niſi hæc paſſus fuiſſes, tantus non eſſes. O David niſi habuiſſes Saulem, niſi Semei, quando tuam monſtraviſſes patientiam? Si non fuiſſet Herodes non fuiſſent innocentes Martyres. Si non fuiſſet Cain non fuiſſet Abel. Si non Judæi non fuiſſet Stephanus &c. *Beati eſtis cùm maledixerint vobis.* Excolimini. Martha, quia ut vulgò creditur, fuit mulier hæmoroiſſa, caſta permanſit: Magdalena ſana lapſa eſt. Pauli converſio facta eſt per excæcationem. Hoc modo homines dormientes excitat DEUS, & attendunt ne in agro illorum ſeminentur zizania.

Permittit mala quia juſtus eſt, Dat, neque reſpicit ad hoc ſint benè an malè talentis uſuri, diſtribuit. Et ſic nullam habet excuſationem qui malè uſus. Quod majus talentum poterat eſſe quàm Chriſtus, dedit hunc Judæis, abuſi ſunt. *Quam nunc excusationem habent in peccato?* ſic juſtitia DEI clara fit, & ut eam clariùs perſpiciamus, meſſem aſpiciamus. Prodit Apoc. 14. cum falce, metit tam bonos quàm malos. Et ecce meſſe deſectâ, apparet qualis ſit fundus, quid ſub herbis latuit. Scribit Petr. Cluniacen. de quodam, qui probæ vitæ videbatur & cum ſummo dolore de peccatis mortuus. Hic dum ſepeliretur favit cœlum ejus funeri ſerenitate notabili, ſed poſt mortem cuidam apparens dixit ſe damnatum, rogatus cur ita? ſiquidem tantoperè pœnituiſſet? dixit verum id eſſe; ſed conſtitui, ſi ad vitam rediiſſem ad eadem me rediturum. Apparuerunt & alii in gloria quos damnatos putabant. Uti S. Vitalis, &c. Patuit fundus. Meſſe peractâ hyems ingruit tam bonis quàm malis,

malis, nihil crescit ampliùs. Malach. 4. *Non derelinquet eis radicem neq́ germen.* Accidet ut damnato ad mortem si petierit tempus quo vitam emendet. Job 30. *Abstulit quasi ventus desiderium meum, & velut nubes pertransiit salus mea, mutatus es mihi in crudelem.* Tum messes coram sole expandentur, ut videat quisq́ue justitiam. Tum verò horum laudabuntur opera, illis insultabunt. Ps. 57. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam peccatorum.* O maledicte, &c. dicent omnes creaturæ. Sicut dum aliquis credebatur honestus, interea apud illum inveniuntur furta. Sicut cum adultera cum suo adultero producitur. Colligitur deinde seges. *Mittet Filius hominis Angelos suos & colligent de regno ejus omnia scandala.* Ligabuntur deinde in manipulos, ne ampliùs possint operari, ignitus veluti carbo unus jungetur alteri. Deinde Matth. 3. *Congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Projicientur zizania in ignem, accedent ad hoc opus Angeli de quibus Ezech. 9. *Unusquisq́ vas interfectionis habet in manu sua.* Ignis suam expectat escam ut leo prædam. Isai. 30. *Præparata est ab heri Topheth à Rege, præparata est profunda, dilatata, nutrimenta ignis, flatus Domini sicut torrens sulfuris succendens eam.* Hoc ipsum Malach. 4. *Ecce dies Domini veniet succensa tanquam caminus & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens.* Sed quomodo in hunc caminum mittentur? Apoc. 18. *Et vidi Angelum fortem sustulisse lapidem quasi molarem magnum, & in mare misisse, atq́ dixisse. Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrà non invenietur.* Quid ibi agetur, dicat idem Joannes Apoc. 20. *Cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.* Quiescuntne aliquando? Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum, nec habebant requiem die ac nocte.* Sed frustra de hac re plura, cùm Rusbroch epist. 1. dicat. *Crede mihi quidquid de pœnis inferni dici*

queat, si ad ipsam rei veritatem comparetur, minùs est quàm una gutta ad universum mare. Et tamen omnes pœnæ tartareæ modicæ & quasi nullæ sunt, si ad æternam divinæ visionis privationem & carentiam conferantur.

Hic Justitia DEI, expectat ad messem tam bonos quàm malos. Ubi parebit utrosq; in eodem fundo Ecclesiæ fuisse, adjumenta salutis habuisse, toleràsse quorundam hypocrisim ut veras virtutes curarent, utrisque non fore tempus ampliùs merendi. Qui manibus benè uti nolebant, ligandos. Et tandem eò graviorem pœnam irrogandam quò diutiùs tolerati.

CONCIO XLIX.

Pro Dominica 6. post Epiph. Prima Concio.

Simile est regnum cœlorum grano synapi. Matth. 13.

NOn debere accipi ut plurimùm in parabolis nomine regni cœlorum, cœlum; sed Ecclesiam, docet S. Aug. serm. 31. de SS. Greg. hom. 12. Proinde possumus dicere, quòd Ecclesia grano synapi sit similis, & hæc similitudo benè Ecclesiæ convenit, docet pœnitentiam, patientiam, humilitatem, &c. quæ sunt acria. Quia hìc nominatur granum non grana, est una, unum corpus. Accepit illud homo, habet hominem, caput visibile, quod gubernet, dubia resolvat, omnes illius sensum sequuntur. Seminavit in agro suo, non in alieno ubi ab alio jam seminatum, sed apud Ethnicos. Fit arbor, synapi in Palæstina arborescit, omnes rami ab eodem trunco procedunt, & in trunco per successionem devenitur ad ipsam radicem. Volucres cœli veniunt & habitant in ramis, nullus Sanctus fuit extra Ecclesiam. Majus est omnibus oleribus, superavit omnes adversarios, Sed quia Ecclesia non est aliud quàm nos ipsi, oportet nos esse grana synapi, quod fieri quomodo debeat indicabo,

Cùm

Cùm dixisset Dominus, aliud semen cecidisse in viam, aliud in spinas, aliud in petram, facilè colligi poterat, non obediturum verbo DEI nisi quartam partem hominum, ac proinde neque salvandam, & quartam non totam, quia in ea cùm dormirent seminata sunt zizania: quisque poterat cogitare, quomodo ergò salvabor? Subjungit aliam parabolam, acsi diceret. Vis salvari? fias ut granum synapi. Chrysost. in catena S. Thom. *Quia Dominus dixerat, quòd de semine tres partes pereunt, & salvatur una, & in ipsa rursùs quæ salvatur efficitur multa jactura propter zizania quæ superseminantur: ne ergò diceretur, qui erunt, & quanti fideles, consequenter hunc timorem iufert per parabolam synapis. Et ideò dicitur, aliam parabolam proposuit eis.* Paucos salvari respectu orbis totius, patet & ex Gen. *Ubi omnis caro corruperat viam suam*, & tantùm octo animæ salvæ factæ sunt per arcam Noë. Thom. Morus in illud Matthæi. 16. Quid prodest homini &c. *O vita immortalis quàm à paucis haberis. Ita immortalis est anima ut mori possit, ita mortalis ut mori non possit: immortalitate mortalis est & mortalitate mortalis. Mors perimet & non extinguet, dolor cruciabit & pavorem non fugabit, flamma comburet & non discutiet, & tum pauci hanc mortem evitant, tanquam granum synapi ex modio.* Patet hoc ipsum Exod. 12. Sexcenta millia virorum egressi de Ægypto, præter mulieres, parvulos, vulgus innumerabile. At verò Num. 14. Ex his omnibus, solùm Caleb & Josue terram promissionis ingressi. Et quòd in hoc significabantur Christiani docet 1. Cor. 10. *Nolo vos ignorare Fratres, quia Patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transièrunt. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est DEO. Nam prostrati sunt in deserto, hæc autem in figura facta sunt nostri.* Quocirca Soar. in 1. p. lib. 6. de prædest. cap. 3. *Atque fortassis ob hanc causam in Scriptura Electi dicuntur vasa aurea, & comparantur gemmis & lapidibus*

dibus pretiosis, quia sicut hæc sunt rara, ita etiam illi. Et hic servit 4. Esdræ 9. *Quomodo interrogabis terram quoniam dabit terram multam magis unde fiat fictile, paucum autem pulverem unde aurum fiat, sic est actus præsentis sæculi, multi quidem creati sunt pauci autem salvantur.* Patet hoc ipsum ex Psl. 13. *Dominus prospexit de cœlo super filios hominum.* &c. *Non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Platus. *Quis hoc crederet, in tanto numero, in tam pleno ne unum quidem numerari qui faciat bonum, nisi ex ipsius DEI ore, per os Prophetæ accepisset?* Omnes peccant & modò, rarus qui veram agat pœnitentiam. Bellarm. de gemitu columbæ. *Totus planè contremisco, totus cohorresco, si quando ad tribunal sacræ Confessionis judicem in eo acturus accedere cogor. Signa contritionis exigua aut nulla, omnia veluti fabula & historiæ narrantur. Si te viderem lacrymis perpluentem* &c. Si illam pœnitentiam agentem quam Climachus describit gr. 5. Quot sunt etiam Magdalenæ, Pelagiæ, &c. Et quàm paucæ pœnitent ut illæ? ne de nostra pœnitentia nobis blandiamur, sciebat benè S. Basil. quid sit dolor appretiativus & sensitivus, audite quid dicat in Psal. 29. *Non cuilibet animæ gaudium oritur, sed si quis suum peccatum vehementi lamentatione ac singultu ploraverit, veluti si se extinctum lugeret, hic sanè fletus postremò in gaudium vertitur.* Hinc etiam sancti viri metuebant. Ephrem moriturus quomodo pavet? & tamen ait. *Si duplicem tunicam habui &c. si alicui maledixi. &c. Si percutienti dextram non dedi sinistram.* &c. Non solùm præcepta sed etiam consilia Christi impleverat. Timebat Basil. & tamen de illo Nazianz. *Unicâ se tantùm tunicâ amiciebat, humi cubitabat, noctibus totis vigilabat. Quotidie pane solo contentus & loco deliciarum sal habebat, aquam continuò potabat,* &c. Et tamen Ephrem. *Terreor judiciis tuis* &c. Quid superest nisi ut lamentemur cum Bern. serm. 16. in Cant. *Paveo gehennam, paveo Judicis vultum ipsis quoq; tremendum Angelicis potestatibus,*

tibus, contremisco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, à verbo aspero, contremisco à dentibus bestiæ, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam, &c. Heu me mater mea ut quid genuisti me filium doloris, filium amaritudinis & indignationis, & plorationis æternæ. Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, &c?

Meditabantur nimirum hi sancti viri quod scripsit Isai, 10. *Et erit lumen Israël in igne & sanctus ejus in flamma, & succendetur & devorabitur spina ejus & vepres ejus die unâ. Et gloria saltûs ejus & Carmeli ejus ab anima usq; ad carnem consumetur, & erit terrore profugus & reliquiæ saltûs ejus præ paucitate numerabuntur & puer scribet eos.* Examinemus singula. *Lumen Israël in igne*, illi qui videbantur stellæ. S. Bern. *Vereor, vereor, ne dum discernere & dijudicare cœperit, ipsæ justitiæ nostræ in quibus nobis applaudimus appareant mera peccata.* Sancti videbantur Justinianus, Heraclius Imper. quis finis? *Sanctus in igne.* Sanctus ille de quo Bolland, in vita Eutymii magni, tamen à dæmonibus moribundo extracta est anima uncis ferreis. August. Soliloq. 29. *Vidimus, & de multis audivimus à Patribus nostris, quod utiq; sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitùs quidem usq; ad cœlos, & inter sydera nidum suum collocâsse, postmodum autem cecidisse usq; ad abyssos & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos qui in medio filiorum DEI ambulabant instar lapidum ignitorum quasi lutum in nihilum defluxisse.* Illa decora Carmeli. *Puer scribet illos*, tam pauca, erunt. Ecce si in cœlo intelligamus. *Simile est grano synapi*, elicit lachrymas. Granum est facilè amittitur, difficulter reperitur amissum. Ephrem. *Resipui & egi pœnitentiam, sed nescio utrum mihi DEUS placatus sit. Precor & Sanctos ut intercedant pro me,*

ſed nescio an eorum preces ſuſcipiantur. Lego enim apud Ezechielem, Neq; Noë neq; Job, neq; Danielem, ſi oraverint, exoraturos. Obsecro prophetas omnes &c. Scriptum eſt, noli orare pro populo iſto. Donis placabo &c. Jejuno, non eſt jejunium quod elegi. Pauperum miserebor, oleum peccatoris non impingvet caput meum. Undiq; igitur premor Fratres, & ad conſcientiam meam redeo. Si impiè rursum egero, væ mihi. Multum intereſt inter peccata quæ ſcienter fiunt. Video impuros Chan & David, unus veniam obtinet alter perit. Inobedientes Deo Saul & Manaſſen? *Aaron vitula ſacrificavit & veniam impetravit.* Ophni perit. Video Petrum & Judam. Elymas adverſus prædicationi cæcitate ad tempus punitur: Ananias & Saphira morte plectuntur. Legatur Soliloq. S. Aug. c. 29.

Hæc nos non terreant dum grano nos efficiamus ſimiles *quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo.* Jactat nos homo ut ſemen per agrum, feramus. Pſalm. 83. in quo deſcripſit gloriam cœli. *Quàm dilecta ſunt tabernacula tua &c.* Vocavit, *Pro torcularibus.* De quo Auguſt. in hoc. *Uva & oliva quamdiu pendent in frutetis ſuis libero aëre perfruuntur, & nec uva vinum eſt nec oliva oleum ante preſſuram, ſic & homines quos prædeſtinavit DEUS.* Iſaac efficeris ſi ablectaris. Ambr. ſerm. 19. in Pſal. 118. *Plures filios habuit Abraham, nullũ ablactavit quàm Iſaac.* Habes ſocios ut ſynapi, tolera: etiamſi tam ſint pertinaces ac ſynapi. Plin. l. 10. c. 8. *Vix eſt ſynapi ſemel ſato liberare locum.* Sed tamen, idẽ ait. Synapi judicavit *Pythagoras principatum habere ex iis quorum in ſublime vis feratur.* Fertur enim in caput. Feret te ad tuum caput Chriſtum. Ad eum te eleva cùm pateris. Locum, in quo tentatus à DEO Abraham volebat immolare Iſaacum, appellavit, *DEUS videt.* Ille tibi parat coronam. Pſalm. 62. *In terra invia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi ut viderem virtutem tuam;* Habes ſpectatorem tuæ virtutis DEUM. Creſcamus ut ſynapi. Pſal. 33. *Ibunt de virtute in virtutem.* Aſcendunt

dunt

dunt versùs cœlum. Non amemus terram, nihil in ea stabile. Rolandus, ut est in hist. PP. Dominic. cùm totam diem recreationi insumpsisset, vespere veniente. *Hem ubi nunc festum quod egimus, ubi tota hujus diei lætitia, quæ jam abiit?* Hoc benè considerato ingressus illum S. Ordinem. Veniunt volucres ad arborem Synapi. *Volucres cœli nec serunt nec metunt*, sunt pauperes, habeant locum in hac arbore. Eccli. 31. *DEUS prospector est ejus qui reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casûs sui inveniet firmamentum.* Chrysost. homil. 33. ad pop. *Eleemosyna Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm ipsi persvadens Judici, & reo patrocinium præstet & pro eo sententiam ferat, & licet millies peccaverit, coronat: & victorem pro mulgat.* S. Hildebertus Cænomanen. Episc. epist. 6. *Non leguntur alia Loth benefacta quàm hospitalitas.* Plinius loc. cit. *Synapi ad serpentum ictus & scorpionum, tritum cum aceto illinitur.* Momordit te serpens inferni, applica synapi tritum, te ipsum contere. Dole assiduè de peccatis. Sic eris similis synapi, & similis regno cœlorum.

CONCIO L.

Pro Dominica 6. post Epiph. Altera Concio.

Simile est regnum cœlorum grano synapi. Matth. 13.

NOn desunt qui per granum synapi cœlum intelligant, quod multis videtur parvum, sed inter omnia quæ arborescunt in Syria, maximè excrescit. Videtur esse ut lapillus Dan. 2. Sed expecta parum, erit mons magnus, præ illo evanescent regna mundi, hic enim adhuc parvus statuam Nabuchodonosor contrivit, & mansit mons firmus. Imperia seu Monarchiæ mundi per belluas ostensa Danieli non in solido erant, sed in mari. S. Hilarius in catena apud S. Thom. per hoc

granum intelligit ipſum Chriſtum. *Grano ſynapi ſeipsum Dominus comparavit.* Loquar & de ſimilitudine grani cum cœlo & cum Chriſto.

Æſtimant homines cœlum ut granum, & tam facilè peccant, per quod illud amittunt. Sed & Chriſtus, acſi granum eſſet cœlum dat pro paucis rebus. Quòd aliquis non fallatur & gerat ſe pro tali qualis eſt, dat pro hoc cœlum. Quid enim eſt humilitas niſi ſui agnitio, & juxta hanc agnitionem operatio? ſuperbus dicit. *Non sum ſicut cæteri.* Humilis ſum infra cæteros, quia ſua mala, peccata videt, aliena ſolùm bona cogitat: ſuperbus ſua bona, quæ non ſunt bona, quia ex eo quòd mala non videat quæ illud bonum corrumpunt, fallitur. Dat pro hoc cœlum quòd alteri obediat, cùm id alii faciant propter nummum & ſæpè incertum. Quod de illis bonis aliquid demus DEO per eleemoſynam quæ omnia ab illo habemus. Virgines expectârunt modicum cum oleo & receptæ ſunt à Sponſo. Samaritana quia dedit aquam. Mendicus quia paratam ſibi induit veſtem nuptialem. Quo pretio non emeres veſtem, equum, imò panem, emis cœlum. Pro uno *peccavi* datur Davidi. Pro uno *memento mei* datur latroni &c. Chriſtus ipſe etiam ſimilis grano ſynapi. In hoc grano ubi excrevit nidificant volucres. Aquila Polona in hoc debet nidificare. Tam diu regna, imò res familiaris durat, quàm diu Chriſtus in regnis & domibus creſcit in arborem. Sed inquies utique regna Ethnicorum absque Chriſto diu ſteterunt. Hoc eſt argumentum Symmachi Ethnici contra S. Ambr. declamantis. Sed veritas Chriſtiana dicit. *Per me Reges regnant.* Etiam Ethnici tamdiu regnabant, quàm diu Chriſtus apud illos etſi illis ignotus creſcebat. Chriſtus meruit etiam reprobis auxilia ſufficientia, ad virtutes quas Ethnici operabantur etiam ad naturales habuerunt ex meritis Chriſti auxilia naturalia, quæ dum creſcebant, etiam virtutes augebantur & regna præmium

præmium illarum virtutum, uti & aliæ felicitates temporales. Ipſe hoc Symmachus agnovit. *Non ærugo segetibus obfuit, nec avenæ fruges necârunt: ſacrilegio annus exaruit.* A Paganis procedamus ad Judæos, & apud hos quamdiu Chriſtus crevit, tamdiu regnum. Omnia illorum ſacrificia Chriſtum repræſentabant, fides fuit in Chriſtum futurum, virtutes ex ejusdem meritis, quamdiu hæc floruerunt, etiam regnum. At ubi prædicta per Danielem abominatio, ſtetit in loco ſacro, ubi mercatura exercebatur in templo, Sacerdotia vendebantur. Ubi deniq́ue Chriſtus occiſus, auditi ſunt Angeli, *Exeamus hinc*, & regnum & ſedes regni periit Jeroſolyma. Veniamus ad Græcorum imperium. Cùm apud illos Chriſtus cœpit decreſcere: cùm anathema ejus verſum in riſum: cùm Cæſares vendere Patriarchatus: cùm ab Eccleſia univerſali diſceſſio facta, quid illis evenerit, videmus. Omne peccatum vindictam DEI trahit, ſed maximè quo Chriſtus in ſuo templo cogitur decreſcere. Quia opus eſt ut judicium incipiat à domo DEI. Iſai. 59. *Peccata reſponderunt nobis*, quaſi Echo. Adam non obedivit DEO, neq́ue Adamo animalia, neq́ue proprium corpus obedit illi; Pharao mergebat infantes Judæorum & ipſe ſubmerſus eſt. &c. Vineam abſtulit Achab Nabothi, affinium ejus ſeptuaginta capita reſecta in corbibus in quibus efferebatur vinum ſunt exportata. David adulterio maculavit thorum Uriæ, & ipſius thorus per Abſalonem eſt maculatus, &c. Sed cùm Chriſtus expellitur, regna ruunt. Pſ. 11. *DEUS dereliquit eum, persequimini, comprehendite.* Venite hoſtes hoc regnum comprehendite. Ademit Conſtans Imp. favendo Ario, Divinitatem Chriſto, adimat ipſi Julianus regnum. Ademerunt Græci Spiritui Sancto proceſſionem à Filio, quaſi non eſſet Spiritus Filii, venite perſequimini Turcæ. Quàm diu *DEUS in medio ejus*, tam diu de Græcia dicebatur, *Non commovebitur.* Venite Barbari

contra Regna in quibus Christus non excrescit, caretis armis; eripite, & illis ipsis eos debellate; caretis annonâ, venite, invenietis. Audiebat Vespasianus hoc *Venite*, cùm à vi cœlesti urgeretur ad perdenda Jerosolyma. Audiebat Annibal, audiebat Totila. Oseæ 6. *Galaod civitas operantium idolum supplantata es sangvine.* Per sangvinem intelligitur peccatum, unde David pœnitens. *Libera me de sangvinibus.* Id est, peccatis. Cùm loco Christi ponuntur idola pseudopolitica, cùm rationi apparenti plus fiditur quàm Evangelio, cùm relicto negotio placandi DEO, spes tota ut in idolo in hominibus collocatur, &c. Tum DEUS. Oseæ 5. *Ego quasi tinea Ephraim, ego quasi leæna Ephraim.* Quòd leæna non est mirum, quia videt sangvinem, de quo modò actum, sed quomodo tinea? non advertitur tinea nisi post damnum. Consilia non succedunt, exercitus turbantur, nervus deest belli, &c. Causa non advertitur. *Tinea est.* Nolebatis Christum habere ut arborem, habeatis tineam. Pro fabulis habentur dum veniunt nuntia de hostis apparatu, tinea sapientiam vorat &c. Ita fiebat Jerosolymis, ita Constantinopoli antequam caperentur. Dicebat Joannes. *Pœnitentiam agite jam securis ad radicem posita*, nempe securis Romanorum. Sit pro sigillo hujus puncti sententia Eutymii. *Qui in eodem peccato communicant, etiam in suppliciis communicaturi sunt iisdem.*

Quod domos privatas attinet, etiam hæ vigent quàm diu in illis crescit Christus, ubi in ejus sacras res involârunt, de rebus illi dicatis dotatæ, & ipsæ perierunt. August. in Pontificali in Dedic. Ecclesiæ. *Hæc est justissima DEI consvetudo, ut si illi decimas non dabis, tu ad decimas daberis. Dabis impio militi quod non dedisti Sacerdoti, & quod non habebit Christus accipiet fiscus.* Sed antè illum Propheta ibid. *Quia mihi decimas non redditis, in penuria maledicti estis & fame. Quia primitias & decimas*

non datis, ubertatem possessionum vestrarum & communem frugum abundantiam perdidistis. Malach. 3. Si templo meo dederitis *effundam benedictionem usq; ad abundantiam*, &c.

CONCIO LI.

Pro Dominica Septuagesimæ.

Multi vocati pauci electi, Matth. 20.

SIcuti cùm aliquis litigat coram Judice de re magni negotii & simul intricati, metuit an sit evasurus, ita non solùm vulgares homines, sed etiam Sancti metuunt, an sint electi. Ps. 76. *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* Magis sollicitus fui quàm in exercitu ad periculosas vigilias expositi. *Turbatus sum & non sum locutus.* Quæ causa? *Cogitavi dies antiquos &c. Nunquid in æternum projiciet DEus?* Utrum ego sim ex improbis vel electis. Dabo ex hoc Evangelio solatium.

Est certè cur sollicitemur nescientes quis nos maneat finis, cùm ex alia parte constet paucos salvari, & ex hoc ipso. *Multi vocati, pauci electi.* Duas piscationes præsente Christo instituerunt Apostoli. Unam vivente, alteram post resurrectionem. Priorem Luc. 5. in mari amplo. *Duc in altum*, & magnam cœperunt multitudinem, ita ut rumperetur rete, sed ibi fuerunt boni & mali pisces. *Multi vocati.* In altera, Joan. 21. *Mittite ad dextram navigii*, & tantùm pisces extraxerunt numero certo, *pauci electi*, à dextris, omnes boni, & nemo novit an sit à dextris seu electus. *Erunt duæ molentes in eadem mola, una assumetur, altera relinquetur. Erunt duo in eodem lecto, unus assumetur alter relinquetur.* Dictum Abrahæ Gen. 15. *Numera stellas si potes* &c. Tot erunt electi, ut patet ex illo Ecclesiæ pro defunctis. *Signifer S. Michaël repræsentet eas in lucem quàm olim promisisti Abrahæ & semini ejus.* Sed quotam partem cœli occupant stellæ? longè major ubi nullæ stella. Eidem

dem Abrahæ dictum. *Multiplicabo semen tuum sicut arenam quæ est in littore maris,* Sed hoc de posteris tam bonis quàm malis. Alioqui sicut pugillus arenæ, ut explicat S. Vincentius, juxta illud Sap. 3. *Justorum animæ in manu DEI sunt.* Vidit Joannes in Apoc. *Turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus* &c. Sed non vidit omnes tribus, lingvas, gentes.

Sed ad solatium. Nemo ideò punitus quia non est vocatus ad vineam. Nemo propterea salvatur quia electus. Solvitur, quia laborârunt in vinea. Datur cœlum, quia benè operati, in manibus autem nostris est benè agere, & omnes ad hoc paratum DEI habent auxilium quantum necesse. Matth. 25. *Venite benedicti esurivi, &c. Ite maledicti.* Neque his dicit, Venite quia vos elegi: nec illis, Ite quia vos reprobavi. Quòd aliqui damnentur, ex illis est. Habet aliquis Rex apud hostem captivos suos subditos, mittit illis lythrum quo se redimant. Aliqui eo utuntur, aliqui non utuntur, ita dat DEUS auxilia, aliqui non collaborant, in ipsorum voluntate est illorum perditio. Ducebantur semel ad patibulum decem fures. Rex vidit eos dum ducerentur. Eligit ex illis tres & jubet ad se liberos adduci, cæterorum jubet vincula abscindi, ut si velint evadant, quidam ex illis nolunt abire, & suspenduntur. Ita fit in præsenti. Quos elegit, salvat DEUS propter illorum merita: quos non elegit, neque damnat, neque reprobat nisi propter illorum peccata. Rom. 9. *Nunquid iniquitas est apud DEUM?* num aliquem damnat nisi qui peccavit? Proinde cùm in nostra sit potestate non peccare, caveamus peccata, & non timebimus infernum. Eccli. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te. Ante hominem vita & mors, bonum & malum quod placuerit, dabitur ei.* Ita quando mater petebat. *Dic ut duo Filii mei sedeant unus ad dextram.* &c. Non interrogavit Christus, suntne electi? sed, *Potestisne bibere calicem?* Quid putatis? si quis ex his voca-

tis ad

tis ad vineam, lusisset totâ die, dormivisset, accepissetne denarium? & è contrà, bonus Paterfamilias nulli laboranti negat. Prov. 12. *Qui operatur terram suam satiabitur, qui autem sectatur otium stultissimus est.*

Consideremus ad hoc ipsum solatium, præsens Evangelium. Poterat Paterfamilias etiam non laborantibus dare denarium: Poterat DEUS cælum, noluit. Ps. 61. *Reddit unicuiq; secundùm opera sua.* 2. Cor. 3. Unusquisque recipiet juxta laborem suum. Sed quomodo, secundùm laborem? hi totâ die, hi unâ horâ, & eundem denarium accipiunt? Sed DEUS non solùm spectat quid, sed quomodo quis agat. Orant dico, unus tepidè, alter ferventer, nunquid idem præmium? qui unâ laborârunt, egerunt filialiter, discretioni Patrisfamilias se commiserunt; qui totâ die, fecerunt, conventione factâ, serviliter, non mirum si illorum unius horæ labor ita æstimatus, atque istorum totius diei. Hinc immeritò pauperes anguntur quòd magnas eleemosynas dare non possint, valet aliquando obolus tantum quantum aliàs floreni centum. Commemorent sibi viduam mittentem in carbonam duo æra minuta Luc. 21. Sic fiunt *primi novissimi.* Monet Conc. hod. S. Th. de Villan. *Recordemini fratres quòd operarii estis, quòd ad vineam vocati estis, operarius qui totâ die ludit & saltat, comedit & bibit & non laborat, quam mercedem in nocte accipiet à Domino suo, nisi verbera & fustes?* Et paulò post addit ut nos ad laborem excitet. *Oportet vel regnare vel ardere, vel in domo DEI esse vel in carcere & igne perpetuo.* Murmurabant qui diu laborârunt. Hieron. *Murmuratio ista fuit admirationis.* Mirabitur aliquis totâ vitâ laborans pro cœlo, bonum latronem videns pro momento salvatum, & laudabit DEI judicium. Nos conversi & laborare non differamus. Aug. serm. 16. de verbis Dom. *Crastinum diem quis tibi promisit? ubi mihi legis, indulgentiam te*

recepturum, ibi mihi lege quantum victurus sis? Chrysost.hom.22 in 2. Cor. 12. *Periculum & metus est in differendo, salus certa & secura si nulla sit dilatio.* Omnia ista complexus est brevibus S. Ambr. dum quærit cur DEI voluntas non impletur? Si DEus, qui omnipotens dicitur, omnes homines vult salvos fieri, cur non omnes salvantur? *Vult DEUS salvos fieri, sed si accedant ad eum, non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult illos salvari, si & ipsi velint.*

CONCIO LII.

Pro Dominica Sexagesimæ, Prima Concio.

Exiit qui seminat seminare semen suum. Luc. 8.

QUia res omnes de attributis DEI participant, bonitate, pulchritudine, &c. etiam de æternitate, & quia in se corruptibiles sunt, variis modis laborant esse diuturnæ. Sic homo, quia scit famam, gloriam, durare, curat eas, erigit monumenta, &c. Sed omnibus creaturis corruptibilibus communis est modus per suos posteros se perennes facere, ita flores, arbores, &c. relinquunt plantas juniores: animalia, homo, filios. Eccli. 30. *Mortuus est Pater ejus, & quasi mortuus non est: similem enim sibi reliquit post se.* Notum est reperiri semina quæ loco sui relinquant 30, 60, imò centum sibi similia. Sed fortè non quisque scit de tali semine, ex quo benè insito excrescit corona Regia, gladius, medicina, lucerna, hoc vobis indicabo.

Semen est verbum DEI, & ecce corona regia ex illo prodit, & tam meritis quàm non meritis. DEUS Pater Christo ut homini dedit omnia tanquam Filio; jam ergò coronam habet Christus ut Filius Regis; sed etiam eandem voluit mereri non tantùm sibi sed etiam aliis. Quibus? Pater dedit Filio sine meritis, dabo ego etiam Filiis meis absque meritis, & accipit in Sponsam

Sponsam Ecclesiam, ex qua gignit in Baptismo per verbum. *Baptizantes eos* &c. Jacob 2. *Voluntariè nos genuit verbo veritatis.* Christus est veritas, cujus verbum est, *baptisantes.* Et ex hoc verbo crescit baptisatis corona. Pro meruit etiam ex suis meritis coronam, per quid præcipuè? *factus obediens* verbis Patris. Dabo ait etiam coronam qui merebuntur obediendo verbo meo. Propterea, *Qui ex DEO est verbum DEI audit.* Est signum prædestinationis. Sicut qui dat pecuniam mercatori, habet signum quòd ei mercator dabit merces. Bona opera sunt pecunia quâ cœlum emitur; si dat illam DEO &c. Verbum DEI audit qui agit quod illud docet, sicut audit famulus si facit quod jubet Dominus. Petri 1. *Certam faciamus vocationem & electionem nostram per bona opera.* De hoc signo gaudebat Paulus. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, ideò reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi, &c.*

Crescit & gladius ex verbo DEI. Vincula animæ sunt peccata, malæ inclinationes, unde si quis moriatur in peccatis, anima ejus si apparet, vincta catenis. Scindit hæc vincula verbum DEI. *Absolvo te* &c. Hebr. 4. *Vivus est sermo DEI & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Solo hoc verbo solvuntur peccata, solo hoc gladio, & aliud nihil illa secat. Unde qui dolet, dat eleemosynas &c. nec vult confiteri, ita agit acsi vellet catenam ferream secare stramine. Sed sciendum in hac catena si unum quis velit secari annulum & non omnes simul, non solùm nullus secabitur, sed etiam & fortissimus accrescet, hoc est, si non integrè confiteatur, non de omnibus mortalibus doleat, &c. *Efficax est sermo DEI,* & videmus id, abluit in Baptismo & peccata abluuntur, in Eucharistia dicit, hoc esse corpus Christi, & statim fit, cur si verbum DEI, non facio &c. Prædicet Concionator. *Convertimini ad D. DEUM vestrum, &c.* Non apparet hæc efficacia? utique est verbum

DEI? & de illo August. lib.5. homiliarum hom. 261. *Non majus est corpus Christi quàm verbum DEI, unde non minus est reus qui verbum DEI audierit negligenter, quàm ille qui Corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.* Ut ad hoc respondeam, audite quod contigit Ezech. 33. *Venite audiamus quis sit sermo egrediens à Domino: & veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus.* Eunt turmatim ad concionem. Quid factum? cap. 37. *Factum est* Verbum Domini, tanquam *carmen musicum.* Abierunt, laudârunt, non sunt emendati, acsi musicam audivissent. Et quisq; illorum Jacob 1. *Similis viro consideranti vultum suum in speculo, consideravit se, abiit, & oblitus qualis fuit.* Sed unde hoc ipsum provenit? Veniat Judæus ad Baptismum, habeat interim voluntatem usuras exercendi, non restituendi quod est alienum, &c. Operabiturne in illo Verbum DEI? posuit obicem, velit consecrare Eucharistiam, sed loco panis triticei assumat avenaceum, facietne aliquid Verbum DEI? nihil. Materia est inepta. Hoc ipsum in hodierno Evangelio. *Aliud cecidit in petram* &c. Sed breviter. Quomodò in eo Verbum DEI operabitur, qui dicit, nolo illi credere? Sed quis est hic? dupliciter Domino famulus dicit, nolo obedire, verbo, & re cùm non facit quod jubetur, ita re multi verbo DEI non credunt, etsi verbis se dicant credere. *Confitentur verbo se nosse DEUM, factis autem negant.* Et hoc est ipsum. *Aliud cecidit super petram.* &c. Si credimus, faciamus quod jubet verbum DEI, DEUS adjuvabit, non obsistamus illi per peccata, videbimus efficaciam. Hoc verbum si non haberemus, Isai. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Si Concionator aureos de cathedra spargeret quantâ aviditate colligerent? Prov. 2. *Omne aurum in comparatione ejus est arena exigua.* Sed dicitis. Si ipse Christus loqueretur, aliud esset. Ecce ipse loquitur. *Dimittite & dimittetur, date & dabitur. Qui concupierit mulierem,* &c. Et quid fit?

Nascitur

Nascitur medicina è semine Divini Verbi. Misit DEUS in Judæos serpentes ignitos, quomodò à morsu curabantur? Ps. 106. *Misit verbum suum & sanavit eos de interitionibus eorum.* Quomodò misit verbum? quia serpens æneus in cruce appensus fuit. Christus est verbum Patris. *Sicut serpens exaltatus est in deserto ita oportet exaltari Filium hominis.* Sic Verbum DEI ad nos est missum. Hoc nos, si æternæ saluti expedit, sanaret. Sed recurritur ad sortilegos, ad maleficas veluti noster DEUS esset dæmon, quid enim aliud facerent, si ille esset? Ad DEUM recurrite, ad medicinas licet. *Quia de terra creavit Altissimus medicinam, & vir sapiens non abhorrebit eam.* Creavit autem verbo, *per quod facta sunt omnia.*

Nascitur è verbo DEI & lucerna, imò ipsum, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* In tenebris plumbum ab auro non dignoscitur, arsenicum à saccaro. Ita usurarius usuram putat licitam. Accedit verbum DEI. *Non fæneraberis fratri tuo ad usuram.* Vidit quantum hoc sit malum. &c. Procedimus in hoc mundo noctu per glaciem foraminosam. &c. Sed luci huic sæpè oculos claudimus, neque nos illâ volumus illustrari, aliis potiùs putamus dici. Isai. 51. *Filii tui projecti sunt sicut Oryx illaqueatus in Ægypto.* Habet hoc animal intra se aquam cujus una gutta potest sitim maximam restingvere, sed ipsum siti in desertis Africæ moritur. Habent lucem quâ lucent aliis, ipsi tenebris obruuntur. Cadit hoc semen in viam, per viam qui vult vadit. Eccli. 2. *Omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis,* & sic ad omnia alia, non ad lumen attenditur. Transit per hanc viam amor famæ humanæ. Quid dicent de me si inimico pepercero? transit stultus timor, quid habebo si restituero? Socii, palliatio peccati, & semen conculcatur, lex extingvitur. Cadit in petram, non cooperatur semini, non addit humorem. Thren. 4. *Major iniquitas effecta est Filiæ populi mei peccato Sodomorum quæ sub-*

versa est in momento. Quare? *Et non ceperunt in ea manus*, non habuit manum cum lumine. Aliud in ſpinas. &c.

CONCIO LIII.
Pro Dominica Sexageſimæ, Altera Concio.
Cecidit in Petram. Luc. 8.

CUr aliqui petra ſeu reprobi, quis ſolvet? DEO ſoli id notum. Scio verò DEUM ita eſſe liberalem in dando verbo ſuo, ut illud & in ſpinas, & in viam & in petram ſparſerit, fortaſſe aliquod granũ etiam per me dignabitur ſpargere, quod huic quæſtioni ſatisfaciat. Interim utor verbis S. Aug. hom. 26. ex 50. *Ego quid ſum niſi cophinus ſeminatoris? ille in me ponere dignatus eſt quæ vobis ſpargo, nolite attendere ad vilitatem cophini ſed ad claritatem ſeminis, & poteſtatem ſeminatoris.*

Certum eſt quod ſcriptum 1. Tim. 2. DEUS *vult omnes homines ſalvos fieri.* Quod Auguſt. in Enchirid. ad Laur. ita explicat. *Omne genus hominum per quascunq; differentias diſtributum: Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, doctos, integri corporis, debiles, ingenioſos, tardi cordis, fatuos, divites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infantes, pueros, adolescentes, juvenes, ſenes, in lingvis omnibus, in moribus: & ſi quid differentiarum eſt in hominibus.* Uno verbo ſeminat ſupra viam, ſupra petram &c. Attamen, pauci electi. Ut ad ſolutionem hujus dubii accedam. S. Thom. 1. p. q. 24. a. 1. docet, quòd idem ſit prædeſtinatio, ſive electio, quòd liber vitæ. Si liber eſt vitæ in cœlo, cur non etiam mortis? at verò libri vitæ eſt non ſemel in S. Scriptura mentio, nullibi libri mortis. S. Thom. ad hoc reſpondet, quia *non eſt conſuetum conſcribi eos qui repudiantur, ſed qui eliguntur.* Sed etiam ratio hujus eſſe poteſt, quia electorum nomina ipſe Chriſtus ſcribit. Ezech. 9. deſcribitur Chriſtus.

Atra-

Atramentum scriptorium habebat in lumbis suis, & signabat viros electos. Reprobi verò ipsi sua scribunt nomina & quidem in terris Ps. 48. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Matth. 27. Dederunt milites arundinem Christo, pro penna utuntur arundine plerique Orientales. Propterea pro arundine, Græcus textus habet, *calamum.* Supra quod Chrysost. *Dederunt ei calamum in manus ut peccata eorum conscriberet.* Sed nihil scripsit. Joann. 8. cùm adulteram liberaret, scripsit in terra. Ita Hieron. lib 2. contra Pelagium, *eorum qui accusabant, & omnium mortalium peccata.* Sed nullius nomen posuit. Quocirca in hoc passu Ambr. Epist. 56. utitur verbis Jerem. 22. *Terra scribe hos viros abdicatos. Hoc est, ipse homo qui es terra, scribe.* Et hoc ipsum quod dicit. *Omnes recedentes à te, in terra scribentur.* Itaque liber mortis non est in cœlo, quia ipsi reprobi in terra se scribunt. Hinc jam patet, cur aliqui petra, cur reprobi, quia ipsi sic volunt. Zach. 7. *Cor suum posuerunt ut adamantem ne audirent legem DEI.* Jerem. 5. *Induraverunt facies suas supra petram & noluerunt reverti.*

Cadit semen & supra petram, non deest cum suis DEUS auxiliis, quæ si fuissent data Tyro & Sidoni, fuissent conversæ. Scribit Bernardin. de Busto part. 1. Rosar. serm. 3. Saracenus quidam cùm fuisset Florentiæ venit etiam ad concionem, & in ea flevit amarissimè, quæsitus de causa fletûs, respondit. Si hæc prædicatio fuisset facta Damasci ad centum millia hominum, ausim spondere, supra 86. millia ab errore convertenda. Dat DEUS aliquando auxilia majora reprobis quàm electis, ita ut dixerit. *Quid ampliùs debui facere vineæ meæ & non feci?* Pateat hoc in exemplo, & videbitis quòd similia incitamenta nec S. Paulo, nec S. Andreæ dederit. Scribit Beda tom. 3. de duabus Monialibus S. Burgundoforæ, hæ vitam agebant dissolutam, monebantur, spernebant; confitebantur quidem, sed nunquam benè;

bene, quare DEO volente semel à dæmone deductæ ad infernum, ut ipsæ viderent quid eas maneret, postquam inde redierunt se non correxerunt. Punitæ sunt à DEO morbo, qui ostendit illis dæmones animabus illarum inhiantes, neq; sic resipuerunt. Mortuæ sunt & sepultæ, supra sepulchrum in Adventu & Quadragesima spectabantur ignes, de sepulchro ejulatus. Tandem conclusum, videre, quid esset rei, sed in sepulchro nihil repertum præter favillam testem ignis æterni. Cadit verbum DEI supra petram, sed non descendit intra petram ut agat radices. Similes sunt reprobi statuæ Nabuchodonosor, est caput aureum, pedes fictiles, manet in auribus verbum DEI, non descendit ad manus, ad pedes, id est ad opera. Fit postea idem quod cum Pistore Pharaonis Gen. 40. *Videbatur sibi tria farinæ canistra ferre in capite* non in manu tulit. Quid hoc significabat exponat Daniel. *Auferet Pharao caput tuum & suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Auferent caput. *Apud inferos nec sapientia, nec ratio, nec consilium, quò tu vadis.*

Petram nos facit nostra malitia. Aug. l. 4. de perfect. Justorum. *Per arbitrii libertatem factum est ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem.* Vacas avaritiæ, cor dæmoni tradis quasi in pignus. Prosper de dono timoris. Mortuus est subitaneè quidam avarus dives, apertum est pectus ut causa mortis intelligeretur, sed cor non est repertum: itum est ad cistas pecuniæ, & ecce cor in manibus draconis, qui etiam adstantibus dixit. Hoc aurum & argentum pretium esse cordis quod mihi vendidit amicus vester, ideóque verè meum est, eoque pro arbitrio uti possum. Simile quid contigit dum S. Antonius in funere cujusdam Usurarii dixisset. Mortuus est dives & sepultus in inferno, inter nummos enim cor repertum. Quod de avaritia idem est de libidine. Dæmoni cor homo tradit, & ille mutat cor in petram. S. Zeno Veronen.

ronen.

ronen. serm. 10. *Furor libidinis æternum gehennæ ignem, & ultricum flammarum promulgat incendia.* Salonius Viennen. *Qui verba meretricis libenter audit, & oscula ejus delectabiliter suscipit, quasi januam pulsat inferni.* Ephrem exhort. Spirit. *Quandocunq; concupiscentia sese in animum insinuavit, mox ipsum cogitatione circumdat & obsidet, & salutis ingressum præcludit.* Mutabitur aliquando hoc verbum, hoc est, instinctus, auxilia DEI in verbum asperum. Invitabat olim Isaias populum ut rediret ad Dominum. Et ecce cap. 2. de eodem populo. *Et repleta est terra equis, & innumerabiles quadrigæ ejus, & repleta est terra idolis,* noluerunt converti. *Ne ergo dimittas eis.* Hieron. in hunc locum. *Truculenta sententia est, ut contra populum suum orare videatur, cui suprà dixerat. Domus Jacob venite & ambulemus in lumine Domini.* Reconciliaverat 2. Reg. 14. Joab Absalonem patri, sed postea ipsemet in corde rebellis tres hastas defixit. Amat spinas dives & voluptuosus. Nahum. 1. *Sicut spinæ se invicem complectentur* in inferno. Obduras cor instar lapidis. Abacuc. 2. *Lapis de pariete clamabit* contra te. Audi Salvianum lib. 8. de Providentia. *Ipse sibi parat peccator quisq; quod patitur. Nos calamitatum nostrarum authores sumus, nos ergo adversùm nos omnia facimus: nihil itaq; in nos est crudelius nobis. Nos inquam nos etiam Deo nolente cruciamus.* Veniet tempus de quo Laur. Justinian. de agone cap. 10. *Statuet te contra faciem tuam, & te judicabit DEUS per te, te faciet esse testem teq; Judicem tui. Ostendet priùs te tibi, tuamq; abs te sententiam auditurus est contra te, proferes tu ipse in te sententiam de te.*

Sed remanet una quæstio quam nobis hic Agricola cœlestis solvat. Elegit nos ex mera gratia non propter nostra merita. August. lib. de prædestin. SS. *Non quia nos futuros tales præscivit, elegit, sed ut essemus tales, per ipsam electionem gratiæ, quâ gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Et lib. 2. contra duas epist. Pe-

lagianorum, cap. 7. *Vocatio datur gratuitum bonum, cujus boni est ipsa vocatio principium. Non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quòd per primum hominem peccatum intravit in mundum*, Cui vult miseretur, quē vult indurat, qui fecit aliud vas in honorē aliud in contumeliam. Rursus Prædestinatio est salutis fundamentū. Nemo enim salvabitur nisi prædestinatus, quare non omnes prædestinavit, siquidem gratis elegit quos elegit. Rursus si hæc signa quæ facta sunt in Judæa fuissent in Tyro & Sidone, conversæ fuissent, cur ista signa non fecit? Respondet Aug. l. c. ex lib. de prædestin. SS. *Nos si ratione facti profunditatem judicii ejus penetrare non possumus, manifestè tamen scimus, & verum esse quod dixit, & justum quod fecit.* Sed cur non omnes elegit? respondet ibid. cap. 8. *Apostolus aperuit quantum aperiendum judicavit, quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, tulit in multa patientia vasa iræ suæ quæ perfecta sunt, in perditionem: & ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Sed hoc faciliùs fortassè intelligemus ex ipso hodierno Agricola. Dedit hic Agricola quatuor famulis suis æquè incultos agros. Eligit primum, volo te famule facere divitem, & has divitias acquires hâc viâ &c. ego tibi adero. Laborabis ita & ita agrum. De aliis non dicit hoc, sed solùm, & hi divites esse poterunt elaborando agros suos, & illis subsidio non deero, videt deinde quòd accepto subsidio nihil faciant, dicit, vos eritis miseri semper. Quæ hic culpa in agricola? illi benè facit, his paratus si illi velint, nulli deest. Genus humanum post Adamum fuit velut ager incultus, massa damnationis. Elegit quosdam, nulli in necessariis ad salutem deest. Neminem reprobat nisi viderit mori in peccatis. Seminat & in via, & in petra &c. August. relatus in Canones 23. q. 4. Nabuchodonosor § Vasis. *Vasis iræ nunquam DEUS redderet interitum, si non sponta-*

neum

neum homo inveniretur habere peccatum. Ibid. §. prædestinatum. *Prædestinationem DEI sive ad bonum sive ad malum in omnibus ineptissimè operari dicitur, ut ad utrumq; quædam necessitas videatur impellere, cùm in bonis voluntas non sine gratia, in malis voluntas sine gratia intelligenda.* Et ita si electus non operaretur benè, per impossibile, non acciperet cœlum: si non electus non operaretur malè, non damnaretur. Nam ut August. ibid. *Essent prædestinati, si essent in sanctitate aut veritate mansuri.* Quòd ergo sit aliquis petra ac reprobus sibi imputet; quòd ager bonus ac electus, est DEI gratiæ. In reliquo Eccl. 3. *Non est tibi necessarium videre ea quæ sunt abscondita ab oculis tuis.*

CONCIO LIV.

Pro Dom. Quinquagesimæ, Prima Concio.

Ecce ascendimus Jerosolymam. &c. Luc. 18.

ACcidit semel ut irent fures ad quandam civitatem, ecce vident in patibulo quendam nobilissimum: quærunt cur suspensus? respondetur, quia famulus ejus rem quampiam parvam, pomum furatus. Ergò ajunt, tantus hìc rigor? caveamus nobis. Hoc ipsum verè fit hodie, eunt ad peccata homines, ostendit Ecclesia Christum in cruce ob Adæ furtum, quid nos inferemus ex eo? an adhuc pergemus ad furandum DEO honorem, animas? Ut vos determinetis clariùs casum prædictum explicabo.

Cùm peccata clamarent vindictam ita ut sicut Sodomorum, clamor ascenderet ad cœlum: vocavit DEUS justitiam. Vade non parce, diu sustinui. Interea incidit justitia in Filium DEI, qui in se imaginem assumpsit peccatoris. Et statim scripsit decretum. *Filius hominis tradetur* &c. Siste Justitia, Filius est. At illa. Sed similis peccatori, moriatur. Hinc

considerate. Si ita irascitur imagini, quid faceret si in ipsum peccatorem incidisset? appensus denique Filius in cruce. Vade modò homo ad peccata, an putas quòd dormiat Justitia DEI? occurret & tibi. Sed dices, jam pro me Filius passus. Reponet illa, tantò magis es reus, quia vidisti tam graviter vapulâsse Filium pro alienis, & tu auges tua. Gaude miser in peccato ut Balthasar, en jam stant supra te Medi. Exulta ut Nabuchodonosor, jam scribitur. *Fœnum ut bos comedes*. Jam satis erga te DEUS indulsit misericordiæ. Roman. 9. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. Cursitat Justititia, non vides? *Cæcus* es secùs viam. Venditur aliquis hosti, ligantur illi oculi. Illudit hostis dum captivum ducit, prandebis lautè, ascende modò scalas. Ascendit miser nesciens quòd patibulum conscendat, interea subitò illi laqueus injicitur, & de scalis deturbatur. Hic modus est dæmonis cum illis agendi qui se illi per peccatum vendiderunt. Lude, ede, &c. Interim ligatis oculis ducit ad infernum. *Excæcatum est insipiens cor eorum*. Ambulant in tenebris, interea Justitia dat sententiam. *Deleatur de libro viventium* in hac vita, & in altera. *Cum justis non scribatur*. Quo duceris cæce? Isai. 42. *Quis cæcus nisi venundatus*? Hæc cura dæmonis ut faciat cæcos, tum dat plumbum pro auro: pro via humilitatis ducit per superbiam, & dum luxuriantur & *in bonis ducunt dies suos, in puncto descendunt ad inferna*. Ita ille dives. *Mortuus est dives & sepultus in inferno*. Auge peccata, sed audi quid Isai. 22. *Si dimittetur hæc iniquitas vobis donec moriamini dicit Dominus exercituum*.

Filio innocenti non pepercit, parcet latroni mancipio? leniùs illum tractabit? *Terribile est incidere in manus DEI viventis*. Quid de illis fiet qui juncti Lucifero pugnant contra Filium Dei viventis? solent succis quibusdam scribere literas, neque apparent priusquàm aliquo pulvere conspergantur. Scribimus non

nos modò, nihil apparet, veniet cinis in quem convertemur, omnia manifestabuntur. Hæc modò videt justitia. Variis usus Christus cæremoniis circa illustrationem cæcorum. Matth. 8. tetigit oculos. Joann. 9. fecit lutum. Luc. 18. jussit cæcum ad se adduci. Tanget oculos & videbit, luto in quod convertemur illinet, ad viam universæ carnis reducet. Non scimus modò quid agimus, fabricamus gladios quibus ipsi perituri sumus sicut Goliath. Basil. Seleucus orat. 15. *Cùm Goliath arma fabricaret, id se in usus Davidis facere, & proprii jugulatoris bajulum in adversarii habitu se Davidi venire subsidio ignorabat.* Ab altera parte putabant aliqui ruinam Patriæ afferre, cùm quinquaginta exussit. 1. Reg. 21. Et ecce illi postea acclamatur. *Currus Israël & auriga ejus.* Omnia tanquam cæci judicamus. Psalm. *Cognoscetur Dominus judicia faciens.* Job. *Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valdè.* Non valdè cùm dedit in vastationem Gothis Italiam, &c? non valdè cùm pestes universales immisit? *Tacui, semper silui, patiens fui.* Sed veniet tempus, *quando gladius meus devorabit carnes.* Quando *perdet corpus & animam in gehennam.* Quando brachium suum exeret quod David contemplatus, *A fortitudine manûs tuæ ego defeci.* Qualiter defecit, viribus, eloquio, &c. O Justitia quis tibi occurret? *Ecce nunc tempus acceptabile.* Jejunemus pœnitentiam agamus, Monet Joël. *Scindite corda vestra.* Ipse Filius DEI nobis modum suppeditat, exemplo præit. Flectetur Justitia si nos viderit in nobis suas partes agere, illa venit ad punienda peccata, si à nobis viderit eadem punita, non puniet.

CONCIO LV.

Pro Dom. Quinquagesimæ, Secunda Concio.

Secùs viam. Luc. 18.

NOn est mihi propositum vestra turbare Bacchanalia, imò *gaudete iterum dico gaudete.* Propterea non assumo in thema

ma. *Filius hominis tradetur, &c.* Quomodo enim gauderent filii, si dicerem, *Pater vester tradetur?* &c. Et quidem vos ipsi eritis ejus proditores. Gaudete, quid tamen de vobis fiat secùs via mprospicite ne ab illa recedatis.

Nemo contra dicet si Patriam nostram appellavero navim, & agitari magnis fluctibus, nam Ezechiel. 27. ita describit regna. Fluctus sunt tanti ut clamare possimus sicut ille ante excidium Jerosolymorum. *Væ ab oriente, væ ab occidente*, &c. Si in his fluctibus navem quis perforaret quàm impius esset? Si navis ex Patria, itaque asser seu tabula est quilibet civis Patriæ. Quot peccata tot sunt rupti asseres, per quos aqua intrat. *Intraverunt aquæ usq; ad animam meam. Infixus sum in limo profundi.* Cur navis Petri ita fluctuabat, ut coactus sit Petrus exclamare, *Salva nos Domine, perimus?* Respondet Ambr. Quia in illa navi fuit Judas. Sit ipse Christus nauta, sint prudentissimi consiliarii sicut fuit Achitophel si se miscuerit impius Absalon: Habeat Patria fortissimos exercitus, si tamen inter illos fuerit sacrilegus Achan: habeat muros Babylonis, si illis contineatur sacrarum rerum violator Balthasar erit navis perforata, unius asseris rima sufficit ad navis submersionem, propter unius peccatum pereunt aliquando tota regna. Quia peccatum quodvis est aut absolutè aut saltem secundùm Quid infinitum, ac propterea toti mundo prævalet, unde non esset committendum, etsi totus mundus, & cœlum, & terra perire deberent. Quare, si propter orationem unius sancti aliquando DEUS regna servat, cùm peccatum cujusque sancti hominis orationem infinitè excedat, ut nec omnium Sanctorum merita cum uno peccato æquiponderare possint, propter unum peccatum justè DEUS regna integra tollit. Non est putandum, omnes in Græcia aut Ægypto fuisse maximos peccatores. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Sed quomodo hic est DEI justitia? hoc

hoc modo. *Implete mensuram Patrum vestrorum, ut omnis sangvis super vos veniat à sangvine Abel usq; ad Zachariam.* Potest propter unum peccatum omnes perdere & aliquando perdit, quia etiam alii saltem venialia commiserunt, veniale verò unum potest morte puniri, neque hujus rei desunt exempla etiam in ipsa S. Scriptura. Quòd verò non semper puniat, quia ex misericordia sua sibi soli notam constituit cuique regno, imò & homini, mensuram. Quæ ubi fuerit completa, exercet justitiam. Quæ sit mensura nostræ Patriæ assignata, hoc soli DEO notum, certum est tamen quod in hanc navim non unus peccati lapis injectus, & videmus quòd navis valdè onerata, si vel modicum adjeceris, mergatur. Ita multa fuerunt peccata Babylone, sustinebat DEUS, adjecit Balthasar suum, mersa est Babylon. Idem factum in Græcia, Ægypto, &c. Et hoc pondus adjicere quilibet nostrûm potest, etiam hodie, & veniet supra nos omnis sangvis, etiam S. Stanislai Ep. Mart. &c. omnis pauperum oppressio, &c.

Sed quid ago? ubi illud. *Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione?* Sed ubi etiam Prov. 1. *Vocavi & renuisti &c. ridebo in interitu tuo.* Res mira, David erat vir clementissimus, morti proximus commendavit Salomoni ut occideret Semei, qui aliquando sibi maledixerat. Hæcne est pro morte dispositio? hæc mansvetudo: Ps 131. *Memento Domine David & omnis mansvetudinis ejus.* Hoc est. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ab inimicis meis inanis.* Ad intelligendum hoc mysterium serviet similitudo quam adducit S. Vincent. Conc. 5. de Epiph. Deserto proprio Rege transivit quispiam ad hostes, inde erumpens magna Regi damna inferebat, monebatur toties à Rege ut rediret, non solùm veniam sed etiam gratiam habiturus, tantò pejus agebat. Demum captus à Rege, petiit veniam, sed Rex illum jussit suspendi. Tu

non

non deseris tuam malitiam, sed quia es in manibus petis condonari, aliter non petiturus. Putatis quòd dum caperetur Constantinopolis nullus à DEO petebat misericordiam, nullus in aliis locis. Sed petierunt quando jam fuerunt in manu lictorum DEI. Sicut & Semei petebat postquam David factus victor, quia tunc facere aliud non poterat. Jer. 34. *Noluistis me audire ut prædicaretis libertatem, Ecce ego vobis prædico libertatem, ad gladiũ, ad pestem, ad famem.* Monebat DEUS ut relinquerent peccatum oppressionis pauperum, & libertatẽ illis annuntiarent, noluerunt, ecce dum ipsi à malis petierunt liberari, quid illis dicit? Gaudete in his Bacchanalibus sed non extra viam salutis, non augete peccata, ne & ipsi pereatis & alii vobiscũ. *Gaudete iterum dico, Dominus propè est.* Spectat quid agatis, aspicit utrum mensuram impleveritis. Quis scit quàm procul absit illud tempus quando dicet. Psalm. 49. *Hæc fecisti, & tacui: existimâsti inique quòd ero similis tui.* Implebas mensuram, tacui, existimâsti quòd non essem visurus quando illam complebis, sicut tu non vides non sic, non sic. Clamabis tunc. Ego *in interitu tuo ridebo.* Quem risum avertat à nobis ipsemet, & avertet. Si ita egerimus ut extra viam non egrediamur.

CONCIO LVI.

Pro Dom. Quinquagesimæ, Tertia Concio,

Dum appropinquaret Jericho. &c. Luc. 18.

LÆtam dicendi sumo materiam, de choreis, neque illas reprehendam ut Alphonsus Rex Aragonum apud Guevaram epist. 12. *Saltatorem & stultum eo tantùm distingvi, quòd ille totâ vitâ, iste dum saltat, stultescit.* Neque dicam quòd Mesfret. Domin. Quadrag. serm. 2. *Chorea est circulus cujus centrum diabolus, circumferentia omnes Angeli ejus.* Quocirca nõ adducam ad me-

ad meum propositum SS. Patres, quia magni sunt hostes chorearum. Imò choreas agere docebo, quarum nonnullam imaginem hodiernum Evangelium exhibent, in quo aliqui describuntur procedere, alii clamare, alii esse extra viam, hæc enim fiunt in choreis.

Quòd non sit malum choreas ducere habeo pro hac re Alb. M. in 4. Dum adsint hæ conditiones. 1. Tempus, quale est nuptiarum, triumphi, alicujus magnæ lætitiæ. Ita David 1. Reg. 18. saltavit coram arca. Jud. 11. Filia Jephte. Ita Luc. 5. in reditu Filii prodigi audita symphonia & chori. 2. Sint personæ honestæ, sed non Religiosæ, nam hic potiùs convenit illud 1. Machab. 12. *Habemus solatio libros sanctos qui sunt in manibus nostris.* 3. Adsit omnis honestas tam in modo quàm in cantionibus. Exod. 21. *Cantemus Domino*, &c. Hoc solùm hîc observate quod omnes hactenùs numeratæ choreæ seorsim erant virorum. Seorsim virorum, & nunquam permixtim. Sed illarum in quibus simul viri sunt cum fœminis quis putas inventor? promisi me non citaturum SS. Patres. Respondeat Ethnicus Plinius. Et dicit, quòd diabolus. Hic visibiliter certis temporibus prodibat ex Nilo & docebat saltare, ut sic modo suavi ad cultum idolorum induceret, inde legimus cæremonias idololatrarum constitisse ut plurimùm saltibus. Hinc Sacrificuli saliares, & hoc ipso modo Judæi suam idololatriam circa vitulum exercuerunt Exod. 32. *Cùm* Moyses *appropinquâsset ad castra vidit vitulum & choros.* Hoc & alii Judic. 9. *Factis cantantium choris ingressi sunt fanum DEI sui.* De cœtero extra DEorum cultum ipsi Ethnici adeò à choreis abhorrebant, ut dixerit Cicero. *Nemo saltat nisi ebrius*, turbato intellectu. Et saltum bestiis attribuit Scriptura. *Saltabunt omnes bestiæ agri.* Isai. 13. *Habitabunt ibi struthiones & pilosi, saltabunt ibi & respondebunt ibi ululæ & Syrenes.* In saltu tanquam re sua se miscet dæmon. Henricum Re-

gem Angliæ saltantem, secutus in ea specie in qua solet mors pingi. Et specialiter dicti olim isti dies fuerunt sacri, lupercalia Saturno, Bacchanalia Baccho. Sed etiam nunc sunt idola. Jam de peccatis, gratissimo dæmonis sacrificio, in saltu. August. *In saltationibus spargit diabolus dulcedinem luxuriæ*, præsertim quando cum formosis saltatur. Quid enim est idolum? Tertull. de Idololat. *Idos gracè forma, idolum per divinationem, igitur vel forma, vel formula, idolum se dici exposcit.* Et in istis formulis, idolis capiuntur viri & mulieres. Hieron. ad Heliodorum. *Non credam viro se illæsum evasisse à spectaculo mulierum.* Et certè quis sanctior Davide, sapientior Salomone? Ibi sensus tactus inflammatur ad malum. Ibi auditus. Prov. 9. *Colloquium mulieris quasi ignis.* De tactu 1. Cor. 7. *Bonum est viro mulierem non tangere.* Dicitur multis. *Vos estis sal.* Sal ex aqua, vir ex muliere. Sed si sal aquæ misceatur, fit lutum. Macarius post plagas in Martyrio susceptas dum curatur à muliere, lapsus est in stuprum, quid de Martiano Eremita, & aliis? Cypr. *Quantos leones domuit una infirmitas delicata?* an nos istis fortiores putamus, & quidem inter choreas, cùm isti inter jejunia & asperitates procubuerunt? Quid deinde sequitur? Ezech. 25. *Pro eo quòd plausisti manu & percussisti pede, ego extendam manum meam super te, & tradam te gentibus in direptionem & interficiam te de populis, & perdam de terris & conteram te.* Numerat DEUS gressus factos in suum obsequium, sed & dæmon factos in suum. Job 14. *Gressus meos dinumerâsti*, quod præmium? DEUS pro saltu coronam non dabit. Igitur dæmon. Hic ex circulo saltûs ducet ad circulum æternitatis. Saltabis miser, hic incipe, pro dulci musica audies ululatum, pro svavi tactu ignem. Salta, perge.

CON-

CONCIO LVII.

Pro Dom. Quinquagesimæ, Quarta Concio.

Ascendimus Jerosolymam. Luc, 18.

DOminicis duobus præterlapsis cœlestis Paterfamilias parabat vinum & panem. *Vade in vineam meam. Exiit qui seminat,* &c. Poterit nostra moderna convivia his donis augere, invitemus eum.

Non prohibet DEUS uti nos conviviis, ideò possumus illum audacter invitare. Imò ipse sibi jussit cibos exhiberi. Exod. 29. *Hoc est quod facies in altari, agnos anniculos duos per singulos dies, unum agnum manè & alterum vesperè.* Oleaster. *Audis hic summi DEI dignationem volentis apud nos prandere & cœnare velut unus ex nobis.* Ipse Deut. 16. Festum Scenopægiæ instituit, quo tempore sex dierum sunt convivia. Sancti viri scripserunt leges convivii. Bernardin. tom. 2. *Diebus Paschalibus abundanter non tamen delicatè pasce familiam. Fac gulam litigare cum bursa, & cave ejus advocatus existas, si inter gulam & bursam judex existas, sæpiùs, sed non semper pro bursa feras sententiam.* Pleniùs S. Chrysost. homil. 16. in Decoll. S. Joann. Bapt. *Convivium honestate honoretur, lætitia mensæ pertingat ad pauperes Christi, familia innocentiæ tripudiet disciplinâ, absit ebrietas, luxus ab sistat, fugetur effusio saltatricum ut pestis, lenocinia cantorum, fomenta voluptatum, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis convivio abscindantur, ut præsens gaudium vestrum ad lætitiam perveniat sempiternam.* Canones Sacri 44. dist. *Convivium laudatur, dummodò detractionibus, & fabulis, & plausibus turpibus non misceatur.* Caveatur excessus nam ut notavit quid admirabile S. Joann. Climachus gradu 14. *Neq; illud te lateat, quòd plerumq; dæmon insidet stomacho nostro, facitq; ut nunquam*

homo satietur, etiamsi universam comederit Ægyptum, totumq́ Nilum biberit. Proinde non est indecorum invitare Christum ad nostra Bacchanalia.

Sed non veniet Christus si mensæ vestræ assederit Bonosus Imperator solitus dicere teste Flaviano Episc. *Se natum ad bibendum, non ad vivendum.* In quo id fit quod Basil. de ebrietate deplorat. *Qui plus hauserit meri is præ cæteris laudatur, is victoriam refert.* De quo Ambr. lib. de Elia cap. 13. *Primò minoribus poculis quasi velitari pugna præluditur: deinde tanquam per fistulas aut canales vina funduntur. Tunc deferuntur phialæ, tum maximi crateres, quasi instrumenta bellorum.* Et cap. 17. *Videtur non amare Imperatorem qui pro salute ejus non biberit. O pia devotionis obsequium!* cap. 14. *Quantò meliùs in terram tua vina fudisses; rogans ad jucunditatem, cogis ad mortem!* Quid deinde? Exod. 32. *Sedit populus manducare, surrexerunt ludere.* Saltant tanquam vitulum adorarent. Jam larvati veniunt. Job. 40. *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Hoccine est Christianum convivium? Imò hæc sunt Orgyja Bacchi. Venietné ad hæc Christus? Imò, ait, *Ascendimus Jerosolymam.* Scio, conspuar flagellabor &c. *Ascendimus.* Quia ut Greg. in 85. Job. *Nulla fiunt convivia ubi non mortalia committantur peccata.* Veniet qualem describit Evangelium hodiernum: veniet qualis venit ad Annam de S. Bartholomæo. De qua Barry in anno sancto p. 1. cap. 7. Hæc pœnè infans vovit DEO virginitatem. Tandem semel jubente Matre in Bacchanalibus choreas duxit, intra quas dum ad partem respexisset, vidit Christum cruentatum sibi dicentem. *Perge te dare vanitati dum ego in tormentis.* Paratum erat convivium. 2. Reg. 3. Quia significatum est Davidi de morte Abner. *Cùmq́ voluisset universa multitudo cibum capere, cùm David clarâ adhuc die juravit, dicens: Hæc mihi faciat*

DEUS & hæc mihi addat, si ante occasum Solis gustavero panem, vel aliud quidquam. Et nos quid, quibus dicitur. *Filius hominis tradetur*, &c. *Clamat sangvis Abel*, id est Christi *de terra*, fortè contra nos. Vos me effudistis. Significatum est fratribus 2. Reg. 13. Quòd frater eorum fuisset occisus. *Surgentesq; omnes filii Regis* à mensa. *Ascenderunt singuli mulas suas & fugerunt.* Et nos dum Christus illuditur, volumus potationi vacare? Non consideramus quòd hoc sit nefas, & impietas? jungemus nos illudentibus Christum qui à Christo jus cœli accepimus? O quæ gratitudo? Pro nobis illudetur, & nos ridebimus? illudamus, illę nos quæret ut ovem perditam, ut Filium prodigum. Nos ejus sangvine scribemus nobis decretum mortis, ille *Ascendimus.* Basil. serm. de Abdicat. rerum. *Multos ipse vidi gravium scelerum maculis notatissimos, qui tandem peccandi finem fecerunt, & ad magnum sanctitatis gradum pervenerunt; ex hominibus autem cibo & potationibus deditis, neminem ex omnibus vidi qui convaluissent.* Memineritis inter convivia quibus miscentur peccata, sangvinem Christi fluere. Ex. 7. *Elevans virgam Moyses, percussit aquam & versa est in sangvinem.* Percutiet arundine quâ est illusus vestra pocula & in sangvinem vertet. *Bibite*, & non poterant Ægyptii *aquam bibere fluminis.* Fluet sangvis Christi, sed quid inde sequetur? Fluxus sangvinis mali est augur. Scribit Oros. Benedicto VII. Pontifice fluxit fons sangvinis in Lotharingia, secuta totius orbis pestis, & fames immanis in Italia. Sub Joanne XII. Genuæ fons erupit sangvineus, clades à Saracenis est illata. Sed istis missis redeamus ad S. Scripturam. Eccles. 11. *Lætare juvenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui & intuitu oculorum tuorum, & scito quòd pro his omnibus adducet te DEUS in judicium.* Reddet tibi DEUS pro sangvine suo conculcato sangvinem Sap. 11. *Pro fonte sempiterni fluminis humanum sangvinem dedisti*

dedisti injustis. Isai. 49. *Cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto, sangvine suo inebriabuntur.* Veniet tempus quando viso hoc suo sangvine accendetur contra te velut elephas ad bellum 1. Machab. 6. *Elephantis ostenderunt sangvinem uvæ & mori ad accendendos eos ad prælium.* Tum verò Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile veritatem: acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Pugnabunt hi vestri potus, cibi, saltus. &c.

Sed meliora de vobis mihi promitto. Vos estis qui cum S. Teressia clamatis. *O amor, ô amor, ampliùs non peccatum.* Vos cum Jacopono, dum alii Christum deserunt. *Amor non amatur, Amor non amatur.* Vos cum Aug. Soliloq. 31. *Dilexisti me Domine plusquam te, quia mori voluisti pro me.* Vos cum S. Thoma opusc. de S. Sacramento. Dilexisti nos, *quasi quilibet homo esset DEI DEUS.* Vos cum Bonav. in stimulo amoris cap. 8. *In tantum me diligis DEus meus ut te odisse videaris.* Et certè nisi DEUM ametis dicet Guilielm Parisien. Rhetor. Divinæ cap. 5. *Quis ad hoc diabolicum terrificum miraculum non obstupescat?* Eligite non spinas, non flagella cum Christo, sed ne illum deseratis dum alii hoc triduo deserunt. Questus olim. *Non est vir de gentibus mecum.* Repertus unus bonus latro qui mansit cum eo, dedit illi statim paradisum. Ita & Reges maximè sunt grati illi qui cùm eis manet, cùm alii deseruerunt, & jam hoc cepistis, cùm ad templum pleni devotione convenistis. Ita agite, & convivium ita peragite ut æternum lucremini.

CON-

CONCIO LVIII.

Pro Dom. Quinquagesimæ, Quinta Concio.

Cæcus sedebat secùs viam. Luc. 18.

EST doctrina SS. Patrum, ac præcipuè S. Greg. hom. 2. *Miracula Domini & Salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut & in veritate credantur facta, & tamen per significationem nobis aliquid innuant.* Sicut in veteri testamento cum historia v. g. Abrahæ immolantis Filium narratur, & ipsa res quæ facta narratur, & simul figuratè Christi immolatio describitur, & sic de aliis figuris, in lege verò nova & res facta narratur, & aliqua doctrina innuitur. Nemo est qui per hunc cæcum extra viam sedentem non intelligat peccatorem extra viam salutis. Erit nobis ad cautelam si cæcitatis spiritualis mala explicuero.

Duplex est cæcitas, una quam infert secum peccatum quodlibet. Altera quam DEUS in pœnam peccati immittit, juxta illud Isai. 6. *Incrassa cor populi hujus & oculos ejus grava.* Dilexit homo tenebras, maneat in tenebris. Sed quomodo id possit à DEO immitti explicat Aug. epist. 105. *Excæcat deserendo non adjuvando.* Non adjuvat cæcitatem, sed ipse qui est lumen recedit. Sicut ignis aquam reddit frigidam non inducendo in illam frigus, sed ipse ab illa recedendo, sicut Sol noctem per sui recessum facit. Ac simili modo de excæcatione atque de obduratione discurrendum, de hac enim Aug. lib. 1. ad Simplicium quæst. 2. *Obdurare est nolle misereri, ut non à Deo irrogetur aliquid quò sit homo deterior, sed tantùm quò sit melior, non erogetur.* Potest quidem & excæcatus viderè, Et obduratus emolliri. Quia dantur illi omnia quæ ad hoc sunt necessaria, nunquam tamen videbit aut emollietur, quia DEUS non dat id quod si dedisset certissimò fuisset videns & emollitus,

tus, sed istæ pœnæ non cuilibet statim peccatori irrogantur, hæ verò quas incipio narrare, cuivis.

Inprimis, non videt quòd sit nudus, & miserabilis, nec habet quo suam post mortem tegat nuditatem. Unica enim est vestis, quam vocant gratiam sanctificantem, quæ mirè animam enervat. Audiistis de Athonaide puella egregia sed paupere, quia etiam dotem illi Fratres eripuerant, venit conquestum de injuria ad Pulcheriam Augustam sororem Theodosii Cæsaris, placuit illi, & ejus suasu à Theodosio in uxorem accepta. Quæ ibi subita mutatio? quomodo adorant Principes &c. Mutatur nomen & vocatur Eudocia. Quid si hæc deinde subitò omnibus fuisset spoliata, nec adverteret id, nonne cæca esset? Itaque fit cum anima nostra cùm gratiam DEI accipit, quæ non est merus favor DEI sed veluti quædam vestis, fit Sponsa Christi. Cœlites venerantur, sed si peccet, illa gratia statim perit, & remanet non solùm nuda, sed maculata, cadaverosa, fœtida. Si hoc non advertit, nonne est cæca? Parùm dixi, quòd gratia sit vestis pretiosa habet jus cœli ita sibi adnexum, ut omninò debeantur illi opes quas DEUS habet, felicitas, respectu hujus gratiæ, nihil esset si DEUS alicui daret potestatem creandi mundum, Angelos, excitandi mortuos, omnia regna mundi cum honoribus, omne aurum, omnem scientiam. Si DEus desereret omnes creaturas, nondum desereret eum qui hanc habet gratiam. August. lib. 2. ad Bonifac. cap. 6. *DEI gratia non solùm omnia sydera verùm etiam omnes Angelos supergreditur.* Blosius ait, si anima videri posset à nobis habens gratiam præ admiratione à mente alienaremur. S. Catharina Senensis dixit Confessario. *Ah si vidisset Pater quæ sit animæ pulchritudo gratiæ ornatæ, profectò vel unius causâ mille mortes libenter oppeteres.* Ipse DEUS quantoperè illam laudat Cant. 1. *Ecce quàm pulchra es amica*

mea

mea, quàm pulchra! Est tam pulchra in oculis DEI acsi Filium ejus induisset. Gal. 3. *Quicunq; baptisati estis Christum induistis.* At verò si gratiam amiserit. Micheæ 7. *Nunc vastaberis Filia latronis.* Ecce quomodo mutatus est titulus amicæ! illi assistunt ut suæ possessioni dæmones Ps. 21. *Circumdederunt me canes multi.* Mich. 7. *Obsidionem posuerunt super nos.* Paratur illi domus, *tempestas valida*: induitur dæmonem, S. Macarius. *Anima peccans dæmonem induitur, totâq; ejus substantiâ vestitur.* Heu misera depone Christum, indue dæmonem! ostensus fuit S. Catharinæ Senen. semel dæmon qualis est in se. Dixit. Mallese per carbones ignitos ad diem judicii incedere quàm illum secundò videre. Visitabitne hanc animam Sponsus! Ita Isai. 29. *A Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione, & voce magnâ turbinis, & tempestatis, & flammæ ignis devorantis.* Quis potus? *Potabit eam absynthio.* Quis lectus? Isai. 17. *Detracta est usq; ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum.* Fuisti antea ô anima, ut docet S. Petrus, *Concors naturæ divinæ*, quod explicat S. Th. I. 2. q. 10. a. 2. ad 1. *Quod substantialiter est in DEO, accidentaliter fit in anima Divinam participante bonitatem.* Quid verò modò? Isai. 13. *Requiescent ibi bestiæ, & replebitur domus eorum draconibus.* Chrysost. hom. 54. in 9. Joann. *Novis inferus plectendus est atq; pœnis qui post Christi mortem repetit peccatum ideò obitam ne repeteretur.*

Innumera sunt alia quæ manu etiam palpari possunt, quæ peccatum gratiam expellens adducit, hoc solùm non possum præterire, quòd talis homo Patriam suam hostibus prodat. Hieron. epist. 3. ad Heliod. *Nostris peccatis Barbari fortes sunt, nostris vitiis Romanus,* id est noster, *exercitus superatur, & quasi hæc non sufficerent cladibus, plus penè bella civilia, quàm hostilis mucro consumpsit. Infelices nos qui tantùm displicemus DEO, ut per rabiem barbarorum in nos illius ira desæviat, &c. Et non intelligimus Pro-*

 pheta-

phetarum voces. Isai. 30. Fugient mille uno persequente. Nec amputamus causas morbi ut pariter morbus amputetur; statimq; cernamus sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere. Proditor est patriæ peccans, & hoc non videt. Addo hæc summatim. Damnatus est quispiam ad mortem, & jam Judex vertit clepsydram horariam ne reus diutiùs vivat. Nescit reus quando effluet clepsydra, & cùm possit aliquot verbis mortem avertere, ille interim ludo vacat, non est hæc cæcitas? vadit per viam in qua multi occisi, spectat cadavera, potest per aliam viam progredi, non vult. Non est hæc cæcitas? Alter cùm optimè habeat apud suum Principem, confugit ad hostem, qui illum in partes discerpat, nonne est cæcus? & tamen ista fiunt.

Oremus. *Da Domine ut videam,* ne me in hæc mala præcipuè his diebus præcipitem. Cæcus, imò insanus es omnis peccator.



BRE-



BREVIARII CONCIONATORII PARS II.

De Dominicis & Feriis Quadragesimæ.

CONCIO I.

Pro Die Cinerum.

Thesaurisate vobis thesauros in cœlo. Matth. 5.



Acilè potest conjungi cum verbis propositis ex Evang. quod monet Ecclesia. *Ecce nunc tempus acceptabile, &c.* Quia acceptabile est, si aperiantur thesauri, & dicatur, accipite quicunque vultis & in vestros transferte thesaurôs. Assignat Pater Filio à quo graviter offensus; ecce nunc tempus, depreceris, habebis veniam, urgent alii Filium. Vade, ecce nunc tempus acceptabile, aperit Pater pectus quid si filius interim malit vacare ludis? &c. offensas augere? An thesaurisabit aliud nisi iram? queretur interim Parens Isai. 1. *Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Sed quòd dum Evang. jubet thesauros colligere, Ecclesia det cinerem. *Memento homo, &c.* Hoc difficiliùs combinare, conabor nihilominùs.

Non possèt esse absque dolore si Pictor quispiam talem pingeret imaginem in quam colligeret quidquid est pulchri in lapidibus, plantis, animalibus, & adhuc plus adderet, & tam benè disponeret, ut omnes dicerent, dignum esse Apellis manu opus. Ecce unus superveniens illam imaginem in lutū injiceret, conculcaret. Ita fit DEO, collegit omnes rerum pulchritudines in hominē, & quod plus est, fecit illum ad imaginem suam. Projecta hæc imago in lutum peccati, pedibus conculcata veluti facta barbaris Filia Regis captiva, raptatur &c. hoccine palatium? qui tibi, &c. Clamant Angeli, *Conteratur qui hoc fecit.* Vindictam poscunt Sancti. Ps. 149. *Et gladii ancipites in manibus eorum &c.* O misera Filia Principis, ô misera anima mea quò devenisti? *Induebaris croceis, amplexata es stercora.* Indueras purpuram in baptismo tinctam Christi sangvine. De te dici potuit Thren. 4. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte.* At verò modò. *Denigrata est super carbones facies eorum, non sunt agniti in plateis.* Sed quis hoc fecit? cinis, pulvis. Ergòne tantùm ausus? Isai. 33. *Et erunt populi quasi de incendio cinis.* Fecisti ô cinis omnia cinerem, repone in tuo thesauro cinerem. Idem cinis est sive cedrus Libani, sive abies uratur sylvarum, ad hoc veniet, non dignoscentur ossa Regis ab ossibus mancipii, & veniet citiùs quàm putas, & hæc es ausus? Moyses descriptâ Genesi statim ponit Exodum, post nativitatem exitum: Eccl. 3. *Tempus nascendi, tempus moriendi,* nihil interponit: quare hoc? Nyssen. in Eccles. homil. 4. *Ut per ipsum librorum ordinem discernas quæ ad eos pertinent.* Vita tota ingressus & egressus. Serva in thesauro cinerem, & cùm sis tam miser, cogita quid egeris? si fuissemus creati puri spiritus sicut Angeli, nondum dicere possemus, nihil magni mali egimus, sed Thren. 1. *Egressus à filia Sion omnis decor.* Quò vilior persona quæ offendit, & dignior quæ offenditur eò majus est crimen. Tu cinis, tu priùs vas contumeliæ quàm natus, tu

priùs pœnæ pabulum quàm baptisatus, tu cinis qui inferno conserves ignem, hæc ausus es?

Ausus es dicere DEO, non novi te, non serviam, contra tua mandata faciam. Imitatus es Pharaonem, Exod. 5. *Dominum non novi & Israël non dimittam.* Non agnovisti eum *infractione panis cùm Solem suum faceret oriri* supra te etiam inimicum? Non agnovisti cùm habuit supra te tam diu patientiam, interim alios ad infernum detruderet, & te multò meliores Angelos? &c. Sed dicis. Novi Dominum audi 1. Joan. 2. *Qui dicit se nosse DEum & mandata ejus non custodit, mendax est.* Quòd verò mandatum non est à te violatum? *cum adulteris portionem tuam ponebas.* Et si diceres te nosse Regem, & illi alapam infringeres, tantò majus crimen esset. Vel nega te nosse DEUM, & *cum apostatis* partem habe, vel ut decet honora. Repone cinerem in thesaurum tuum, quem provocâsti, cùm sis *cinis*, & *pulvis*. Ps. 1. *quem projicit ventus à facie terræ*, ac nescit quò sit casurus? Cinis es & socius fumi, fumus defert secum cineris partem. Psal. 100. *Dies mei sicut fumus defecerunt.* Deficis ut fumus & ut cinis cum fumo, evolas in altum contra DEUM, occultat stellas, imò Solem, quid deinde? recides in terram, eris fuligo & cinis ut nec inveniri possis ita dispergeris. 1. Reg. 10. Postquam Samuel unxit Saulem in Regem, ita ait. *Hoc tibi signum quia unxit te DEUS in Principem, cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel.* Idem factum cum Rege David 2. Reg. 2. *Ascendit in Hebron, & habitavit in Hebron super domum Juda.* Quare non ascendit in Jerusalem? Lyranus. *Quia in Hebron sepulti, Adam, Eva, Abraham, Rebecca, Jacob, Lia.* Itaq; supra sepulchra habitavit. Etiamsi Rex sis, habitas supra sepulchra, mortalis es & bellum DEO movisti, serva hunc cinerem. Serva, cinis est sterilis, flatu venti dissipatur.

Conserva cinerem in thesauro & faciet fructum. Age poeni-

pœnitentiã in jejunio juxta leges Ecclesiæ & catalogo servorũ Christi inscriberis, jejuna non solùm corpore, sed etiam animo. Basil. homil. 2. de jejunio. *Angeli DEI per singulas sunt Ecclesias jejunantem catalogo militum Christi scribentes.* Defendent te Angeli. Id. ibid. *Angeli custodes libentiùs ac studiosius eos custodiunt ac curant qui jejunio purgati sunt, eosq́; DEO offerunt: cùmq́; DEUS illos conspicit vocat omnes cœli cives ut eos intueantur, qui pœnitent ac jejunant.* Hos cineres si in suo thesauro quis reponit etiam thesaurum quem amisit reperit. Habuerit quis nescio cujus sancti merita, si in mortale labatur pereunt omnia, si agit pœnitentiam redeunt. S. Greg. lib. 7. sui Regestri scribens Secundino. *Post dignam satisfactionem credimus hominem redire ad pristinum honorẽ.* Pœnitet prodigum Luc. 15. Et Pater ait *proferte primam stolam.* Quæ est ista stola? Glossa interlinearis. *Induite vestem Spiritûs S.* S. Aug. l. 2. de q. Ev. *Reddite illi dignitatem quam perdidit.* Sed dum jejunatis ad illud attendite quod notat Basil. ser. 1. de Jejun. *Carnem non edis, fratrem nihilominus edis. Væ vobis ebrii non vino tantùm, sed irâ & indignatione.* Audite jejunantes, *Audite ossa arida.* Nihil cinerum infertis in thesaurum, si tantùm ab escis jejunatis. Jejunate & animo. Fies cinis, quid contra alterum insurgis, quid superbis? Fies cinis, combibet aquam cinis, & tu quæ facis peccata combibis, & tecum feres, non feres ignem, non feres lucem ignis. Ambr. *Hæc infelicitas hominum, propter quæ peccant, morientes hîc dimittunt, & ipsa peccata secum portant.* Eris cinis, & solùm cinis, & quò plura tecum peccata detuleris, durior. Quid postea? Isai. 24. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo cytharæ, cum cantico non bibent vinum, attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nemine introeunte.*

CON-

CONCIO II.

Pro Feria Quinta post Cineres.

Non inveni tantam fidem in Israel. Matth. 8.

MIra dat Christus fidei encomia. Illi sanitatem adscribit. *Fides tua te salvam fecit.* Propter fidem Matth. 16. dat Petro ut sit petra Ecclesiæ. De fide Rom. 1. *Justus ex fide vivit.* Ratio ex Conc. Trident. sess. 6. c. 8. Eò per fidem justificari dicimus, quia fides est principium, *fundamentum & radix nostræ justificationis.* Doctrinam, præsens Evangelium respiciendo, dabo, quomodo fide in morbis & afflictione uti debemus.

Nemo sustineret sectiones & ustiones Medici, nisi crederet fore ad salutem, dum ita Medicus asserit: sed quia judicium Medici pro suo assumit, omnia sustinet libenter, sed fidem sæpè habemus ut lucernam sub modio, nolumus ejus luce uti, hinc de multis judicamus juxta nostrum sensum, & erramus. Si enim agimus aliquid quia habemus rationem probabilem, sic imus per glaciem quia probabile quòd nos sustinebit, sustinuit enim alios. Multò quâvis ratione fortior, utpotè certior, fides. Hinc Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna &c.* Res certissima est quàm DEus dicit. Salvian ad Ecclesiam l. 2. *Si futuras pœnas credimus, absque dubio evitare debemus: Si autem nō devitamus, non credimus: Si autem non credimus, Christiani nequaquā sumus; neq; enim possumus dicere quenquam Christianum, qui non putat Christo esse credendum. &c. Quid agimus? non dubiis rebus vincimur, sed evidentibus coarctamur.* Quod ille de pœnis æternis, hoc ego de morbo. Credimus à DEO morbum immitti, à DEO bono, quocirca in nostrum bonum, quid morbum detestamur? credimus quòd per morbum patienter toleratum

tum possumus effugere supplicia alterius vitæ, & cœlum promereri, quid lamentamur? Tertull. de idololatria. *Si vis Domini discipulus esse, crucem tuam tollas, & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias, & cruciatus tuos.* Dicimus nos credere. Greg. hom. 26. *Ille verè credit qui exercet operando quod credit.* Hugo Victor, l. 4. de anima. *Quosdam sciens DEUS multis peccare posse, flagellat eos in infirmitate ne peccent ut eis utiliùs sit frangi laboribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.* In vitis PP. scribitur. *Theodoro gravis passio capitis inflicta dolores acerrimos excitabat: qui cùm oraret Pachomium ut eum suis relevaret orationibus ait ad eum, Putasnè Fili quòd alicui contingat dolor, aut passio aut aliquid ejusmodi, sine permissione DEI? idcircò in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, & quando voluerit Dominus conferet sospitatem.* Ita S. Pachomius fide utebatur contra morbum, qui etiam hæc addidit. *Bona est abstinentia, & in oratione perseverantia, tamen infirmus magnum præmium adipiscitur, cùm longanimis & patiens invenitur.* In vita S. Joannis Ægyptiaci Eremitæ scribitur. Rogabat hunc sanctum quidam Monachus, ut eum à febri liberaret. Ille respondit. *Rem tibi necessariam cupis abjicere. Ut enim corpora nitro vel aliis ejusmodi lenimentis abluuntur à sordibus: ita animæ à langvoribus, aliisq; ejusmodi castigationibus purificantur.* Hâc fide utebantur Alexandrinæ Moniales, ut est in vita S. Eugeniæ. Cùm enim aliquam infirmari contigit, *non ei fomentum aut adjutorium aliquod medicinæ conferebatur, sed tanquam maximam à DEO accepisset benedictionem morbum accipiebat, & tolerabat langvorem.* Morbi præterea sunt in pœnam peccatorum, unde Christus alicui quem curaverat dixit, *Ampliùs noli peccare ne quid deteriùs tibi contingat.* Quis autem in hoc sæculo nollet sua exolvere peccata, cùm nullus sit tam gravis morbus qui comparari possit purgatorio? Hinc quidam senex ut est in vitis PP. solitus

quolibet anno infirmari cùm unum sanus exegisset, lamentabatur. *Dereliquit me Dominus & non visitat me.* Ideò S. Bern. epist. 321. dissuadet medicinas sumere, & addit. *Credo autem quòd & ego spiritum habeam & consilium DEI in hoc.* Et Salvian. lib. 1. de gubernat. *Quæris quâ ratione infirmi sunt SS. Viri? respondeo breviter, quia ideò SS. Viri infirmiores se faciunt, quia si fortes fuerint Sancti vix esse possunt. &c. Castigo corpus meum &c. Si fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit?* Idem epist. ad Catturam sororem. *Fortitudo carnis semper menti inimica est, caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs carnem. Ergò si repugnante corpore quæ volumus facere non possumus, infirmandum carne est ut optata faciamus.* In morbo caro non blanditur, & si utamur fide debita quæ per carnem contraximus, solvimus. Greg. l. 9. epist 25. *Qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur, pœna præsens si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis.* In morbo Christus illuminat peccatorem in tenebris jacentem, qui non agnoscit in quo sit periculo. Non videt quid perdidit. Sed cùm morbus accedit, videt rerum vanitatem ob quam DEum deseruit, advertit ad pœnarum gravitatem. Deinde velut medicus pulsum; ita Christus cor tangit, & conteritur. Ezech. 3. *Abii amarus in indignatione spiritûs mei, ideò manus Domini erat mecum confortans me.* Morbus adducit ad confessionem. Dat donum orationis. Tum restituunt quæ fuerunt aliis injustè ablata Hieron. ad Paulinum. *Facilè contemnit omnia qui semper cogitat se moriturum.* Et cùm hoc fit, sæpè etiam DEus reddit sanitatem. A B. Ammone rogabat quidam filio suo sanitatem, ille dixit. Reddite Viduæ bovem quem furati estis, & sanus vobis fiet Filius vester. Tunc propositum fit vitæ in meliùs commutandæ. S. Evagrius voverat se ingressurum Religionem, differebat, incidit in morbum

nec convalescere poterat. Venit ad illum S. Melania ignorans ejus votum, & dixit. *Non mihi placet fili tam longa infirmitas. Dic ergò mihi quæ sunt in corde tuo. Non enim est absq; permissu DEI hæc infirmitas tua.* Fassus ille suum errorem, & in proposito corroboratus convaluit. Ita in vitis PP. lib. 3. Tunc spes de venia peccatorum corripitur. Greg. Pastor. p.3. *Nisi correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret.* Ædificamur in templum Salomonis, quòd, dum esset ejus materia extrà, cum strepitu malleorum ædificabatur, sic nos cùm simus in terra, sed in monte non est auditus malleus in quo templum construebatur, sic fiet in cœlo etsi hìc lapides non elaborantur, non consurgent in fabricam. Cùm asina Balaam percutitur, tum veritatem dicit. Greg. ibid. *Admonendi sunt ægri quanti muneris sit molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit, & ea quæ admitti poterant compescit.* Deniq́ue si nec morbus nos emendat, quid emendabit? Si in illo non sumus memores novissimorum, quando erimus? B. Isai. orat 26. cùm infirmus visitaretur à Petro Abbate, qui hanc ipsam orationem illo dictante scripsit, videretq́ue eum sibi compati, dixit. *Vix ita morbo vexatus possum illius acerbi temporis recordari, tantùm abest ut ejus memor essem futurus si caro valeret.*

CONCIO III.

Pro Feria Sexta post Cineres.

Diligite inimicos vestros. Matth. 5.

REm unam vobis suadebo, quam non esset opus suadere nisi contrarium faceretis. Non occidite vos, facite aliquid in gratiam Christi quod à vobis petit, facite ut vestræ orationes quòd volueritis impetrent à DEO, efficite vos Filios DEI, pœnas quas illi pro peccatis vestris debetis è me-

mória ejus abolere, & ut omnia verbo comprehendam, quia vos uno facto præstare potestis. Diligite inimicos vestros.

Res est amara diligite inimicum, si svaderem ut inimicum propter illum ipsum diligeretis, an enim amore dignus? Neq; ego hoc svadeo. Quis vellet corpus suum flagellare, bona erogare, &c. propter hæc ipsa? Sed quia hæc facit ut dimittantur peccata, libenter facit, ita *dimittite, & dimittetur vobis*. DEus habet tuum scriptum quód tuis peccatis confecisti, in eo est, debere te illi decem millia talenta, debes ipsi solvere, hoc tradidit inimico tuo ut ipse nomine ejus recipias, non debes inimico amorem, sed DEO debes, hunc reddi jubet DEUS inimico. Et in offensa inimici duo sunt, id quod tibi molestum seu pœna tua, & peccatum illius. Si attendas pœnam, à DEO est. Illiné vis irasci? Amos 3. *Si est malum in civitate quod Dominus non fecerit*? Ad hoc advertebat Job 1. Cùm multa intulissent illi mala Sabæi, non dixit, Sabæi mihi abegerunt boves, camelos, &c. sed *manus Domini tetigit me. Dominus dedit, Dominus abstulit.* Sed major Jobo Christus. Calicem illi, id est tormenta, dabant Scribæ, Pharisæi, quid ille, Joan. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam?* DEUS tibi has tribulationes immisit, inimicus tuus solùm est virga quâ te ille percutit. Isai. 10. *Assur virga furoris mei.* Cui potes irasci, virgæ, an DEO percutienti? Quod si in actione inimici consideras, quia est peccatum. Hoc est à diabolo, sed tibi non nocet plùs, quàm si ille occideret, sed jam si inimicum odisti, quia tibi nocet, & ideò illi vis nocere, ita facis, ut ille quem inimicus à tergó complexus, hunc illum dum vult confodere, per suum corpus fodit, & inimico quidem parùm aut nihil nocet, seipsum verò certò occidit.

Sed superest aliquid majus quod dilectioni inimicorum promittitur. Excidat quisquam filius Principis jure hæreditatis, insuper adjudicetur rogo, proponatur illi conditio, Redibis

dibis ad jus, à rogo eris liber, tantummodò parce servo tuo qui te verbo offendit. Velletné ille parcere? Omnes ob peccata jure cœli excidimus, inferno adjudicati, similem conditionem offert nobis DEUS, quid eligemus? *Diligite inimicos ut sitis Filii Patris vestri.* Ampliùs est. Inimicum lædere non potes nisi DEUM lædas, DEUS se interponit medium inter te & illum, fode ergo inimicum. Non faceres certè si medium se Rex interponeret. Quid si insuper iste ipse Rex, offeret tibi chartam, & in hac ipsa scriptum. *Eris meus hæres, & parce inimico*, vellesné illam concerpere? Tibi fac gratiam. Quid ampliùs? jubet DEUS, ut diligas, non vis? Cœlum & Sol currit, Josue nomine DEI jussit ut staret, stetit. Terra sustinet pondera, jussit DEUS ut absorberet Dathan & Abiron, fecit. Petra percussa non dat nisi ignem, jussa nomine DEI dare aquas Num. 20. Dedit. Tu vis esse pertinacior? Si mala precaris inimico, tibi imprecaris. Greg. hom. 27. *Alius mortem inimici petit &c. Quisquis sic orat, in ipsis precibus contra Conditorem pugnat. Unde ei sub specie Judæ dicitur Psalm.* 108. *Fiat oratio ejus in peccatum. Oratio autem in peccatum est illa petere, quæ prohibet ipse qui petitur.* Scribit Avila ep. 6. S. Elisabeth Ungariæ Regis filia oravit semel ut DEUS daret beneficia illis qui se affecerunt injuriâ, & audivit è cœlo. Quòd nunquam ejus placuit DEO oratio, ut ista, & quòd ipsi propter eam omnia condonentur peccata. Jerem. 8. *Si Moyses & Samuel steterint coram me* &c. Quærit Greg. homil. 17. Cur isti potissimùm nominantur ubi de oratione agitur? & respondet. *Hi duo tantummdò in cuncta testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorâsse. Exod.* 18. *Unus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis deprecatur.* Alter 1. *Reg.* 12. *ex principatu dejicitur.* Injuriam fortè possemus retinere si ipsi veniâ non egeremus, omittamus in oratione nostra. *Et dimitte nobis debita nostra.* &c. Sed si hanc conditionem omiserimus, ait

ait Greg. l. c. *Advocatus noster precem quam composuit non recognoscet.* Plurimùm refert charitatem habere, nam si illam non habuerimus etiamsi cæteræ virtutes adsint nobis, nihil sumus. Greg. hom. 38. *Si quis quemlibet amat, sed propter DEUM non amat, charitatem non habet, sed habere se putat. Ille propter DEUM diligit eos quos diligit, qui jam & eos diligere à quibus non diligitur, scit. Probari charitas per solam odii adversitatem novit.* Sed ut idem homil. 35. *Plerumq́; patientes esse videmur quia retribuere mala non possumus.*

Quid ergò agendum si nos quispiam offendit? Distingvendum inter hominem & ejus factum, res enim istæ sunt duæ diversæ. Et agendum quod suadet Greg. lib. 4. epist. 26. *Opus DEI est homo, sed opus hominis vitium. Nos ergo discernamus quid homo, & quid item DEUS fecerit: & neq́; propter errorem odio habeamus hominem, neq́; propter hominem diligamus errorem.* Possumus requirere ut damna quæ nobis intulit compenset, ut puniatur, sed ab his contemptus & odium absit. Vultis perfectius consilium? Dat illud S. Diadochus Episc. Photices in vetere Epiro Illyrici. *Audivi pios quosdam dicere, non licere dare locum quibuscunq́; diripiendi ea, quæ ad nos alendos, vel pauperes recreandos habemus: præsertim si, qui hoc committunt Christiani sunt, ne dum toleranter ferimus, iis qui nos injuriâ afficiunt occasionem peccandi præbeamus. Hoc verò nihil aliud est quàm per simulationem sui magis quàm se amare. O excusationem, à ratione alienam! &c. Quare præclara res est perpeti violentiam eorum qui volunt injuriam facere, & preces pro iis adhibere, ut per pœnitentiam non autem per restitutionem eorum quæ diripuerunt de crimine direptionis absolvantur.* Denique doctrina S. August. in verba Matth. Si frater tuus in te peccaverit &c. benè memoriæ imprimenda. Docet ibi debere non solùm remittere offensam, sed etiam eum qui nos læsit inducere seu adducere ad

hoc, ut ille suum peccatum agnoscat, de illoque pœnitentiam agat, & qui hoc negligit, dicit illis August. *Plùs tu noces tacendo, quàm ille convitiando.* Quia cùm per hunc actum charitatis possis lucrari animam inimici, omittis illum. Tum addit. *Si offers DEO decimas aut aliquid ex tuis horreis, offers munus quod lucratus es horreo, & non offers quod lucratus est Filius DEI suo sangvine.* Hoc est animam inimici. Tum monet, si non dimittis, non solùm tibi DEUS non dimittet, sed etiam peccata quæ dimisit, saltem quoad aggravationem revocabit. *Si tu non dimiseris proximi peccata, & ille revocabit tua.* Et ad hoc allegat exemplum servi cui Dominus dimisit decem millia talenta, ille verò noluit conservo dimittere centum denarios, &c Matth. 18.

CONCIO IV.

Pro Sabbato post Cineres.

Ascendit JESUS in naviculam, & cessavit ventus. Matth. 6.

VItam nostram comparat Salomon navibus poma portantibus, poma dum portantur multa putrescunt, & si unum fuerit putridum, inficit alia. Neque diuturna potest esse cum pomis navigatio. Hoc singulis hominibus, hoc totis communitatibus evenit, sed insuper advenit tempestas & totas mergit naves. Inquiramus quis hos concitet ventos?

Accidit Ezech. 8. in Jerusalem magna tempestas pestis, orabat populus, augebatur pestis, orabat Ezechiel & mirabatur quòd DEUS non misereretur. DEUS tulit Prophetam in Jerusalem ut hujus rei causam videret, & ostendit illi inprimis idolum zeli, ad quod populus recurrebat. *Fili hominis vides quid faciunt isti?* Vidit Propheta justam iram DEI. Tum Prophetam duxit DEUS ad unam plateam dicens. *Fode parietem, & vide*

vide abominationes quas isti faciunt. Fodit, & vidit diversas imagines bestiarum pictas quibus Senes civitatis offerebant incensum. Agnovit & hic justam DEI iram Propheta. Ampliùs, duxit illum DEUS in aliam plateam, & ecce mulieres plangebant Adonidem filium Veneris. Adhuc ulteriùs ductu DEI in templo vidit, vertentes templo dorsum & adorantes ad Orientem. Tum DEUS, propter hæc peccata puniam, *nec parcet oculus meus, nec miserebor, & cùm clamaverint ad aures meas voce magnâ non exaudiam eos.* Quatuor hìc peccata ostenduntur propter quæ fit tempestas.

Primum est idolum zeli, cùm pro se suisq; zelum malũ habent, infirmatur quis recurritur ad sagas, amissa res &c. desunt proles &c. Hoc est omisso DEO, recurrere ad ipsius hostem. Levit. 20. *Vir, sive mulier, in quibus pitonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur, lapidibus obruent illos* tanquam infectum venenatum, quod nemo tangit manu ne inficiatur, sed lapidibus mactat. *Obruent illum*, scilicet omnes, quia supra omnes iram DEI adducit. Ita Saul recurrens ad sagam 1. Paral. 10. non solùm pro se, sed etiam pro suis posteris regnum perdidit. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eò, quòd prævaricatus sit mandatum Domini, & non custodierit illud, sed insuper etiam pitonissam consuluerit, nec speraverit in Domino propter quod interfecit eum, & transtulit regnum ejus ad David filium Isai.* Hoc lucrantur qui recurrunt ad Zingaros, ad Astrologos judiciarios & divinationes, juramenta super sclopos &c. Exercetur etiam zelus propter superbiam, cùm dicunt, iste promotus est ad dignitatem, cur non ego? &c. Tales qui ambitiosè quærunt dignitates in perjuria frequenter cadunt, quod est gravius homicidio: cadunt in furta publica, quæ sunt graviora quàm si privatæ personæ fierent, dum avarè sibi compensant quod prodigaliter in acquisitionem dignitatis profuderunt. Turbatur regimen,

gimen, dum quisq; vult regere. S. Aug. ſerm. 22. in illud Matth. *De die autem illa &c.* comparat ſuperbum cum dæmone, & oſtendit illo eſſe pejorem, quia magis habet dæmon unde ſuperbiat. Non enim illi dictum eſt. *Pulvis es & in pulverem &c.* Audiant quid dicat Greg. lib. 2. in 1. Reg. c. 1. *Fruſtra quæ DEI ſunt accipere geſtiunt, qui in eo quòd ſuperbiunt largitorem munerum ſibi adverſantem reddunt.*

Secundum peccatum vidit Propheta quia imaginibus adolebant incenſum. Adolent, qui in ludo chartarum, emittunt blaſphemias, aut perjuria. Pro his peccatis veniunt plagæ. Eccli. 23. *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Quia ut Gloſſa in Iſai. 18. *Omne peccatum blaſphemiæ comparatum levius eſt.* Ibid. *Nihil horribilius eſt blaſphemiâ quæ os ſuum ponit in cœlum.* Superat peccata Ethnicorum, quia ut S. Thom. 2. 2. q. 14. Infidelis ea dicit de DEO & loquitur quæ licet ſint falſa, tamen credit vera, Chriſtianus è contrà. Superat homicidam, quia hic nollet offendere DEUM, ſed ſolum hominem; blaſphemus DEUM. Superat Judæos. Auguſt. in Matth. 22. *Magis peccant blaſphemantes DEUM triumphantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt eum ambulantem in terris.* Et ratio eſt, quia ut 1. Cor. 2. Si Judæi cognoviſſent, non crucifixiſſent; iſti cognoſcunt & blaſphemant. Deinde Ethnici & Judæi non ſe obligaverunt DEO in baptiſmo. Præterea Judæi Act. 7. Continuerunt aures ſuas ne audirent blaſphemias. Non eſt ergo mirum quòd communitates quæ tolerant blaſphemos à DEO non tolerentur. Quòd verò incenſum adolere imaginibus, ſit, ad ludum chartifoliorum blaſphemare, docet S. Vincent. ſerm. 2. feriâ 6. poſt Cineres. Punit DEUS propter perjuria maximè Magiſtratuum, qui jurant ſe juſtitiam ſervaturos. & ut ſervetur procuraturos, neque id faciunt. Exod. 22. *Pupillo & viduæ non nocebitis, ſi læſeritis eos, clama-*

clamabunt ad me, & ego exaudiam clamorem illorum, & percutiam vos gladio.

Tertium peccatum fuit. Plangebant Adonidem, hoc est, Sacra Veneris faciebant, quod notat luxuriam Ezech. 33. *Oculos vestros levatis ad immunditias vestras, unusquisq; uxorem proximi sui polluit. Sed vivo & ego dicit Dominus, quia dabo terram hanc in solitudinem & in desertum.* Quia ut Greg. lib 5. in Reg. *De vitio luxuriæ per B. Job dicitur Job 31. Ignis est usq; ad perditionem germinans, & omnia eradicans germina, vastator quippe fornicationis spiritus dicitur, quia quem invaserit, ei nimirum nulla virtutum dona dereliquit. &c. vastari dicitur cui perditâ castitate ad vitam bona alia nulla prosunt.* Quartum peccatum erat, *Verterunt dorsum ad templum.* Contemptus dierum festorum. Sed dum nos DEO subtrahimus tempus illius, ille nobis aufert tempus nostrum, & qui debebat vivere annis pluribus vivit paucis Jerem. 17. *Si audieritis me, dicit Dominus, ut non inferatis onera per portas civitatis hujus in die Sabbati, & si sanctificaveritis diem Sabbati ne faciatis in eo omne opus; ingredientur per portas civitatis hujus Reges & Principes sedentes super solium David, & ascendentes in curribus & equis, ipsi, & Principes eorum Juda, & habitatores Jerusalem, & habitabitur civitas hæc in sempiternum &c. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jerusalem in die Sabbati, succendam ignem in portis ejus, & devorabit domos Jerusalem, & non extingvetur.*

CONCIO V.

Pro Dominica Quadragesimæ, Prima Concio.

Postquam jejunâsset quadraginta diebus. Matth. 4.

IN tanta observatione fuit hoc jejunium cujus Christus dedit exemplum, Apostoli præceptum, ut dixerit Basil. hom. de jejunio. *Quadragesima est requies cocorum.* Scripsit Niceph.

 lib 17.

lib. 17. Cùm pisces debuissent Constantinopoli, jussit carnes exponi venales Justinianus Imp. Nemo voluit emere, imò protestati sunt, omnes potiùs se velle mori, quàm carnes edere. Imò eò res processit, ut Paula de qua Hieron. ep. 27. *Nunquam à medicis adduci potuit ut jejunium solveret*, imò quod plus est, *vel guttam vini sumeret*. Tempore S. Antonini pro mortali habebatur *panem sumere in collatione*. Et S. Aug. serm. 7. De diversis est doctrina. *Illi qui sic à carnibus temperant, ut alias escas & difficilioris præparationis, & præmii majoris inquirunt, multùm errant: non est enim hoc suscipere abstinentiam sed mutare luxuriam.* Cùm enim Judic. 7. Frangitur laguncula, scilicet corporis, tum vincuntur Madianitæ. Et frangi debet non mulceri. Est tamen jejunii præstantia omnis in anima, & de hoc jejunio spirituali proposui dicere.

Compositus est homo ex anima & corpore, etiam animam opus jejunare. Parùm est in corpore jejunare. *Venter escis esca ventri, utrumq; destruet DEus.* Unde 40. dies assignati jejunio? Greg. hom. 15. *Quadragenarius numerus custoditus, in quo virtus Decalogi per quatuor libros Evangelii impletur, & quasi decima anni DEO datur.* Decem DEI præcepta quatuor modis violantur, cogitatione, verbo, opere, & omissione. Hinc consurgunt 40. violationes, dignum est ut pro quâvis, die una jejunemus, Greg. ibid. *Per carnis desideria Decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eandem carnem quater decies affligamus.* Sed non de corporali jejunio dicere institui, in quo ergò consistit spirituale? ut jejunet voluntas à cibis venenatis. S. Th. de Villanova Conc. hod. *Quid prodest jejunare, & in die jejunii exercere ludos, venationi incumbere, deliciis & choreis insistere? Jejunent omnes sensus, peccaverunt omnes Domino, faciant omnes satisfactionem. Totus jejuna, totus peccâsti.* Sed hoc jejunium optimè intelligi potest ex impugnationibus ejus quæ factæ sunt

Christo,

Christo, & possunt ad tria reduci. Ad concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiam vitæ, & ab his jejunandum.

Statuit eum supra pinnaculum templi. Ecce superbia. Hinc omnis origo mali, quòd aliqui nolint esse cum cæteris in templo, audire Pastores, regi. Hinc ortæ hæreses, dum unus laicus, opifex: meliùs se intelligere Scripturam putat quàm SS. Patres, Concilia, Pontifices, illos falli se solùm sapere. Hinc illæ verè Hæreticæ voces, infernum fingi à Sacerdotibus, fornicationem non esse peccatum mortale &c. Hinc laicus assumit sibi judicium supra Sacerdotem, in curam se Ecclesiæ ingerit. Ovis vult regere Pastorem, ut Justinianus Imper. Scias quicunque es talis quod te non Christus in hoc pinnaculo posuit, sed Sathanas qui te ad præcipitium ducit, qui Scripturam falsò allegat, falsò interpretatur. *Angelis suis mandavit de te ut custodiant te. Subticet, in omnibus viis tuis.* Estne via de pinnaculo ad terram? Jejunemus ab hoc vitio; qui est Pastor sit Pastor; qui ovis sit ovis. Quosdam posuit Christus Doctores, si omnes Doctores, quem docebunt?

Hæc omnia dabo tibi. Ecce concupiscentia oculorum. Ecce Avaritia. Scivit avaritiam esse idolorum servitutem. Addit, *Si procidens adoraveris me.* Sed quomodo Avarus idololatra? Qui aliquid pro DEO habet, supèr omnia æstimat, ab illo se omnia habere dicit, illi suum corpꝰ & animam devovet, an nō idipsum circa nummos Avarus facit? Eccles. 10. *Nihil scelestius Avaro.* Nisi avaritia cesset, jejunium non prodest. Zachar. 7. *Cùm jejunaretis nunquid jejunâstis mihi?* Cur ita? Greg. hom 15. *Sibi jejunat, si ea quæ sibi subtrahit, pauperibus non tribuat.* In honorē idoli sui jejunat. Sed videte quomodo hic illudamini. *Hæc omnia dabo tibi,* Italiam, Hispaniam, &c. Sed hæc quæ ostendit nō erant vera, verùm solùm in aëre formata, & veluti in somno ostensa. Ps. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt òmnes viri di-*

vitiarum in manibus suis. Evanuerunt ut somnia hæc lucratur avarus. Ostendit dæmon ut in somno. *Surge qui dormis*, quid ex his tecum feres? jacent divites in sepulchro, nec est qui sepulchri parietes vestiat, qui in illis putrefactam mutet vestem. Imò ante mortem hoc ipsum avaris evenit. Scripsit verè Nicetas. *Ut qui noxium aliquem cibum sumpsit, unà cum eo etiam probos evomit: sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solùm ipsas, sed etiam eas, quas jure possidebat, amittit.* *Dicut lapides isti panes fiant.* Ecce concupiscentia carnis, seu quidquid sensibus blanditur. Non sola gula jejunet, sed & lingva, auris &c. *Utamur ergò parciùs verbis, cibis, & potibus, somno, jocis & arctiùs perstemus in custodia &c.* Tentatio hæc est. Neque dæmon satiare intendit, alioqui famenti panes non lapides tulisset. Abstinemus ab oblectamentis etiam propter corpus, cur non propter animam? sedet ex præscripto medici aliquando æger in tenebris, silet, calorem & ustionem sustinet. Ut hujus suasoris fraudes intelligamus qui nos ad violandum hoc jejunium ducit, argumenta videamus, & simul quod nullum sit ullius momenti. Si Filius DEI es dic ut lapides &c. Imò si Filius DEI est, potest esse absque cibo: & licet non esset Filius DEI, potuisset mutare lapides, sicut Magi in Ægypto mutârunt virgas in serpentes. Si Filius DEI est agnoscet tuos dolos. Iterum, si Filius DEI es, mitte te deorsum. Imò deberet sursum ire. Illi enim dixit Pater, *Sede à dexteris meis.* Si Filius DEI es, adora me. Imò tu adora illum. Hæc omnia dabo tibi. Nunquid si Filius DEI est non omnia sunt illius? imò si Filius DEI est, tu ab illo pete. Addit. Quia *omnia mihi sunt tradita.* Quis ea tibi tradidit? quomodo hæc dicis coram Filio, qui scit cui Pater aliquid tradidit? Damasc. lib. 4. de Fide *Christus tentatus est & vicit, ut nobis victoriam pararet.* Agnoscamus quid nos ducit ad pinnaculum templi. Superbia propter quam

deje-

dejectus dæmon. Quid supra montem ? idololatria. Quid ad lapides ? sensuum oblectatio. Vincamus ut Christus. Superbiæ opponamus. *Non tentabis Dominum DEum tuum.* Cùm te DEUS non posuerit Doctorem, noli putare quòd per te sis docturus. Avaritiæ. *Domino DEO tuo servies.* Quid prodest si DEUM amittas? sensibus, *Non in solo pane.* Sunt aliæ oblectationes.

CONCIO VI.

Pro Dominica Quadragesimæ, Altera Concio.

Ductus est JEsus in desertum. Matth. 4.

ITa planè homini accidit sicut Nobili cuidam, qui Regi suo voluit eripere regnum, captus, inter viles operarios alligatus curriculo ut eum instar jumenti trahat. *Homo cùm in honore esset non intellexit.* Obedivit voci tentationis. *Eritis sicut Dii.* Quid deinde. *Comparatus est jumentis insipientibus*, trahit curriculum, non vadit ut vellet. Gal. 5. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Non quod volo facio bonum.* Corpus non obedit. *Spiritus quidem promptus &c.* Non tamen illum Nobilem deseruit optimus Rex, & videte quemmodum illi porrigat ad recuperandam dignitatem.

Ita homo propter suum lapsum animo concidit, ut vix ad amissam dignitatem reparandam aspirare auderet: videbat quid fecit, dæmon qui illum decepit potestatem in eum accepit. Videt hujus novi Domini quantæ sint vires. *Non esse potestatem super terram quæ ei comparari possit.* Interim ipse Rex suggerebat, ut peteret sibi in subsidium ejus brachium. Patris brachium est DEI Filil ius. Ita Isai. *Consurge, induere fortitudinem brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis.* Quando mihi assistebas ante meum peccatum. Vide quæ patior, Non est hic

tyrannus tanti ut resistat tibi, jam illum in cœlo superbientem debellâsti. *Nunquid non tu vulnerâsti superbum, percussisti draconem?* Silere petebat David Ps. 16. *Domine præveni eum, & supplanta eum, eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manûs tuæ.* Anima mea est framea tua, non decet ut sit in manu tui inimici. Quia anima in corpore est ut gladius in vagina. Gen. 6. ubi legimus. *Non permanebit spiritus meus in homine quia caro est.* Pagninus legit. *Non erit in vagina spiritus meus.* Tam potens est hæc framea ut sola voluntate possit infernum expugnare; sed nihil faciet nisi brachium DEI se illi junxerit. DEUS respondit ex sua bonitate Ps. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum* Pagninus legit. *Projiciam chirotecam meam.* Idem Pagn. in tabernaculo lingvæ S. memorat hunc morem fuisse Ducibus antiquitùs, cùm aliquem locum oppugnarent, in signum quòd nonnisi eo capto essent recessuri, injiciebant, vel chirothecam vel pugionem, vel aliquid ejusmodi. DEUS dicit. *Extendam calceamentum, projiciam chirotecam.* Greg. ubi hom. in Evang. explicat illud. *Non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus* per calceamentum intelligit humanitatem Christi quæ occultat Divinitatem. Desertum in quo Christus jejunavit, vocabatur Quarantana, ut scribit Bredembachius. Et incipit juxta Anathoth, extenditurque ad desertum Engaddi juxta mare mortuum, quod est. Conterminum Idumeæ seu regioni Edom. *Ductus est JESUS in desertum,* extendit in Idumæam calceamentum videamus pugnam.

Descripsit hanc pugnam Isai. 14. juxta LXX. qui, ubi nos legimus, *De radice colubri &c.* Legunt ex *semine serpentum egredientur genimina aspidum, & ex genimine eorum egredientur serpentes pennati.* Has tres facies hostis sumpsit, primò vafri serpentis, deinde aspidis, tum serpentis pennati. S. August. docet apparuisse dæmonem Christo in specie Eremitæ. Ecce serpens. Non habeo tibi

beo tibi famenti quod opponam. *Dic ut lapides isti &c.* Jam aspidem induit, tetrior apparet. *Mitte te deorsum* ibi sacrificia offeruntur. Si Filius DEI es, tibi sacrificatur. Deut. 32. *Venenum aspidum insanabile.* Denique fit severior volans draco quales sunt in Ægypto Cerastæ quæ solo halitu necant. *Si adoraveris me.* Sciebat ad maximum crimen sufficere si vel externè quis idololatriam committeret. Greg. hom. 16. *Per gulam tentat ut serpens Adamum, per vanam gloriam ut aspis: per sublimitatis avaritiam ut serpens pennatus.* Quibus contrà indutus armis processit Christus? Ps. 68. *Operui in jejunio animam meam.* Basil. hom. 1. de Jejunio. *Dominus noster non priùs in carne quam pro nobis assumpserat diaboli insultus excepit, quàm eam jejunio communisset.* Et tunc ut Chrysol. serm. 12. *Ipse victor singularis adinvenit jejunium Quadragesimæ, statuens in procinctu ut quaterna decade jejunii quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret.* Sub illis tribus artibus dæmon omnia alia bellica produxit instrumenta. Luc. 4. *Et consummata omni tentatione diabolus recessit ab eo.* Ambr. lib. in hunc locum. *Neq; enim consummatam omnem tentationem Scriptura dixisset, nisi in tribus esset omnium materia delictorum.* Victus denique dæmon. Anonymus in Catena Græca. *Trino casu adversarius depositus secundùm pugnatoriæ artis decretum.* Quæ permittit ut victus pugil ter instauret pugnam. Eo hìc est factum quod Greg. homil. 26. *Sicut Christus moriendo mortem nostram vicit, sic tentationibus suis nostras tentationes superavit.* Jam dæmon conculcatus, prosequere homo victoriam, redi ad nobilitatem. Ps. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis &c.* Voluisti Lucifer lapidem verti in panem, infixit eum tuo capiti Christus ut David Goliatho & te armis exuit Abac. 3. *Percussisti caput de domo impii, denudâsti fundamentum ejus.* Voluisti illudere Christo, ipse datus es in ludibrium. Ps. 103. *Draco iste quem formâsti ad illuden-*

ludendum ei contractus est, contusus. Aug. *Latrare potest mordere non potest*, tanquam canis in catena. Jam illi illudit apud Job 40. *Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet.* Jam ridetur Cant. 2. *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* Greg. Nyssen. hom. 5. in Cant. *Non dicit, venamini aprum sylvestrem, vel singularem ferum, aut rugientem leonem, aut magnam balænam, aut magnum draconem, sed parvas vulpes, exercitum dæmonum.* Ecce iterum Cant. 4. *Surge Aquilo & veni.* Luciferi dictum. *Ponam in Aquilone sedem meam.* Cur advocat Aquilonem? irrisio est vitium dæmonis. Steph. Cantuarien. in 4. Amos Allegor. Bibl. *Aquilo sonorus est & asper & stridet sed non pluit.* Acsi diceret quod August. suprà. *Latrare potest &c.* Scribit Sophron. in prato 166. de Abbate Theodosio, is ab Angelo cum Æthyope jussus luctari tanto ut capite nubes excederet, territus respondit. Non universum genus hominum si in unum confluat cum hoc luctari valet. Ad hoc Angelus. Te luctari opus, vix certamen cœpit Abbas, Æthyops evanuit cum ejulatu. Candidi verò Juvenes coronas imposuerunt Abbati. Acclamant victoribus Angeli, & Christo *accesserunt Angeli* &c. ut vincamus monet Chrysost. hom. 4. in Genes. *Tantùm cura sit, ut ipsa quotidie arma* (frameam, id est animam) *abstergamus ita, ut fulgida sint, ut radicitus excæcent oculos maligni dæmonis contra salutem nostram omnia machinantis.*

Ostendit Christus modum vincendi hostem, volumusné vincere & amissam dignitatem recuperare? Sapientia æterna hunc modum ponit, homo alium quæret? non vincet. Contemnit Quadragesimam & manet in servitute. Taceo alia bona jejunii. Ut illa, quid vires Samsoni dedit? Basil. homil 1. de jejunio. *Cum jejunio in utero Matris conceptus est, cum jejunio educatus est, jejunio in virum adolevit.* Quid Danielem à leonibus defendit? Ambr. de Jejunio & Elia cap. 7. *Sic eum constrinxerant*

rant jejunia ut in ejus corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Quid ex hominibus facit Angelos? Athanas. orat. de Virginit. *Qui jejunio utitur Angelici Ordinis censendus est.* Quid proximum facit DEO? S. Ambr. enarrat 1. in Jonam. *Aliter DEO proximi esse non possumus nisi ad eum jejuniis propinquemus, DEUS enim ipse semper jejunans & sanctus est.* Denique Chrysol. serm. 12. *Jejunium scimus esse arcem DEI, arma Christi, murum Spiritûs S. vexillum fidei, sanctitatis trophæum.*

CONCIO VII.

Pro Dominica I, Quadrages. Tertia Concio.

Ductus est JEsus in desertum à Spiritu. Matth 4.

QUadragesima instituta est ad pœnitentiam. Ecclesia. *Advenerunt nobis dies pœnitentiæ.* Ad hoc cineres. Et ut præiret Christus exemplo, qui pœnitentiâ opus non habuit, ductus à Spiritu S. in desertum. Petitâ gratiâ ejusdem Spiritûs S. ut ad pœnitentiam alliciam, ducam vos in quoddam desertum quod quisque domi suæ habere potest, imò ubique.

Vocavit ad se DEUS Ezechielem cap. 8. & ait. *Vides quæ isti faciunt?* vide quantæ abominationes in foro, domibus, cellariis &c. Majores videbis, *fode parietem.* Bone DEUS si id dixisset Concionatori alicui in Bacchanalibus proximis, quæ non peccata, quam non licentiam vidisset? solum peccatum remansit, gaudium ubi es? *Transiêrunt hæc omnia.* Ergò in glacie nostras lætitias ædificamus. *Veni Auster & perfla.* Solvitur glacies &c. fit desertũ. Planè & in aliis ita fit, atque si essemus in ripa alicujus fluvii clausi aggere, rumpitur agger, ubi horti, domus &c. Est juvenis robustus &c. Venit febris &c. fit desertum, fit cadaver, ubi color faciei, animi magni? &c. S. Chrysost. respondet. *Umbra erat totum & pertransiit.* Remansitne aliquid?

aliquid ? S. Auguſt. Homines, *hæc dimittunt & ipsa peccata ſecum portant.* O nos ſtultos qui propter hæc tranſitoria, pondus in nos peccatorum recepimus! ingrediamur templa, fortè illic aliquid præter peccata inveniemus relictum ab Anteceſſoribus. Video ſepulchra, quæro quis hic jacet ? Juvenis talis, tali domo, &c. Aperi ſepulchrum & videas illum? non eſt jam ille, eſt putredo, vermis, horror, deſertum. Dic tu mortue, ubi tuæ veſtes, periſtromata, famuli, &c. Eamus ad convivia, fortè ampliùs quid ex præteritis inveniemus. Ramaricus quidam homo dives, invitavit affinem ſuum S. Amatum Epiſc. ad epulas, inter cætera illatus menſæ magnus & vetus crater ſtemmatibus inſignitus. Tum Sanctus. *Quot, putas, Dominos hic diſcus habuit?* Erant illi illuſtres, modò quid? &c. Si huc venirent, dicerent, hoc ipſum erit de te; veſtes tuæ te non comitabuntur. Quod de diſco S. Amatus, hoc de agris S. Aſtaſius. *Domini plures invenirentur quam glebæ.* Ubi ſunt? deſertum eſt. Scribebant ad ſui memoriam nomina in terris ſuis, in palatiis. Baſil. hom. de morte. *Quæ hujus paulò antè dicebantur ab aliis nomen acceperunt.* Multorum neque ſepulchra ſcimus. Quære ex Palatino quis hunc Palatinatum ante 200. annos tenuit, quære ex Prælato, quis hanc Prælaturam ? neſcient. *Quot diſcus hic Dominos habuit?* Quot hæc Infula Pontificum capitibus inſedit ? Summi Pontifices plures jam quàm 240. hanc geſſerunt. Imperatores plures quàm 125. hoc Sceptrum portârunt &c. ubi ſunt? & quid ſecum tulerunt? qui ex his peccârunt & non egerunt pœnitentiam? hucusque *ipsa peccata ſecum portant.* Quid ex illis habemus ? deſertum.

Conſtantinus Magnus in hoc deſertum duxit ſuum Principem Ablavium, avarum & ambitioſum. Colligis avare Ablavi, maxima petis. Tum bacillo tres cubitos terræ circumſcribens dixit. *Tanto eges non ampliori.* Et certè pluſnè pòſt mortem

tem tecum mansit Magne Alexander, Otto, Carole? Venite Cæsares, dicite plusné? Sed neque omnes Principes tantùm retinuistis. Sejanus per particulas in quas discerptus, sepultus est, ille Sejanus cui nihil deerat præter Imperium Romanum, Vilhelmus Victoriosus Rex Angliæ ejectis intestinis in partes concisus, & in loco parvulo sepultus &c. Isai. 24. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo cytharæ, cum cantico non bibent vinum, attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introëunte.* Quid superest? peccatum. Et propter ista vanissima DEUM offendimus. Ubi es voluptas? ubi amor vindictæ? ubi dictamina politica.

Cras vitam meliùs instituam, cras restituam. Si quis me interrogaret ex quo lapide sit facta inferni porta? diceret quis, de auro, quia avari intrant. Alter de Oniche, quia carnales, est enim similis carni hæc gemma. Alius diceret, ex Adamante, quia obstinati. Sed sint istæ portæ particulares, universalis, dicam quòd sit ex smaragdo, quæ est viridis, & spei symbolum, spes vana quia nobis id non eveniet quod aliis, ducit universaliter ad inferos. Agimus sicut Henricus Rex Galliæ deditus hastiludio, monitus ut cessaret, respondit. *Adhuc semel & non ampliùs.* Et certè semel, nam dum concurrit, hasta adversarii per oculum in cerebrum illapsa. O fatale, *adhuc semel.* Dicimus, *adhuc semel*: non consideramus hoc desertum, & sæpè hoc semel fit nobis ultimum. Ter ædificatum est templum Salomonis; primò, intra annos septem exstructum est à Salomone. Deinde à Zorobabel annis quindecim, demùm ab Herode intra annos 46. quartò non surrexit. *Adhuc semel.* Quævis surrectio ex peccato repetito difficilior priore, tandem non resurget. Figura hæc est nostri, fiat desertum si modò non vis descendere in desertum vanitatis. Factum est desertum illud templum, ubi antea oves immolabantur modò pascuntur, &c. Hoc

eſt *adhuc ſemel.* *Et in peccato veſtro moriemini.* Chryſoſt. *Sanitate indignus, qui curatus, ſeipſum vulnerat.* Scribit S. Greg. Cùm moreretur Eumorfus civis Romanus, ait paratam eſſe cymbam, eundum eſt mihi in Siciliam, ſignificate id meo amico Stephano Ozzioni, diſcedat mecum. Videbatur id delirium, ſed non erat, ambo mortui ſimul. Iverunt ad Æthnam, in qua putatur eſſe inferni feneſtra. Iverunt ad aliud deſertum, qui hujus mundi deſertum noluerunt mente intrare. Quia conſvetudo antequam invaleſcat, facilè ut arbor tenera evelli poteſt, ſed ubi &c. Saxum poſtquam impetum accepit ex monte, non ſiſtitur. Dum es morbis confectus magna pars armorum ad ſalutem tibi eſt erepta. Poteſt fieri ut etiam ſine armis vincas, ut vicit Samſon. Poteris ſiſtere lapidem ut ſtitit S. Franciſcus de Paula, Sed ſunt iſta miracula. Modò ingredere deſertum, Cogita quid ſunt ea propter quæ peccas? quid deinde te manet?

CONCIO VIII.

Pro Feria Secunda poſt Domin. I. Quadrageſ.

Cùm venerit Filius hominis &c. Matth. 5.

CUm Saul 1. Reg. 16. exagitaretur à ſpiritu malo, cantante Davide in cythara, levabatur: peccator à tali ſpiritu exagitatur, cantabo illi canticum ut eum ſanem, ſed quod nam? melius non poteſt eſſe quàm illud fratrum Joſephi Gen. 42. *En ſangvis ejus exquiritur.* Occidit peccator Chriſtum, en ſangvis Chriſti exquiritur.

Pſ. 61. *Tu reddes unicuiq; ſecundùm opera ſua.* Quid operatus peccator? ſangvinem Chriſti conculcavit. Suſtinuit hoc diu DEUS. Jam, veni popule DEI de Ægypto, hoc eſt de ſepulchris, ut intretis terram promiſſionis, egrediamini & Ægyptii ut mare vos abſorbeat, ſed hoc mare erit igneum. Iſai. 9. *Succenſa*

censa est enim quasi ignis impietas, veprem & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltûs, & convolvetur superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis, vir fratri suo non parcet. Et declinabit ad dexteram & esuriet, & comedet ad sinistram & non saturabitur, unusquisq; carnem brachii sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam. Stellæ modò, sol & aliæ creaturæ ludunt sicut aviculæ in arbore, sed cùm venit accipiter, omnes obstupescunt. Tunc luna non dabit lumen, sol induetur cilicio &c. Hæc facient creaturæ quæ non peccaverunt, quid peccator à quo sangvis Christi exquiretur? & per totam æternitatem exquiretur? *In illa die justus vix salvabitur*, quid fiet de peccatore? ille te judicabit, in quem tu peccâsti; ille ita jam rigidus ut nullam admittat pœnitentiam. Contra te omnis creatura insurget, nullus excusationi locus, nullus appellationi. De re maxima agetur quia de Christi sangvine conculcato. Redde sangvinem qui pro te effusus, redde patientiam DEI quâ te sustinuit. Quæsivi te sicut ovem perditam, tuli te in humeris, expectabam te ut Pater filium prodigum &c. & tu noluisti. Tu sicut Absalon insurrexisti contra me, tu non pepercisti in me spuere, tu me flagellâsti. Ezech. 16. *Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & justificâsti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. Ergò & tu porta confusionem tuam quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis sceleratiùs agens ab eis, justificatæ sunt enim à te, ergò & tu confundere & porta ignominiam tuam quæ justificâsti sorores. Et convertam restituens eas conversione Sodomorum cum filiabus tuis, & conversione Samariæ & filiarum ejus, & convertam reversionem tuam in medio eorum ut portes ignominiam tuam, & confundaris in omnibus quæ fecisti, consolans eas.*

Tunc sedebit supra vallem Josaphat unde possit videri Jerusalem & mons

& mons Calvariæ. Hìc meum ſangvinem effudiſtis, ſpectate locum, agnoſcite crucem, ſpinas, &c. Per hæc effudiſtis, ſpectate meas manus, pedes, latus. Vide etiam cor tuum. Jerem. 17. *Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungve adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.* Ipſum cor, ipſa conſcientia tibi dicet quid contra me egiſti. Cœlum intuere, illud tibi dicet. Job 20. *Revelabunt cœli iniquitatem ejus, & terra conſurget adversùs eum, apertum erit germen domûs illius, detrahetur in die furoris DEI.* Ingredere anima damnata corpus quale meruiſti, fœtidum, dentes putridi, oculi cruenti &c. Ego volebam corpus humilitatis tuæ reformare ut eſſet configuratum corpori claritatis meæ, ut eſſet agile, ſubtile, &c. ingredere, & in tua fronte gere tua peccata, ſed in ſua deformitate, nam juſtis illa ſunt in trophæum, in quo etiam hoſtes ſculpũtur ſed victi; tibi verò ſculpentur ut de te triumphantes. Ingredere corpus avari anima, quæ ſangvinem meum fudiſti. Amos 2. *Pro eo quòd vendiderit pro argento juſtum & pauperem pro calceamentis.* Ingredere anima ſuperbi. S. Auguſt. in verba Matth. Vulpes foveas habent &c. *Habent vitia, fraudes, ſuperbia, ubi reclinent, Filius hominis non habet.* Non habuit locum apud te ſangvis meus. Ingredere luxurioſi &c. Greg. lib. 2. hom. 16. in Ezech. *Modò quisquis per flagella corripitur, & correptionibus emendatur, in manſvetudine corripitur non in ira. In diſtricto autem illo examine omnis arguitio atq; correptio furor & ira eſt, quia venia poſt correptionem non eſt.*

Clementer in hac vita nobiſcum Chriſtus agit. Sæpè rei ſumus ejus ſangvinis, ſæpè illum conculcamus. Ille verò contentus eſt, ut ex his quæ relicturi ſumus, aliquâ parte datâ pauperi in ejus nomine, redimamus. Hoc vehementer nos aggravabit, ſi tam facilè medium neglexerimus, ideò quaſi alia mala non eſſent in nobis, hoc ſolùm adducet. *Eſurivi & non dediſtis*

dictis mihi &c. Non fecistis hoc, reddite mihi sangvinem meum. Jacob 2. *Judicium sine misericordia ei qui non fecit judicium.* Dedisses panem pauperi, ego dedissem tibi panem vivum qui ad te in terram de cœlo descenderet. Propter te volui agere in paupere ut haberes cui pretium peccatorum tuorum exolveres. Volebas salutem tuam, opportebat curare infirmum. Volebat vestiri, vestiendus erat pauper. Clamabis abhinc. Micheæ 1. *Super hoc plangam & ululabo. Vadam spoliatus & nudus, faciam planctum quasi draconum, & luctum velut struthionum quia desperata est plaga ejus.* Misericordibus verò dicet. *Dedistis mihi.* S. August. serm. 26. de verbis Domini. *Non ero ego minor in retribuendo quàm tu in dando, accipe integrum regnum pro exiguo cibo, & regnum tale, bona tanta, quæ in cor hominis non ascenderunt.* Isai. 50. *Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.* Jam sententiam feret. *Ite maledicti.* Isai. 5. *Nunc ergò habitatores Jerusalem & viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectavi ut faceret uvas & fecit labruscas? & nunc ostendam ego quid faciam vineæ meæ. Auferam sepes ejus, & erit in direptionem. Diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, non putabitur & non fodietur, & ascendent vepres & spinæ, & nubibus mandabo ut pluant super eam.* Ite in ignem. Quid in igne isto agetur? Cypr. epist. 2. *Hasta illic & gladius & carnifex præsto est, ungula effodiens, equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis unum corpus supplicia plura sunt quàm membra.* Qualis ille ignis? Tertull. de pœnit. cap. 12. *Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus cùm fumariola quædam ejus,* Æthna, Vesuvius, &c. *Tales flammas suscitent, ut proximæ urbes aut nullæ extent aut idem sibi quod illæ sperent, dissiliunt superbissimi montes & quod nobis æternitatem judicii probat, cùm dissiliunt & devorantur nunquam tamen finiuntur. Hæc montium supplicia in-*

ferni

ferni exemplaria sunt. Tales flammæ magni alicujus foci scintillæ sunt. Quid ad hæc Sancti? videamus Lazarum. Chrysol. serm. 122. *Epulo cùm esset in tormentis elevans oculos suos vidit à longè Abraham, & Lazarum in sinu ejus &c. Serò dives sursum levat oculos suos quos semper depressit in terram. Quòd levat oculos, ipsi sunt accusatores ejus, ipsi non placant Judicem sed inflammant. Quò respicis dives? ibi est Lazarus, ibi est impietatis tuæ proditor, testis crudelitatis. Mitte, inquit, Lazarum. Adhuc tu in Lazarum sic crudelis? quò illum mitti vis? ad infernum de præmio, de solio sublimissimo ad profundum chaos, ad tormentorum stridorem: de tanta quiete, de tanto silentio Beatorum. Non est hoc novi doloris, sed antiqui laboris, zelo magis incenderis quàm gehennâ, grave est tibi incendium, quem aliquando contempsisti videre felicem, nondum te malitia deserit quem jam possidet pœna: qui non te postulat ad Lazarum duci, sed ad te Lazarũ deduci. Pius Abraham ad cruciatûs tui stratum Lazarum mittere non potest, quem tu ad mensam tuam non es dignatus admittere. Jam vobis versæ sunt vices, vides ejus gloriã cujus supplicium sic sprevisti: videt ille cruciatus tuos qui te diu tua mirabatur in gloria. Byssus non defendit, purpura inferno non resistit. Deseruerunt te ista, sudas nudus qui aliquando insultabas æstibus artificiosâ nuditate vestitus. Ubi sunt horrea ad famem pauperis, non minùs cupiditatibus dilatata quàm copiis? ubi vina ad inopiam pauperum ipsâ temporum oblivione servata? Tunc vel solam digiti guttam quam si vel solam pauperi dedisses non sitires, qui vini lacus ut pauper sitiret effudisti, petis dari id ad refrigerium quod ad ardorem pauperis negâsti. Hæc gutta victûs fuisset vita pauperis si dedisses, hæc te fecit crudelem: hæc os pauperis à te negata siccavit, quia ad refrigerium pauperis sufficit & gutta & mica. Guttam petis qui pauperi ne ingrederetur januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, canes quàm plurimos objecisti. Nunc cernis non multum requisitum fuisse ut viveres, cùm guttam petis.* Ita & alii Sancti.

CON-

CONCIO IX.

Pro Feria Tertia post Dominicam I. Quadrag.

Vos autem fecistis Speluncam latronum. Matth. 21.

NEque hunc zelum exercuit circa Samariam, in qua fuerunt multa peccata, quem hodie exercet; neque circa quævis peccata in templo commissa, sine dubio enim & alia commissa fuerunt ab illis pessimis Sacerdotibus. Tria solùm insectatur. Mercaturam in templo: cambium sive nummularios; & eos qui columbas vendebant. Videamus ne etiam hæc peccata inter nos reperiantur.

Terribile est incidere in manus DEI viventis Greg. in Ps. 4. Pœnit. *Veritatem DEus diligit, quia sine ultione delictum non deserit, aut enim hoc homo in se puniens persequitur, aut postmodum DEus districto examine ulciscitur. Sive ergo sit parva sive magna iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punitur à DEO judicante. Sicut per quendam Sapientem dicitur. Job 9. Sciens quia non parceres delinquenti.* Nulli ergò peccato parcit: sed illorum trium quæ hodie punivit, pœnam non differt. Mercatura est in Ecclesia cùm exercetur Simonia, cùm res sacræ, dignitates Ecclesiasticæ venduntur &c. DEUS tales ex templo suo ejicit Zach. 14. Mercator *nō erit ultrà in domo Domini exercituum in die illa.* Greg. lib. 7. ep. 111. *Quicunq; Sacerdotium studet datione mercari, dum non officium sed nomen attendit, Sacerdos non esse sed tantùm dici inaniter concupiscit.* &c. *Quàm grave sit omninò facinus donum DEI velle pretio comparare vel vendere, Evangelica est testis authoritas* Matth. 21. *Ejecit ex templo vendentes* &c. Hoc est excommunicari, & hæc pœna annexa est Simoniæ. Hoc est enim proscribi ab Ecclesia & in exilium rejici. Jus Canonicum 11. q. 3. c. omnis. *Omnis Christianus dilectissimi qui à Sacerdote ex-*

communicatur Satanæ traditur. Sicut ovis ex ovili ejecta lupo datur. Talis à corpore separatur, proinde membrum ejus non est, atque ideò nec spiritu ejus vivit. Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic ejus non est. Ut ait Paul. & qui non est Christi, dæmonis est. Oseæ 1. Habuit hic Propheta filium unum, quem vocavit Jezraël, hoc est semen DEI. Iste norat Christianos qui sunt semen seu Filii DEI. Habuit & Filiam, & dedit illi nomen, sine misericordia. Hi sunt in peccato gravi hærentes qui non merentur misericordiam. Alterum filium vocavit, non populus meus, hi sunt excommunicati. Ideò S. Vinc. serm. 2. hodie. *Si diceretur mihi, quid velletis amplius perdere, digitum, vel auriculam, an esse per annum excommunicatus? Dico vobis quòd magis vellem perdere digitum, & manus, & etiam caput, quàm per horam esse excommunicatus.* Talis ergò homo est apud DEUM cadaver, est non spectans ad Christum, non gaudet ejus protectione sicut proscriptus. Apoc. 11. *Datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi, surge, & metire templum DEI & altare & adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.* Eorum qui sunt in Ecclesia conscribit & mensurat Angelus Orationes, quem hìc repræsentat Joannes, omittit excommunicatos qui sunt extra Ecclesiam. Hæc pœna non soli Simoniæ sed etiam quibusdam aliis peccatis infligitur.

Alterum est peccatum Nummulariorum, qui dant pecuniam pro pecunia. Matth. 20. Acceperunt operarii vineæ singuli denarium. Omnes per hunc denarium intelligunt Christum. Dant aliqui in Ecclesia nummum scandali pro Christo, dum aliis sunt occasio peccati. 1. Cor. 11. debet mulier velamen habere super caput suum propter Angelos. Anselm. dicit displicere vehementer Angelis. Cùm mulier compta, vana, nudato pectore, templum ingreditur. Et scandalum fit innocentibus

quæ

quæ ſunt tanquam Angeli. Sed audite nummularii quid fiet de hac menſa veſtra. Pſ. 68. *Fiat mensa eorum coram ipſis in laqueum & in retributiones, & in ſcandalum.* Laqueum ponunt aliis ſed ipſæ in eum cadunt. Fiunt illis retributiones ut Jezabeli 4. Reg. 9. Quæ dum ſe oſtentaret ornatam Jehu, juſſu ejusdem dejecta ex feneſtra & à canibus conſumpta, conſumentur à canibus infernalibus. Erit hoc ipſis in ſcandalum, quia ex hac vanitate in plura ruent peccata. Audite Cypr. de habitu Virgin. *Virgines quæ ſe ejusmodi artibus compſerint inter Virgines non putem debere numerari &c. Dum ornari cultiùs, dum liberiùs evagari Virgines volunt, eſſe Virgines deſinunt* &c. Audite Tertull. lib. de cultu fœmin. *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* &c. *Caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis: manus lanis occupate, pedes domi figite, & plùs quàm in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpurâ pudicitiæ, taliter pigmentatæ DEUM habebitis amatorem.* Hoc idem eſt de aliis peccatis in templo, quæ ſolent proximum ad peccata inducere, grave enim ſcelus eſt, ibi animas occidere, ubi ſalus animarum quæritur, ubi Salvator animarum ſpeciali modo conſiſtit. Ex domo DEI ſpeluncam facere latronum. Sed hæc vobis videntur parva qui in tenebris ambulatis. Accidit ut vadat quis noctu ſolus per ſylvam, & ſub arbore capit ſomnum: & nihil terretur: orto ſolo videt ſe in nido ſerpentum, propè Urſorum antrum, tum primò advertit ſuum periculum illuminabit nos aliquando Chriſtus, ſaltem in morte, tum videbimus noſtra mala. Ebrius quiſpiam occidit innocentem, non æſtimat; aſt ubi evigilavit, terretur ſuo ſcelere.

Tertium peccatum eſt columbas vendentium. Greg. l. 7. epiſt. 111. *Quid eſt aliud columbas vendere niſi pretium de manuum impoſitione percipere, & Spiritum S. venundare?* Pro do-

nis Spiritûs S. pecuniam aut quid illi æquivalens recipere, dona sunt ejus absolutio à peccatis &c. Pergit Greg. loc. cit. *Et cùm liqueat hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestiferâ surrepsisse, atq; in ipsa sua origine, Apostolicâ esse detestatione damnatam, cur non cavetur? Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?* Canones SS. vocant Simoniam hæresim. De hoc peccato Amos 9. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit, percute cardinem & commoveantur superliminaria, avaritia enim in capite omnium: & novissimum eorum in gladio interficiam, non erit fuga eis qui fugerint.* Propter hoc peccatum DEUS templum suum dissipat, quæ est magna ira, sicut si Rex suum palatium odio civitatis, alicujus dissiparet, ne unquam ampliùs in ea habitaret. Quid si etiam loco columbarum psittacos vendant, loco doctrinæ Spiritûs S. in concionibus ludicra & blandientia prædicent? Jer. 5. *Stupor & mirabilia facta sunt in terra, Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis & populus dilexit talia, quid igitur fiet in novissimo ejus?* Non dicebatur de gravitate peccati, de pœnitentia &c. Opus est ut non nos ipsos sed Christum prædicemus, non ut nos laudemur, sed ut ille. Opus perfodere parietem, ut fecit Ezechiel, & ostendere populo abominationes ejus. Oportet ostendere quantùm Deo, indigeamus. Indiget ille Divite & eum colit à quo mutuò pecuniâ acceptâ vivit: & nos esse nostrum mutuò habemus à Deo quod recipere potest quando vult. Oportet clamare cum Amos 6. *Væ vobis qui opulenti estis in Sion Optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël, qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitis, qui dormitis in lectis eburneis & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti, qui canitis ad vocem Psalterii.* Oportet cum Joanne, *securis ad radicem*

posita

posita &c. Synod. Szysck. Crac. cap. 52. Videatur de Concione funebri quid dicat &c.

CONCIO X.

Pro Feria Quarta post 1. Dominicam Quadrag.

Non dabitur vobis signum nisi Jonæ Prophetæ.
Matth. 12.

PEtierunt varii, ut Moyses, Gedeon, &c. signum à DEO, id est miraculum, dedit illis promptè DEUS: imò renuenti Achaz obtrusit. Petunt hodie Judæi, increpat illos, *Generatio prava* &c. Et tamen simul promittit signum Jonæ Prophetæ. Quòd increpet, causa est. Quia satis habuerunt signorum, & proximè mutum & surdum sanatum. Quod signum Jonæ promittat, summus est amor, duo ergo ostendam, & quòd illis non debebatur ampliùs signum, & quod signum Jonæ sit maximi amoris signum.

Incipiamus à primo. Quid facit Medicus dum omnia æger respuit medicamenta? deserit. Adhibuit tot Christus ut plura peti non debuerint, implevit de se scripturas, fecit miracula, argumentis ostendit se esse Filium DEI, quid supererat? *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* Hebr. 4. *Non profuit eis sermo auditus, non admissus fidei.* Nam fides cùm sit obscura eget voluntatis imperio intellectus ut assentiatur, eò majus hoc est imperium quò major pia affectio, & sic fortior est assensus sive fides. Alii habitus in intellectu non egent hoc imperio, quia circa evidentia versantur, unde nec sunt liberi, uti habitus scientiarum, at fides est libera, & cùm sufficientia motiva proponuntur, si voluntas non imperet assensum, pessimè agit. Et ita contigit Judæis. Nam tot motiva ad credendum habuerunt ut dixerit Ps. 29. *Credibilia ni-*

mis testimonia tua DEUS. Propterea mittebantur ut procederetur, cum eis sicut cum Pharaone qui visis tot mirandis non credidit. Si ei modò non desunt qui dicant, converterer ad DEUM si aliquod miraculum coram me faceret, quasi verò pauca jam fecerit Matth. 11. *Si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes quæ in te facta sunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Facta est una concio Ninivitis & conversi sunt. Pauca bonus latro audivit à Christo & credidit, &c. Quid deinde sequi necesse? *derelinquamus eam.* Meritò Salvian. lib. 4. de Gubernat. *Vim facimus pietati DEI ac manus quodammodò offerimus misericordia tua* &c. *Ac sicut illi solent qui munitissimas urbes obsident, aut firmissimas arces urbium, capere, ac subruere conantur, omnibus absq; dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant; ita nos ad expugnandam misericordiam DEI, omni peccatorum immanium scelere, omni telorum genere pugnamus, & injuriosum nobis DEUM existimamus, cùm ipsi DEO injuriosissimi simus.* Non miremur ergò si misericordia DEI veluti victa à nobis recedat, & sola maneat justitia, ex qua nos DEUS justè deserat. Et tandem fit ut idem Salvian. l. 2. ad Ecclesiam. *Etiam hâc peccator letiferæ oblivionis animadversione damnatur, ut ei nec memoria quidem DEI à quo sperare debeat relinquatur &c. Sed cui hæc dicimus? aut cur dicimus? ubi apertas aures, aut videntes oculos invenire poterimus? omnes enim, ut de impiis legimus, omnes penè declinaverunt &c. O cœcitas! ô insania! quanto studio infelicissimi homines id efficitis ut miseri in æternitate sitis!*

Fortasse tamen signum Jonæ alicujus aures aperiet, quod sub hac parabola propono. Rex quidam mancipium suum ita adamavit, ut illud & honore maximo compleverit, & partem regni licet ipse habuerit filium, dare constituerit. At mancipium ex mera petulantia constituit Regi eripere regnum, & ipsum Regem occidere. Sed dum in eum dirigit sagittam, eâ refle-

xâ à quopiam obſtaculo relabitur in mancipium, illudq́ue lethaliter vulnerat. Omnes proclamant ut occidatur mancipium. Rex ait, parcite illi, imò conquirite quoſvis medicos ut omninò ſanetur. Curant medici, nihil proficiunt, quærit Rex, an adhuc ſuperſit modus ſanandi? ajunt ſupereſſe, ſed qui nec dici poteſt, quis ille? ut balneum illi fiat è tui Filii ſangvine, jubet Rex occidi Filium, fit balneum, ſanatur mancipium. O mancipium vide quo dignum eris ſupplicio ſi fueris ingratum! Hoc ipſum nobis omninò fecit DEUS, & nos iterum in eum per peccata inſurgemus, & de præteritis non agemus pœnitentiam? Salvian. lib. 4, de gubernat. *Evidens res eſt quòd ſuper affectum filiorum nos diligit DEUS, qui propter nos Filio ſuo non pepercit, & quod plùs addo. Et hoc Filio juſto, & hoc Filio unigenito, & hoc Filio Deo & hoc pro nobis, & hoc cùm res injuſta videtur plectere bonum pro malis.* Quid putatis? eſtne amore dignus iſte Pater qui hæc pro nobis? dignuſné filius qui voluntariè pro nobis morti ſe obtulit? qualiter pœnitere debemus qui tam bonos offendere non deſinimus! Ambr. lib. 2. de Pœnit. cap. 5. *Qui agit pœnitentiam non ſolùm lachrymis diluere debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta ſuperiora, ut non ei imputetur peccatum.* Neſcimus iſta? Baſil. in Pſ. 7. *Dominus judicat populos, aliter Judæum, aliter Scytham. Hic enim in lege requieſcit & in DEO gloriatur, & malum probat, edoctus legem & communibus ſententiis ſemper auſcultans, Prophetarum inſtructus literis: ſi contra jus fasq; fecerit, aut juſtitiâ exciderit, longè deteſtabilior & gravioribus erit obnoxius peccatis. Scythæ enim ſi quid fortè inter ſe humanitatis aut bonitatis communicaverint, nobis ob propriam virtutis & legis inſtitutionem, ſi quid fortè defecerimus longè graviorem præparant malitiam.* Et tamen pœnitentiam, vel non agimus, vel differimus. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 11. *Quid differs pœnitentiam! an ut plura peccata committas? ergò*

quia

quia DEUS bonus est ideò tu malus, & divitias bonitatis ejus & patientiæ contemnis? quando differs, videris contemnere ejus bonitatem, non æstimare ejus amorem, imò ex bonitate ejus tibi scandalum facis. Quamdiu manes in pecato, manes in adulterio, quia alteri adhæsisti viro, Christo jam desponsatus. *Generatio prava & adultera.* Datum est jam tibi signum Jonæ Prophetæ, jam Christus pro te mortuus jacuit triduo in corde terræ. Quocirca *Matt.* 12. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista.* Expulsus est à vobis dæmon per balneum Christi, cur permittitis ad vos nequiores septem venire?

CONCIO XI.

Pro Feria Quinta post Domin. 1. Quadrages.

Miserere mei Domine Fili David. Matth. 15.

HOdie bos cognoscit possessorem suum cùm homo non cognoverit; hodie formica laborat cùm piger homo otietur. Prov. 6. *Vade ad formicam ô piger & disce ab ea frumenta quærere.* Hodie catella colligit micas de mensa Domini. Filia Cham præcedit filios regni. Laudatur fides ejus. *O mulier magna est fides tua.* Sequamur eam, ut in nostris tribulationibus simile consequamur solatium.

Sine afflictione in hac vita esse non possumus, imò si absque illa essemus, malè de nobis ageretur. Greg. Pastor. part. 3. adducto Exod. 15. juxta LXX. *Dextera manus tua confregit inimicos.* Sic ait. *Hostes DEI etsi in sinistra ejus proficiunt, dexterâ franguntur. Præsentis vitæ prosperitas aliquando datur ut in æternum pleniùs damnet.* Ita dictum est de quibusdam Psal. 72. *Dejecisti eos dum allevarentur.* Ita Luc. 16. dicitur. Epuloni damnato. *Recepisti bona in vita tua.* De quo Greg. loc. cit. *Idcircò enim hìc bona recepit & malus, ut illic pleniùs & mala reciperet.* Morbi im-

bi immittuntur à DEO. Greg. ibid. Quia per illos ad cœlum disponit. *Nisi correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret.* Job 10. *Si justus fuero non levabo caput saturatus afflictione & miseriâ.* Quia tamen adversa nobis sunt molesta, licet quærere remedium, & hoc ubi sit quærendum, ostendet Chananæa. Sed sunt qui malunt imitari Ochoziam 4. Reg. 1. qui cùm infirmatus fuisset, recurrit ad Beelzebub, ad maleficas, ad incantationes. &c. In paupertate recurrunt ad furta, in damnis ad perjuria, fraudes, sed quid inde lucri? hoc idem quòd Ochoziæ ibid. *Nunquid non est DEus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub DEUM Acaron? Quamobrem dicit Dominus, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris, & mortuus est juxta verbum Domini.* Idem est lucratus 1. Reg. 28. Saul, qui in afflictione recurrit ad Pythonissam Sagam, & ipse occisus & domus ejus periit. Vel enim te DEUS punit ob peccata, vel probat ob virtutem. Si ob peccata, cùm novum gravissimum addis recurrendo ad dæmonem illo relicto, quantò magis punire debet? Psalm. 43. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manum nostram ad Deum alienum, nonne DEus requiret ista?* Si probat DEus tuam virtutem, pulchrum sanè specimen ejus exhibet cùm pro patientia offers sacrilegam superstitionem. Isai. 20. *Pro eo quòd reprobâstis verbum hoc, & sperâstis in calumnia & in tumultu, & innixi estis super eo: propterea vobis erit iniquitas hæc sicut interruptio eadem & requisita in muro excelso, quoniam subitò cùm non speratur veniet contritio ejus, & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalidâ, & non invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus, ut hauriatur parùm aquæ de fovea.* Sed inquies, utique videmus & homines & jumenta sanari per incantationes? Concedes mihi ista duo quòd illa incantatio sit opus dæmonis, & quòd dæmon sit hostis qui tibi

in omni casu studet & quærit nocere. Quid putas agit hostis cùm benefacit? Si cibum porrigit, cave venenum. Si munera largitur, cave ne te ad defectionem à tuo Domino sollicitet, procurat tibi sanitatem, sed animam necat: Sed pertrahit ut à DEO ad illum deficias. DEUS etiam, quasi in hunc modum diceret, permittit. Volui te in hac vita castigare, elegisti pœnam æternam, & illam novo peccato procuras, habe illam. Volui tuam virtutem probare ut inter meos filios numerarem, elegisti tibi dæmonem, esto cum illo, accipe ab illo solatium quod tibi erit in arrham inferni. Sed etiam vide an sanatio & solatium per dæmonem sit solidum? datne ille veras pecunias, veros cibos suis maleficis? Nonne fimum pro carnibus obtrudit aut arborum cariem? In speciem est illa sanitas, & paulò post atrocior redibit morbus, ut te in gravius præcipitet peccatum. Et ipse DEUS tuum hoc solatium evertet. Isai. 31. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium & Dominum non requisierunt, Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator, & cadet cui præstatur auxilium simulq; omnes consumentur.*

Alii non quidem ad dæmonem, sed tamen omisso DEO accedundt in afflictione ad homines pro subsidio. Licet hominis Medici manum requirere, sed DEUS primò orandus sine quo non proderit homo. DEUS & potest & vult misereri, sed ita vult, ut & tu velis ejus misericordiam, eamque ores. Est Pater misericordiarum, & non punit nisi à nobis quasi adactus. Isai. 27. *Indignatio non est mihi, quis me dabit spinam & veprem in prælium?* S. Hieron. legit. *Quis faciet me durum atq; crudelem ut vincam naturam meam?* S. Bern. serm. 11. in Cantic. dum exponit illud. *Ego infrenabo os tuum laude mea ne pereas.* Inducit sic DEUM loquentem ad hominem. *Ne intuitu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, atq; instar effrenis equi desperatus in præceps ruas & pereas &c. Respirabis in bonis meis dum me*

me benigniorem quàm te culpabiliorem invenies. Qui dedit inimicis Filium, an tibi petenti minora negabit? ſed qui ſperat in homine, in umbra ſperat. Iſai. 30. *Habentes fiduciam in umbra Ægypti.* Multùm ſcilicet umbra opitulabitur! Quærit S. Auguſt. quare Joſeph innocens hæſit biennio in carcere. Gen. 40. & reſpondet. Quia ſperavit in homine, ſcilicet in Pincerna. *Memento mei dum benè tibi fuerit, & fac mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere.* Sed inquies, recurri ſæpè ad DEUM, neque juvit. Recurre ut hæc Chananæa, juvabit. Recurre cum humilitate. Quando illa dixit. *Etiam Catelli.* &c. Marc. 7. additur. Propter hunc ſermonem vade. *Exiit dæmonium à filia tua.* Cogita Chriſtum eſſe filium David, & inde fiduciam concipies. David à miſericordia laudatur. Iſai. 55. *Miſericordias fideles David.* Et 1. Reg. 22. *Ad David convenerunt omnes qui erant amaro animo, & oppreſſi ære alieno, & in anguſtia conſtituti.* Clama, id eſt, ſeriò ora, ut hæc mulier Pſ. 90. *Clamabit ad me & ego exaudiam.* Ipſe Chriſtus dum oraret, non tepidè orabat. Hebr. 5. *Cum clamore valido & lachrymis.* Clama, etſi non ſtatim exaudiat, ita fecit hæc mulier Pſ. 122. *Oculi noſtri ad Dominum DEUM noſtrum,* quamdiu? *donec misereatur noſtri.* Etiam ille clamare ad tuum cor non deſinit, etſi non ſtatim exaudias. Interim abſtine à peccatis, egredere de Tyro & Sidone. Iſai. 1. *Et cùm extenderitis manus veſtras avertam oculos meos à vobis. & cùm multiplicaveritis orationem non exaudiam, manus enim veſtræ plenæ ſunt ſangvine. Lavamini & mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quiescite perversè agere, discite benè facere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillis, defendite Viduam.*

CONCIO XII.

Pro Feria Sexta post Dominicam I. Quadrag.

Est autem Jerosolymis probatica piscina: Joan. 5.

PRopè templum exstruxit Salomon piscinam, Hebraicè dictam *Bethsaida*, Græcè *Probatica*. Latinè potest dici, ut Hieron. dial. adv. Lucifer. *Pecualis*. Quia in illa abluebantur victimæ, circa hanc fuit nosocomium quinque porticuum in quo magna multitudo jacebat ægrotorum: Nam tempore non expectato commovebat Angelus piscinam, & tunc quicunque primus in aquam descendit, ab omni morbo curabatur. Quis nostrûm non optaret hanc piscinam? ostendam adhuc faciliorem.

Hæc *Probatica* non omni tempore sanabat, sed solùm quando fuit ab Angelo commota, tempus verò quo movenda erat à nemine sciebatur, nec omnis æger in ea sanabatur, sed qui prior in eam intravit, unde iste paraliticus per annos plures semper ab aliquo præventus fuit. At piscina quam ego ostendo semper movetur. Et quicunque etiam non primus intrat, sanatur. Etiamsi millies fuerit in morbum relapsus, neque eget ut ingrediatur ullius hominis auxilio. Illa erat in in uno loco, hæc in toto mundo, imò quod plùs est, non opus ad illam progredi vel unum passum facere, quilibet illam habet domi, at quænam hæc est? *Pœnitentia*. Hæc tam facilis. Abr. exhort. ad pœnit. agendam. Dixit David peccavi, & mox audivit, Dominus abstulit peccatum tuum. *Quantum valent tres syllabæ? tres enim syllabæ sunt peccavi, sed in istis tribus syllabis flamma sacrificii cordis ejus ad cœlum ascendit.* Estné hoc procul à nobis? &c. Dum verè velis esse sanus, es sanus. Nam plurimi sunt qui dicunt se velle sanari, neque verè

verè volunt, ex lecto in quo ægri jacent descendere nolunt, id est consvetudinem peccandi & occasiones relinquere, imò in eo sibi complacent: Vel accessum ad piscinam differunt de die in diem quid illis prodest etsi Angelus moveat eorum voluntatem ut piscinam. Hoc miraculum ut scribit Hugo Card. cœpit ab Incarnationis Christi tempore & ab eo tēpore forte hic paraliticus motum expectabat. Greg. in Ps. 4. Pœnitens. *Nequaquam verè pænitentiam agit, qui ex peccatorum suorum recordatione quandam Spiritûs tribulationem non sentit. Quod quidem reprobis commune est, quia etsi aliquando peccata sua confitentur, ea tamen districtæ animadversionis fletibus non persequuntur. Electi verò etiamsi minima sint quæ in se punienda inveniant, zelo rectitudinis contra se erecti, ad pænitentiæ se lamenta studiosè succendunt.*

Neq; verò putetis, quòd pœnitentia etiam corporis morbos non sanet. Morbi sunt pœnæ peccatorum ablatâ, verò culpâ, tollitur etiam pœna. Unde Christus cùm sanabat ægros, addebat aliquando, *Ampliùs noli peccare.* Hanc ipsam doctrinam accipite ex Oseæ 4. *Audite Verbum Domini Filii Israël, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ non est enim veritas & non est misericordia, & non scientia DEI in terra, maledictum & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sangvis sangvinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.* Pœnitentia expellit dæmonem ne ampliùs noceat nobis. Bern. in Cant. serm. 6. expendens illud Habac. 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Sic ait. *Ubi nempe peccatum remittitur ibi proculdubio diabolus ex corde peccatoris ejicitur.* Per peccatum à DEO qui est dator omnium bonorum receditur, proinde extra omne bonum se constituit peccator, atque ita in meris malis. Ps. 102. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Comedit

fructus David dulces adulterii, gustavit de ligno vetito superbiæ; quid de illo ipsi remansit nisi cinis, persecutio à Filio, maledictio Semei, &c. cinis: hic illi factus est panis.

Sed sunt multi qui de morbo queruntur & causam ejus non tollunt, faciunt sicut ille qui vult sanari plagam suam, neque ex ea spinam extrahit: pœnitentiam differunt, & veluti pactum ad tempus cum hoste faciunt cum eo postea bellaturi, interea hostis contra illos dum securi agunt tempore utitur. Isai. 28. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, flagellum inundans cùm transierit non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Sed hæc lorica valdè est debilis. Non vis sanari? Prov. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena & gemas in novissimis.* De quo Greg. Pastor. part. 1. *Quis alius crudelis nisi Angelus ille Apostata? honorem suum alienis dat, qui ad DEI imaginem & similitudinem conditus, vitæ suæ tempora malignorum spirituum voluntatibus administrat.* Hoc anno tibi difficilè ire ad piscinam, quo anno erit facilè? Hoc te impediunt negotia, etiam alio non deerunt. Hoc non es aptus, certè ubi peccatis assveveris minùs aptus fies. In morte, inquies, agam pœnitentiam. Audi Salvian. lib. 1. ad Ecclesiam. *Qui à malis actibus tantùm morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus, ac per hoc, necessitate exclusus à vitiis, & tunc puto peccat.* Non posse te dicis ire ad piscinam cùm adhuc tibi vires aliquæ suppetunt, & quomdo ibis ubi illæ deficient? Homo te ad illam non ducet, cùm hæc piscina intra te sit. Anima etiam nostra ita operatur prout habet corpus constitutum, in læso pede claudicat, malè affecto cerebro stultè agit, cùm in febri lingva bile imbuitur, dulce judicat amarum: & tibi polliceris quòd tunc optimè operabitur quando per morbos corpus pessimè

fuerit affectum? Deinde unde scis non mortem tibi obventuram subitaneam? Non tibi usum rationis in eo morbo perturbandum? Diabolum à suis artibus cessaturum ut te suo dolo non ad alia cogitanda avocet? &c.

Adi piscinam lachrymarum. Chrysol. serm. 124. *Jucundæ sunt lachrymæ quæ in gaudium immortalitatis emergunt.* Noli eas metuere. Probatica ut scribit Hieron. Habuit aquam rubentem ob sangvinem victimarum, & tuis lachrymis suum sangvinem addet Christus ut te sanet. Ideò virtutem sanandi illa piscina habuit, quia ut dicit Historia Scholastica fuit in eo loco sepultum lignum de quo deinde crux Christo est facta. Nondum in eo pependerat Christus & jam sanabat, quid modo? Sepeli hoc lignum in tuo pectore. Pro te cùm inimicus esses voluit pati, quomodo te ad se redeuntem non recipiet? Serpens æneus à Moyse erectus solùm quoddam fuit symbolum crucis, annis 1500. antequam Christus pateretur, sanabat, quid modo ipsa crux? Sanabantur illic indigni gratiâ & pessimi Judæi &c. Fuerunt propè piscinam quinque porticus, sunt in Christo quinque vulnera præcipua. Accessit ad unam porticum latro & sanatus est &c.

CONCIO XIII.

Pro Sabbato post Dominicam I. Quadrages.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

PLanè ita accidit ad virtutem aut pœnitentiam accedentibus sicut Moysi Exod. 4. projecit virgam in terram facta est serpens: Terret velut serpens, cùm vitia deserere cogitas, castè vivere &c. Sed dum serpentem arripuit per caudam facta est illa virga, quâ deinde patravit miranda. Finem virtutis considera, plenus est mirandis, vis illa spectare? vade in Thabor, ostendit illa Christus. Ani-

Animam nostram ut Sol Lunam illuminare semper paratus est Christus, sed cùm inter Solem & Lunam interponitur terra, non illuminatur Luna & fit eclipsis: dum terrena negotia, corporis cura, &c. mediant. Unde modò quantum sit præmium virtutis non degustamus, sed hoc erit in fine. 2. Cor. 3. *Nos autem revelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Gloria cœlestis non solùm in anima, sed etiam in corpore Christo debebatur, & habuit illam semper, sed gloriam corporis miraculosè occultabat ut pro nobis pati posset. Hanc hodie ostendit, ut videamus quis laboris nostri finis, quòd mera admiranda. Corpus fit veluti spiritus per quodvis aliud penetrare potest instar Angeli, & tamen etiam si ita expediat palpari potest. Agilissimum est & simul lentè progredi valet, claritatem habet sed cui similem non vidit oculus, cùm sit diversi ordinis à nostra luce. Impatibile est, licet iisdem ut modò constet. Et ista sunt parum, si cum gloria quæ manet animam conferantur dixit Propheta Ahias ad Jeroboam 3. Reg. 11. *Assumam te & regnabis super Israël, & super omnia quæ desiderat anima tua.* Hæc veriùs de cœlo, sed quæ sunt sunt ista *omnia?* S. August. tr. 23. in Joann. Ostendit utcunque ista omnia, cùm ita discurrit. Sicut DEUS est omne bonum, remotâ omni imperfectione: ita cœlestis gloria constat omnibus bonis sine ullo malo. Et sicut DEUS à nobis non potest cognosci nisi per negationes, ut cùm dicimus DEus non est aurum, sed quid melius auro: continens tamen quidquid boni est in auro. Non est Sol &c. Ita de illa gloria. Non est voluptas, sed quid melius c: ontinet tamen omne bonum quod est in voluptate. Non est sanitas, honor, &c. S. Bern. l. de diligendo DEO. *Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur; dum & saporem vini induit & colores: & quomodo ferrum ignitum & candens igni simillimum fit, pristinâ pro-*

priâq;

priúsq; formâ exutum: & quomodo Solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminat' quàm ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipso liquescere, & in DEI transfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia erit in omnibus DEUS si in homine de homine quidquam superfuerit? Manebit quidem substantia sed in alia forma, alia gloria, alia potentia. Jam ergò cogita, si omne aurum haberes, omnem dignitatem, sanitatem, scientiam &c. quàm felix esses! transformaberis in DEUM qui est omne bonum &c. Hæc & similia consideravit Basil. cùm in Julittam M. orat. dixit. *Properanti ad supernam Patriam mora corporis est omni pœnâ & omni carcere gravior.* quas in hoc mundo vides voluptates, felicitates &c. Deus condidit tam in usum suorum amicorum, quàm inimicorum, ibi pro solis amicis. Si quis prudens per plateas spargit aurū & gemmas, quanta sunt illa quæ domi pro Filiis retinet? si umbra alicujus rei esset aurum quid ipsa res esset? S. Bern. serm. 1. de Nativit. B. V. *Totius boni illic exhibitio, hìc quædam tenuis libatio.* Vis scire quales ibi disci in quibus tibi apponetur cibus, aspice Solem: vis quales lucernæ quæ tibi lucebunt considera Lunam. Chrysost. hom. in Ps. 13. *DEUS veluti discum aureum Solem tanquam in mensa solenni in cœlo posuit, veluti lampadem argenteam dedit Lunam in nocte, accensosq; lychnos astrorum in cœlo tibi posuit.*

Sed quis ad hoc cœlum perveniet? quem JESUS assumet secum, quem assumet? nescimus an amore an odio digni sumus. Omnes vult salvare, sed non omnes volunt salvari. Non vult verò qui non vult ire per viam quæ ad cœlum ducit. Bern. de tripl. cohærentia vinculorum. *Probate* vos fratres si in via estis, si non exorbitatis. *Lætetur cor* inquit Ps. 104. *quærentium eum. Si gaudetis ad labores, si inoffenso, si indefesso pede curritis viam*

 manda-

mandatorum DEI &c. Sed quid Salvian. de gubernat. lib. 3. *Quid est aliud pene omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum?* Et Cypr. serm. de Eleemosyna. *Quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est.* Videamus quomodo DEI servamus mandata &c. Elegit sive prædestinavit nos ante constitutionem mundi, sed ut per merita cœlum obtineamus, si illa desint, non dabit cœlum. Bern. hom. de discip. euntibus in Emmaus. *Domine quoties passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus, quia dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs. Si enim ex hoc mundo transiisti ad Patrem cum tantis cruciatibus, quid fiet de nobis peccatoribus? si hoc in viridi, quid fiet in arido?* Gloriam in Thabor ostendit, & simul de passione per quam illam obtinuit loquitur. *Nonnè oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam?* Habebat jus ad illam ut Filius naturalis DEI, sed etiam per merita voluit illam consequi. Promisit DEUS Abrahæ Gen. 21. *In Isaac vocabitur semen tuum.* Promisit Posteros ejus multiplicandos Gen. 22. Et tamen Gen. 25. *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua eò quòd esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.* Cur deprecabatur? utique Patri ejus promissum quòd per Isaac multiplicandi essent Posteri ut stellæ cœli ut arenæ maris? Greg. l. 1. dial. c. 8. *Si ergò multiplicatio generis Abrahæ per Isaac prædestinata fuit, cur conjugem sterilem accepit? Sed nimirum constat quia prædestinatio precibus impletur, quando is in quo semen Abrahæ DEUS multiplicare prædestinaverat, oratione obtinuit ut filios habere potuisset.* Quod clarius fit ex iis quæ ibid. paulò antè dixit. *Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerunt; sed ea quæ Sancti Viri orando efficiunt ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur.* Assumpsit secum Petrum, quia aliquos per pœnitentiam salvare constituit. Joannem quia aliquos per innocentiam: Jacobum, quia ali-

aliquos per continuas adversitates. Psal. 46. *Elegit nos hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit.* Romana editio habet, *ut essemus species Jacob.* Hic in laboribus servivit pro uxore, à fratre passus persecutiones &c. Ideò si cui revelatum esset quòd sit prædestinatus, tantò magis laboraret. Et signa ponuntur quòd aliquis sit prædestinatus, humilitas, patientia, castitas, &c. quæ signa nulla essent, si DEUS prædestinaret non intendendo dare gloriam suam per virtutes. Quocirca Basil. in Ps. 48. *Qui in hoc mundo laboraverit, hic vivet in æternum. Qui verò in lautitia & omnibus deliciis molliter egerit, purpuram & byssum induerit, & in conviviis quotidie se splendidè exhilaraverit, deniq; pro virtute labores subire noluerit, is nec laboravit in hoc sæculo nec in futuro vivet, sed longè vitam videbit in camini flamma cruciatus,*

CONCIO XIV.
Pro Dominica II, Quadrages. Prima Concio.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

MUlti vellent cum Christo transfigurari, & benè, quæ enim felicitas major esset in terris quàm corpus habere dotibus gloriosis ornatum, impatibile, clarum, agile, subtile? sed putant hoc esse impossibile, ego verò dico illos putare sibi possibilia æquè magna alia miracula, de quo sermo erit præsens. Et duo solùm ponam miracula etsi non desint plura.

Primò. Est magnum miraculum excitare se à mortuis, excitati sunt multi sed ab aliis, illi verò putant quòd & seipsos & quando volent excitabunt, unde securi jacent mortui & tamen vitam sibi quando illis placuerit, promittunt. Homo peccans moritur juxta illud. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Moritur enim corpus si anima ab eo recesserit, moritur anima si

DEUS ab illa recesserit. *Ego sum vita.* Tres mortui à Christo suscitati, adolescens in Naim, Puella, Lazarus. Sed Adolescens ut excitaretur solùm Christus loculum tetigit, ut puella per manum apprehendit: ut Lazarus, infremuit spiritu, seipsum turbavit, clamavit *Lazare veni foras*, lachrymatus est, gratias Patri egit. Theophilact. lib. 9. Allegor. *Per hos tres mortuos tria mortis genera significantur. Moritur homo prava cogitando, operando, in peccato perseverando.* Putatis dum estis quatriduani Lazari vos posse vos excitare? DEUS quidem nulli deest sed difficilè convertitur qui jam fœtet in peccatis, qui pœnitentiam differt. Dabit DEus auxilium sed quod tibi non fiet in salutem. Excitavit Saulum, *Saule, Saule quid me persequeris?* Similia dixit Judæ ac vehementiora. *Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur &c.* Et quæ causa quòd Judas non conversus? Chrysost. hom. de S. Paulo. *Similia remedia, sed ægri distabant.* Primâ vice ad cor Sauli DEUS pulsavit; peccabat ex ignorantia: At Christus Judæ lavit pedes. Monuit, qui mecum intingit in paropside. S. Aug. lib. 83. quæst. 68. *Ad Regis convivium nemo venit nisi vocatus, sed non omnes vocati venerunt.* Assyeverunt peccatis. De' ita agit nobiscum ut si quis mitteret alicui thesaurum in charta depictum, at ille acceptâ chartâ eam osculatur neque curat ampliùs thesaurum, suam bonitatem homini ostendit in creaturis, peccator in creaturis conquiescit, neq; DEum possidere curat. Ezech. 16. *Fecisti tibi imagines masculinas & fornicata es in eis.* Sed eo ipso jam in decipulam inciderunt, & dum in ea durant clauduntur. Sap. 14. *Creaturæ DEI in odium factæ sunt, & in tentationem hominum, & in muscipulam animæ insipientium.* Sed dices, dist. 45. *De quocunq; pessimo in hac vita non desperandum.* Verum est. Sed si convertatur qui differt pœnitentiam per totam vitam miraculum est. Ludolph. Carthus.

Carthuſ.2. p. c. 63. *Monſtroſum eſt quòd lupus caudam ovis haberet.* Vivit quis ut lupus, caudam ovis vult habere, mori ut ovis. Scimus in Evangelio dictum. *Spiritus immundus aſſumit ſeptem nequiores* cùm homo relabitur. Sed etſi non relabatur. *Fortis armatus cuſtodit atrium ſuum.* Cum forti & armato agendum, qui quò diutiùs poſſedit, ægriùs dimittit. Succiditur arbor & jam versùs Aquilonem incepit cadere , miraculum eſt quod fecit S. Gregor. Thaumaturgus ſi facto ſigno S. Crucis efficias ut ad Auſtrum cadat. S. Bern. *Væ illi qui tunc habet terminum luxuriæ quando vitæ.* Quare, væ? Baſil. *Si immortalis eſſet mandatorum DEI nunquam recordaretur.* Proinde meretur ut DEUS illius miſereri obliviſcatur. Sed latro in morte ſalvatus? Si quis theſaurum invenit, anné etiam alter idem ſibi promittit? tranſiit per mare populus DEI, ergò & Ægyptii? præterea ut docet Emiſſenus latronis illius mors erat martyrium, quod æquivalet Baptiſmo.

Alterum eſt. Cor extra pectus peccator ſervat quod etiam magnum eſt miraculum. Ubi cor luxurioſi? *Rapuerunt Sandalia Judith oculos Holofernis.* Hebr. legit. *Cor Holofernis.* Avari ubi? *Ubi theſaurus tuus ibi & cor tuum.* Pſeudopolitorum ubi? *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Cor in ventre, pro eo loquitur qui ejus ventrem pavit. Cor liqueſcens, ait quis ajo, negat quis nego. Ubi univerſim, cor peccatoris? neſcitur, ſolùm ſcitur quòd non ſit in eo Oſeæ 7. *Ephraim quaſi columba ſeducta cor non habens.* Ubi tamen? Gregor. 2. moral. cap. 5. conſiderans illa verba. Cùm diabolus miſiſſet in cor Judæ. &c. *Si Judas cor poſſideret, ipse potiùs mitteret.* Itaque cor apud dæmonem. Jam *ſi ex corde exeunt cogitationes,* ſine cogitatione autem nihil facere poſſumus. Quales cogitationes erunt illius qui in mulieris ſandaliis cor habet? Quomodo aget pœnitentiam? fortè ſicut ille aſſvetus luxuriæ, qui moribun-

 dus ſuæ

pus suæ meretricis osculabatur imaginem. Si in thesauris cor, fortè aget sic in agone ut ille qui loco Crucifixi frustum auri osculabatur, & dicebat, Hic estDEUSmeus. Si cor in ventre, fortè sic morietur sicut ille. *Epulare anima mea* interim, *Stulte hâc nocte morieris.* Si cor in manu dæmonis, fortè in desperationem lapsus, faciet ut moriens Seribertus cùm ipsi figura Christi Crucifixi offerreretur in crucem inflavit tubam exprimens, & sic periit. Innumera sunt ejusmodi exempla. *Redite ad cor prævaricatores.* Quò remotiùs ab illo recesseritis, difficiliùs ad illud redibitis. *Ecce nunc dies salutis*, tempus acceptabile, non differte. Si arbor non habet fructus in æstate, an speratis quòd illos hyeme proferet?

CONCIO XV.

Pro Dominica II. Quadrages. Altera Concio.

Transfiguratus est ante eos. Matth. 17.

DUm in spiritu spectaret Christi opera Isai. 12. dixit. *Notas facite in populis adinventiones ejus*, tam sunt mirabiles ut si innotuerint populis, sequentur Christum. Sed quænam illæ? Ezech. 16. explicat. *Tempus tuum tempus amantium.* Amabilis DEus in creatione, mirabilior in nostri amore, quærit quasi artes ut nos in sui amorem pertrahat, unam in hodierno Evangelio consideremus.

Inventionem hanc sub quadam parabola proponam. Ut sic faciliùs *in adinventionibus ejus* exerceamur. Captus fuit cujusdam Regis maximi Rusticus ab hostibus, mitti non poterat lythrum nec ullus ad hostes ob sævitiam illorum penetrare potuit. Rex nihil habens ob quod ita amaret rusticum, invenit hunc modum. Simulavit se esse fratrem captivi, vestem assumpsit rusticanam, & ignotus pervenit ad captivum ferens secum lythrum,

lythrum. Rusticus redimi non vult. Rex ut eum alliciat ut velit ex captivitate exire, manifestat se illi quis sit, & id aliquibus signis probat. An hic non mirabilis adinventio amoris? Christum vobis sub figura Regis factum nobis per omnia similem absque peccato: sub specie rustici captivum apud dæmonem descripsi. Nullus homini poterat afferre lythrum quia nulla creatura satisfacere pro peccato sed sola Divina persona infinitæ dignitatis potuit. Ut homo vellet exire ostendebat per varia miracula quòd esset Deus. Solus Deus verbo potest mutare naturas, mutavit aquam in vinum. Solus cæcos illuminare &c. Et ut magis alliceret, ostendit hodie qualiter esset hominem tractaturus, si velit ab hostibus abire. Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem quâ dilexit nos* ista fecit. Nimia certè, naturâ duce, dum periculum instat parti meliori exponimus viliorem, ita dum est vita amittenda exponimus pecuniam, dum caput petitur opponimus manum &c. At verò Deus se exposuit infinitus pro vilissimo homine! ut fidem illi habeamus adhibet ex omni statu testes. Moysen Ducem populi & legislatorem ante 1400. annos mortuum, Eliam zelosum pro veritate ante mille annos de hoc mundo miraculosè translatum & adhuc viventem. Petrum pœnitentem, Joannem Virginem, Jacobum sanctitate notissimum. Neque hoc satis.

Orta fuit controversia de summo Sacerdotio quis ad illud assumendus erat, quælibet tribus optabat sibi istum honorem, ac specialiter id pro suis non sine tumultu exigebant Dathan & Abiron. Tum Moyses jussit singulos ad id aspirantes deponere virgas in Sanctuario atq; etiam fecit idem Aaron, ut cujus virga arida effloruisset, ille esset Pontifex. Effloruit Aaronis. Christus est flos de radice Jesse, ex Virgine natus. Rupert. de Victoria verbi DEI cap. 10. *Itaq; super hunc florem JEsum requiescet spiritus Domini.* Vox DEI Patris attestata idem.

Hic

Hic est Filius meus, ipsum audite. Effloruit hodie. *Vestimenta alba sicut nix, facies resplenduit sicut Sol.* Ostendit qualis sit. Nazianz. Orat. 2. in Pascha. *Stolæ corporis passi pulchritudinem ex adverso profer, quod per passionem exinanitum, ac per Divinitatem qua nihil pulchrius exornatum.* Adest ergò Moyses quia jam ante in figura dederat &c. Christo testimonium. Adest Elias quia igneo curru vectus, hic nubes lucida apparuit, hic facies ut sol. Chrysost. in Catena. *Cùm DEus comminatur nubem tenebrosam ostendit sicut in monte Sina; hic autem quia non terrere volebat sed docere, nubes lucida apparuit.* Resplenduit facies Moysis, resplenduit & Christi, sed cum hac differentia quam notavit S. Ephrem. *Non sicut Moysi facies Christi resplenduit extrinsecùs, sed ex ipso scaturiebat ejus gloria & in eo manebat. Ex ipso oriebatur lux ejus, non venit ex alio.* Facies Christi ut sol igneus Eccli. 48. *Elias propheta quasi ignis.* Uterque diebus 40. jejunavit ad Christi futuri imitationem Ex. 34. *Fuit cum Domino Moyses per dies & noctes 40. panem non comedit, & aquam non bibit.* De Elia 3. Reg. 19. *Et ambulavit in fortitudine cibi illius 40. diebus & 40. noctibus.* Adhibiti ex novo testamento tres, quia tres fient participes gloriæ Christi, aut pœnitentes ut Petrus, aut innocentes ut Joannes, aut Martyres ut Jacobus qui primus ex Apostolis pro Christo passus.

Crediderunt discipuli, & spreto mundo nomine omnium Petrus. *Faciamus hìc tria tabernacula.* Et præ reverentia *ceciderunt in facies suas.* Exeamus ex hostis captivitate, & in cœlo jam nobis faciamus tria tabernacula. Sed non ædificemus per somnium. Ps. 75. *Viri divitiarum dormierunt somnum suum & nihil invenerunt in manibus suis.* Per somnium ædificat, qui in mortali peccato jacens facit bona opera. Evigilabit, *nihil in manibus* inveniet. Jacent verò qui sine dolore, integritate, proposito, restitutione, &c. confitentur, qui rudem ex industria

Con-

confessarium quærũt quæ qui non discernat inter lepram.& lepram, extenuant peccata ut quæ sunt gravia videãtur levia. Sine præmisso diligenti examine accedunt, occasiones in quibus soliti peccare non amovent, excommunicati sunt, & sunt excommunicationes quæ ipso facto incurruntur. Isti *cõgregant pecuniã in sacculum pertusum.* Isti ædificant ut Esau de quo Hebr 12. *Non invenit locum pœnitentiæ quamvis cum lachrymis quæsivit illam*, quia odium erga fratrem non deposuit. Qui solùm confitentur ne ab hominibus judicentur impii, hi ædificant cum Saul 2. Reg. 15. *Peccavi, sed nunc honora me coram Senioribus populi mei*, ne malè de me sentiant. Lamentatur S. Thom. de Villan. conc. fer. 4. post Domin. 5. Quadrag. *Ubi hodie verum pœnitentem, ubi vel unum reperies Ninivitam? Dic mihi ò pœnitens, si vera est pœnitentia tua, si dolor non fictus: quid mollibus vestiris, pretiosis cibaris, blandis foveris, ludis & voluptatibus deliniris? hæcnè sunt signa pœnitentis? hæc opera lachrymantis? lacrymæ cachinnis immixtæ, risu sociata tristitia, derisorem te demonstrat non supplicem: irridentem potiùs quàm pœnitentem ostendunt. Si verè pœnitens es, cur non vivis ut pœnitens?* Tunc solùm in luctu delinimenta adhibentur quando lugemus inviti. *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista & condemnabit eam.* Quia tantùm laboris à finibus terræ adhibuit ut Salomoni colloqueretur, & isti nihil seriò faciunt ut in cœlo domum sibi fabricent, ut exeant è dæmonis captivitate, ex qua ut educeret illos Christus tanta fecit. Ædificemus in monte Thabor, quod significat puritatem. Evanescant omnia ut solùm Christum videamus, propter solum ipsum faciamus.

Ædificant alii benè, sed postquam ædificârunt exurunt, cùm scilicet relabuntur in peccatum. Fugiunt ab hoste sed pedem relinquunt in laqueo, cùm non vitant occasiones peccati. Job 12. *Tenebitur planta ejus in laqueo, & exardescet contra eum*

sitis. Cùm semper sitiamus, inquietum cor nostrum donec in DEO quieverit, nec illam sitim mitigamus puris aquis devotionis, confugimus ad lacunas mundi. S. Anselm. in similitud. *Consvetudo peccandi laqueus est in peccato detinens.* De siti Greg. in loco cit. *Sitis contra eum exardescet, quia quò magis agere perversè consvevit, eò ad bibenda mala vehementiùs accenditur.* Et hoc licet in omnibus sit peccatis, manifestiùs tamen apparet in luxuria, ob quam etiam causam est signum reprobationis. Greg. lib. 6. c. 1. in libr. Regum. *Justitiâ DEI peccator projicitur quando ad perpetranda luxuriæ inquinamenta incurvatur.* Sed majus est ipsius DEI verbum. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum quia caro est.* Specialiter pugnat hoc peccatum cum dotibus corporis gloriosi. Ephes. 5. *Hoc scitote quòd omnis fornicator aut immundus non habent hæreditatem in Christi regno aut DEI.* Ninivitis indulsit, non indulsit Sodomitis. Quærit Gregorius. Quare Moyses contra alios hostes solis armis pugnavit, contra Amalec & armis & oratione? Et respondet. *Pugnabat Moyses contra Amalec non solis armis, sed virtute orationis, unde magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tantâ virtute tantâ difficultate superatur*, cùm illi scilicet quispiam assuevit. Et addit. *Qui virtutum flores non vult in mente exurere, ita debet libidinis ignem extingvere, ut per tenuem scintillam nunquam possit ardere.* Idcircò & S. Paulus Eph. 5. loc. cit. addit. *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Res est parva confiteberis &c. *Propter hoc enim venit ira DEI in Filios diffidentiæ.*

NB. *Tertia Concio pro hac Dominica desumatur ex Sabbato præcedenti.*

CONCIO XVI.

Pro Feria Secunda post Domin. II. Quadrages.

In peccato vestro moriemini. Joann. 8.

DEUS Pater cum Christo ita processit sicut Rex nuptias filio facturus. Matth. 22. *Simile est regnum cælorum homini*

Regi

Regi qui fecit filio suo nuptias. Constituit certas personas vocare ad nuptias, hoc dicit filio, jam filius scit qui sunt venturi: & consequenter qui non. Sponsalia Christo fecit in utero Virginis Ps. 18. *Tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* In cœlo verò Apoc. 19. *Nuptiæ Agni.* Hoc est mysterium prædestinationis, ubi elegit quosdam & simul locum designavit in quo sessuri. Rom. 8. *Quos prædestinavit hos & vocavit, & quos vocavit hos & justificavit, quos autem justificavit hos & magnificavit.* Dum ergò hodie dicit Pharisæis. *Vos in peccato vestro moriemini.* Idem ferè est atque si diceret. Vos non estis prædestinati. Nos an simus electi, scire non possumus, signa tamen hujus rei aliqua haberi possunt, recensebo ex Evangelio isto unum.

Non est signum certum, multùm jejunare, orare, confraternitatibus inscribi. &c. His quidem modis quæritur Christus, qui tamen dixit, *quæretis me & non invenietis.* Dixit hoc Pharisæis qui durissimè corpus suum tractabant, jejunabant, orabant, eleemosynas dabant, & plurima bona opera externa faciebant. Longè minus signum si nihil boni agas etsi etiam nihil mali. Nam quando Rex invitat ad nuptias, debes te pro illis parare, vestire, hoc enim invitatio in se includit, quia si Beati in cœlo in aliquod malum laberentur, exciderent è cœlo, multò minùs cum peccato aliquis intrare potest. Magnum autem est malum nihil boni agere. Nam DEUS sic invitat. Tu per hæc bona opera ad me venies, tu per hæc &c. Greg. 1. Dialog. *Æterni regni prædestinatio ita est à DEO disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant.* Ideò noli dicere, si prædestinatus sum non est opus ut aliquid boni agam: imò agendum est quàm maximè. Nam si Rex v.g. vocat te ut ad illum eas, oportet viam ingredi per quam ad illum pervenias, sedendo domi non pervenies. Ita etiam, si non es elect⁹, oportet cavere peccata, quia nemo damnatur nisi propter peccata, & pro majoribus peccatis majora fert supplicia,

plicia. Per otium non oſtendit Chriſtus viam ad cœlum. Imò dixit. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Hæc verò non ſolùm præcipiunt abſtinere à malo ſed etiam bonum agere. 2. Petr. 1. *Fratres ſatagite ut per opera bona certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* Certè DEUS prædeſtinavit aliquos, tamen Chriſtum miſit ut eos benè vivere doceret, & fidem inſtrueret, & ipſe Chriſtus rurſum miſit Apoſtolos. Si prædeſtinato non opus eſſet benè agere, fruſtra Martyres paſſi, Eremitæ, &c.

Signum eſt electionis, eſſe *de ſurſum*, hoc eſt, eſſe hominem cœleſtem. Sed id quomodo cognoſcam? Si venires cum Legato tui Regis in Perſidem, & diceretur tibi, Eme hìc domum, reſponderes, non emam, mox redibo in Poloniam, imò potiùs quæ hìc aquiſivero tranſmittam in Poloniam, quia inde ſum. Qui tranſmittit in cœlum, de cœlo eſt, qui in cœlo ſibi procurat domum. Et contrà, qui eſt *de deorſum*, de terra, terrena curat, terrena loquitur: ſicut qui eſt Perſa in Perſide domum emit. Cœleſtis homo non differt converſionem; & res mundi, opes ita tractat, ut optaret ab eis liber eſſe ſi aliter vivere poſſet: terreſtris velut in laqueis dormit. Iſai. 51. *Filii tui projecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum ſicut Oryx illaqueatus.* Hoc animal eſt caprea quædam ſylveſtris in Affrica, dum in laqueum incidit, quaſi in maxima ſecuritate dormit. Transfert civis cœleſtis in cœlum ſuam formam, hic de illa non laborat: transfert voluptatem: transfert. *Opes quas requiris in cæleſtes theſauros manus pauperum deportaverunt.* Transfert converſationem. *Noſtra converſatio eſt in cælis.* Uno verbo quantum poteſt de ſe in cœlum transfert. Verè enim Baſil. ſerm. 2. in divites avaros. *Non te miſeret* pauperis *miſericordiam non invenies. Non juviſti alienam domum, à regno DEI excludêris. Non dediſti panem, vitam æternam non recipies &c. Propter filios non das eleemoſynam.*

Dic

Dic quæso cùm Deum orâsti ut natos susciperes, addidistinè illud? Da liberos ut causa sint ne regnum tuum assequar. Si cadere cōtingat in peccatum, ac per hoc fieri deorsum, surgunt & se ad cœlos eo ipso vehementiùs reducunt. S. Bern. in Psalm. Qui habitat &c. *Homines cadere necesse est aliquando, dum in hoc sæculo detinentur: sed alii colliduntur, alii non, quia DEus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus ut segregemus agnos ab hædis? &c. Hoc interest inter eorum casus, quia iustus suscipitur à Domino; ideòque fortior resurgit: Injustus autem cùm ceciderit nō adjiciet ultrà ut resurgat, imò verò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit.* ceciderat David peccando cum uxore aliena: postea nec propriam Abisag formosissimam cognoscere voluit. Persecutus est Paulus Ecclesiam, postea pro illa passus plurimùm. Attendit plurimùm ut omnia sua facta deinceps in cœlū dirigantur. Greg. 25. Moral. 6. *Reprobi omne quod faciunt cæca mente pertranseunt, factumq; suum nonnisi cùm puniti fuerint non agnoscunt. At contrà, Electorum est actus suos ab ipso cogitationis fonte discutere, & omne quod turbidum profluit ab intimis exsiccare.*

Jam ad reprobos. Isti toti sunt terra; totam formam in terra ponunt. Psalm. 48. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* Si in peccatum labantur, ait Gregorius lib. 4. in Reg. cap. 8. *Habent corda reproborum, ut malum citò proferant, & à malo proposito non celeriùs resipiscant.* Explicat hoc ipsum ampliùs in Psalm. 1. Pœnitent. *Illud verum est apertæ reprobationis indicium si verecundia non sequitur peccatum. Unde sub Judææ specie contemnenti animæ dicitur Jerem. 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Qui enim neglecto DEI timore peccata peccatis cumulat, profectò ut meretrix frontem obdurat. Ille ad DEum convertitur qui tam cogitatus suos, quàm etiam operationes ad DEum semper dirigere conatur.* Nihil rerum suarum in cœlum transportat. Ambr. serm. 39. *His hominibus*

minibus cùm dixeris ut aliquid pauperibus largiantur ſtatim tibi objiciunt, necesſitates infinitæ sunt, tributa ſunt gravia, fiscalia explicare non poſſumus. Et tanta tibi ingerunt ut quaſi te reum ſtatuant cur hoc & ipsum illos volueris commonere, non intelligentes quòd omnibus necesſitatibus ſalutis necesſitas ſit præferenda. Audiant Matth. 25. Eſurivi. &c. De quo Greg. Paſtor. p. 3. *Ecce nequaquam audiunt, quia rapinas, vel qualibet alia violenta cõmiserunt, & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur.* Chryſol. ſerm. 14. *Esurivi, inquit, & dediſtis mihi manducare. Non dixit, esurivit pauper, & dediſtis illi manducare, ſed esurivi ego & dediſtis mihi manducare: ſibi datum clamat quod pauper acceperit, ſe manducare dicit quod comederit pauper, quod bibit pauper ſibi teſtatur infusum.* Ecce modus transferendi ſua in cœlum. Et ſerm. 41. idem. *Qui dederit esurienti panem dabit illi regnum, negabit illi fontem vitæ, qui ſitienti calicem aquæ negat.* Cùm ita homo ſe affigit terræ, tandem à DEO deſeritur, & in malo induratur, atque cæcitas ſupervenit. Jer. 3. *Et dixi, cùm hæc omnia feciſſet, ad me convertere, & non eſt reversa. Et vidit prævaricatrix ſoror ejus Juda, quia pro eo quòd mæchata eſſet* (hoc eſt peccavit, quia peccator à Sponſo DEO recedit) *aversatrix Israël, dimiſiſſem eam & dediſſem illi libellum repudii, & non timuit prævaricatrix Juda ſoror ejus, & abiit, & fornicata etiam ipsa &c. etiam libellum repudii accepit.* Quia exemplo alterius punita non reſipuit, & jam ſequitur quod Greg. ad hunc locum addit lib. 1. in Ezech. hom. 12. *Ut jam velut aliena derelicta faciat mala quæ vult, zeli Dei flagella non ſentiat, quatenùs ad æterna ſupplicia profundiùs descendat.* Sequitur velut ſigillum hujus infelicitatis induratio de qua S. Auguſt. ſerm. 88. de temp. *Quid eſt Exod. 4. Ego indurabo cor Pharaonis, niſi cùm abſuerit gratia mea, obduret eum nequitia ſua? Sicut quoties nimio frigore conſtringitur aqua Solis calore ſuperveniente reſolvitur, & discedente*

dente sole iterum induratur, ita peccator, &c. Accedit excæcatio. Sicut enim qui diu in obscuro carcere hæret, excæcatur: Ita peccator qui diu in peccatis. Psalm. 81. *Nescierunt, neq; intellexerunt, in tenebris ambulant.* Chaldaica paraphrasis ita habet. *Nescierunt bonum operari, & non intellexerunt legem, quia in tenebris ambulāt, quia excæcavit eos malitia eorum, quia ex longa peccandi consvetudine contraxerunt tenebras densissimas.* De hoc Job 3. *Expectet lucem & non videat ortum surgentis auroræ.* Tales aliena vident peccata sed non sua, agunt quasi nullam apud DEUM promeriti pœnam &c. His omnibus malis supervenit infernus. Videat ergò peccator ne jam in aliqua sit harum inferni portarum.

CONCIO XVII.

Pro Feria Tertia post Domin. II. Quadrages.

Omnis qui se exaltaverit, humiliabitur. Matth. 23.

OMnis superbiæ DEUS hostis, sed major majoris. Quæ verò major potest esse quàm cùm vilissimus subditus non vult se Principis maximi subjicere voluntati? jubet Rex, fac hoc, & quidem non gratis, non vult, cùm in gratiam alterius vilis hominis etiam cum suo damno promptè faciat. Hoc in omni peccato reperitur, mavult homo obedire dæmoni, affectui, &c. quàm DEO. Hinc etiam DEUS istos superbos justè deprimit, de qua depressione erit sermo præsens.

Inprimis, non vult ut eum peccator alloquatur tanquam indignus qui audiatur. Basil in Ps. 32. *Rectos decet collaudatio. Quemadmodum enim pedi obtorto atq; obliquo calceus non admodum probè aptatur, sic obtortis cordibus Divina laus minimè convenit. Quamobrem existimo dæmonum oribus ut de Servatore indignè loquentibus ad eum manifestandum ablatam fuisse potestatem.*

testatem. Et pythonem increpat Paulus ut ab impuro Sanctus cōmen detur. Tale quid & peccatori dicit DEus, quare tu enarras justitias meas? Sed quod est pejus etsi oret peccator à peccato liberari non semper liberatur. Greg. lib. 4 in Reg. cap. 2. *Quibus peccata dominantur, per se ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam sæpè ad Dominum cum precibus veniunt, liberari petunt, sed exaudiri non possunt. Divino siquidem judicio cum iis agitur, ut qui noluerunt mala vitare cùm possent, non possunt vitare cùm volunt, & qui sponte incurrunt mala præcognita, fugere non possint experta.* 1. Reg. cit. *Clamabitis in die illa à facie vestri Regis quem elegistis vobis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.* Hoc est deliberatè peccare. Gravius adhuc aliquid dicit Ps. 108. *Oratio ejus fiat in peccatum.*

Alterum est quia rejectus homo à DEO, efficitur membrum dæmonis. Bern. in capite jejunii serm. 1. *Abscissus à corpore Christi Sathanæ miser incorporabor.* Cùm verò fit membrum dæmonis, ejus spiritu agitur. S. Joann. Ægyptiacus. *Si sint vitia in corde nostro, cùm venerit princeps eorum diabolus quasi proprio authori dant locum & introducunt eum velut ad possessionem suam.* Hinc tantopere contemnit Christus peccatores, ut eos vocet canes, lupos, porcos. Et DEUS per Ezech. scorpiones: per Isai. asinos, struthiones: per Davidem, equos, mulos, tauros, aspides, basiliscos: per Job, tigres. Judam Christus vocavit diabolum. *Unus ex vobis diabolus est.* Hinc Sophon. 2. *Hæc est civitas gloriosa habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo, Ego sum & extra me non est ampliùs alia, quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? Omnis qui transit per eam sibilabit & movebit manum suam.* Scilicet illudendo. Unde à DEO velut dæmon abjicitur. S. Bern. in Cant. serm. 69. *Si vidisti Sathanam velut fulgur cadentem de cœlo, quod est, in impetu furoris præcipitatum, & cognovisti de furore DEI, &c. peccaverunt peccatum diaboli, & diaboli sententiâ percellentur.* Pro idololatra reputatur.

Tertull.

Tertull. de idololatria. *Sine dubio idololatriam admittit quicunq; delinquit*, & fit cibus dæmonis. Greg. in Ps. 5. pœnit. in illa verba Gen. 3. Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. *Antiquus enim hostis terram comedit, quia peccatores quosq; in ventrem suæ malitiæ abscondit.* Hinc eos ut cibum in se convertit, & in majora semper trahit peccata. Greg. 25. Moral. c. 9. *In infidelibus & lubricis Paulus Rom. 1. quasi quoddam semen erroris aspexerat, cùm dicebat. Qui cùm cognovissent DEum &c. Sed quod ex hujus seminis errore pullulavit, addit illud. Propter quod tradidit eos Deus in reprobum sensum* &c. *Quia cognoscentes DEum, peccatum superbiæ intelligendo*, & non adorando eum, *commiserunt, cæcantur etiam ne intelligãt quod cõmittunt &c. Prioris ergò peccati merito peccatorũ subsequentium fovea tegitur, ut qui malum sciẽs perpetrat, deindè justè in aliis etiam nesciens cadat &c. nimirum justo DEI judicio augeri culpa permittitur ut ad feriendum altiùs quandoq; cumuletur.*

Cùm ita, se exaltans peccator dejicitur, fit servus pœnæ, sæpè in hoc mundo, semper verò in alio, & fuerit ille Rex vel nescio quis ut vilissimum mancipium castigatur. Nulla enim tam servilis est pœna in mundo, ut est omnis inferno. Nulla hìc latronib⁹, furibus tanta infertur ut illic potentissimis quondam Regibus. Jerem. 25. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea, & propinabis de illo cunctis Gentibus ad quos mittam te, & turbabuntur*, & *insanient*, &c. Isa. 3. *Inebriatus est in cælo gladius meus*, in quæ verba Greg. 32. Moral, 17. *Acsi diceret, quâ irâ feriam superbos terræ perpendite, si ipsos etiam quos in cælo juxta me condidi pro elationis vitio percutere non peperci.* Tertull. de pudicitia. *Deus zelotes est & qui naso non deridetur, scilicet adulantium ejus bonitati & qui licet patiens sit tamen per Isai. 42. comminatur patientiæ suæ finem. Tacui, nunquid & semper tacebo & sustinebo, quievi, velut parturiens. Exurgam & quiescere faciam. Ps. 96. Ignis enim*

præcedet ante faciem ipsius & exuret inimicos ejus, & non solùm corpus, sed & animam dejiciet in gehennam.

Agamus itaque pœnitentiam dum tempus habemus: & qui peccando nos DEO prætulimus in loco quem meremur nos collocemus, hoc est, infra omnes creaturas. Orabat quidam moribundus ut est in Vitis PP. S. Mutium Abbatem, ut sibi vitam à DEO exoraret, quò pœnitere posset. Respondit Sanctus. *Nunc spatium pœnitentiæ requiris? Ubi vitæ spatium implesti? quid faciebas omni hoc vitæ tuæ tempore? non potuisti vulnera tua curare? quin imò & recentiora semper addebas.* Sit nobis in memoria quod ibid. dicebat S. Sylvanus. *Plangamus nos ipsos pe-riùs dum tempus habemus ne cùm fuerit expleta singulis determinata dilatio, tum inveniamur tempus pœnitentiæ exposcere quando jam accipere non meremur.* Tum oculi nostri aperientur, sed non in solatium, videbimus nos nudos, nam opera bona in peccato mortali facta, illæ eleemosynæ &c. Etsi prosint ad hoc ut Deus det sanitatem, fertilitatem & alia in hoc mundo, inclinentq; DEUM ut te magis juvet ad conversionem, tamen vitam non dant æternam, sicut & illa quæ facta quidem cùm homo esset absque mortali, sed mortale illis supervenit, neque de illo acta est pœnitentia vera. Non est autem vera etiamsi quis confiteatur & doleat de peccatis, si dolor non respicit DEUM. Ita dolet qui ideò dolet quia pœnas, infamiam, incurrit ob peccatum. Debet esse dolor propter DEum offensum. Tum videbimus quantum fuerit scelus non servâsse juramenta quibus se quis ad suum obligavit officium, ut v. g. Judices ad ministrandam justitiam, certi Ecclesiastici ad curam animarum &c. Et non faciunt, magis tales peccant, ut docet S. Thom. quàm homicidæ. Vide quodlibet. 1. 9. a. 2. Et rationem dat S. Vincent. Conc. hod. 1. *Quia si faciens contra simplex juramentum plùs peccat, quàm si occidat, quantò plùs si contra solemne juramentum, quod faciunt*

ciunt isti Rectores? & ita si post juramentum faciunt oppositum, scilicet communitatem defraudando, pecunias recipiendo, vel indignos promovendo, semper peccant mortaliter. Sap. 6. *Judicium durissimum his qui præsunt fiet.* Videbimus quod valeat excommunicatio, quam modò multi non æstimant, videbimus quàm sit res horribilis tradi Sathanæ. Refert S. Vincent. loc. cit. quòd cùm cuidam Sacerdoti in Delphinatu fur abstulisset breviarium ex templo, nec sciri posset quis ille esset, Sacerdos tulit excommunicationem nisi intra triduum liber resumeretur, fur interim in arbore fructifera abscondit librum, intra triduum arbor est arefacta. Si hoc in arbore factum, quid fiet in homine? Non sentimus modò hoc pondus, sicut qui est infra aquam non sentit pondus aquæ, sentiemus cùm aquam in vase portabimus, cùm nostra peccata imponentur nostris humeris intra quæ modò mersi sumus.

CONCIO XVIII.

Pro Feria Quarta post Domin. II. Quadrages.

Nescitis quid petatis. Matth. 20.

CHristus ostendebat viam crucis discipulis quâ essent perventuri ad cœlum, at verò Filii Zebedæi aliâ voluerunt cælum consequi, scilicet per Matris preces per quas ad cœlum non pervenitur, jure igitur illis dicitur. *Nescitis quid petatis.* Et interrogantur. *Potestisnè bibere calicem* &c. Sed quare additur, *non est meum dare* &c. de hoc loquemur.

Tria ad salutem nostram requiruntur. 1. Voluntas DEI. Ps. 17. *Salvum me fecit quoniam voluit me.* Et de hac Christus. *Non est meum dare vobis* &c. Dei enim est velle salvare, vos autem me ut hominem solùm consideratis. Hæc voluntas DEI nulli deest. *Omnes homines vult salvos fieri.* Alterum est,

medium seu via quâ salvabimur. Hoc medium generaliter ducit Crucem, & hic omnes virtutes complexus, nam nulla est sine labore, sine cruce. Fortitudo circa difficilia versatur: temperantia frænat appetitum quod non fit sine difficultate, ut experitur qui iram aut voluptatem compescit: Justitia jubet reddere cuique quod illius est, & hic est labor. Prudentia ut ubique juxta regulam rectæ rationis procedatur. Quod etiam est laboriosum. Virtutes vincunt omne peccatum, & sic etiam fuga omnis peccati comprehenditur à cruce. Quod ipsum Gen. 35. Jacob ostendit in figura. *Dederuntq; ei omnes Deos alienos, quos habebant: & inaures quæ erant in auribus eorum, at ille infodit eas subter therebinthum*, per quam arborem crux Christi significabatur sub qua & idola, id est peccata, & ornamenta virtutum latent. Quòd idola sunt peccata, dat rationem Tertull. lib. de idololatria, *quia quicunq; delinquit idem facit quod idolorum mancipes faciunt, certè juxta S. Paulum. Avaritia est idolorum servitus.* De luxuria patet ex Tertull. loc. cit. *Idos græcè formam sonat, ab eo per diminutionem idolum deductum æquè apud nos formulam fecit. Igitur omnis formæ vel formula idolum se dici exposcit.* Hoc idolum adorat luxuriosus. Simile est de aliis peccatis. Tertiò requiritur ad nostram salutem ut homo ipse velit salvari. Non vult autem, qui non incedit per viam Crucis quam unicam ostendit Christus, & nemo aliam potest ostendere. Et qui aliter petit salvari, dicetur illi, *Nescitis quid petatis. Non est meum dare* &c. Sed quibus ordinatum à Patre, qui non aliter vos vult salvare quàm per medium quod Christus ostendit, jam hinc quæramus.

An etiam salvabuntur illi qui volunt quidem salvari, sed tepidè. Cavent quidem graviora peccata, verùm non admodùm student virtutibus, venialia non vitant? Respondet Greg. Pastor. p. 3. *Altos gurgites fluviorum parvæ sed innumeræ replent guttæ pluviarum: & hoc agit sentina latenter excrescens quod patenter*

tenter procella sæviens. Minuta sunt quæ erumpunt in membris per scabiem vulnera, sed cùm multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut unum inflictum grave vulnus necat. Nonnunquam in parva deteriùs quàm in magna culpa peccatur, major enim quò citiùs, quia sit culpa, agnoscitur, eò etiam celeriùs emendatur: minor verò dum quasi nulla creditur, eò pejùs quò & securiùs in usu retinetur. Certè nulli debet DEUS cœlum propter venialia. Proverbiorum 8. *Qui mollis est & dissolutus in suo opere, frater est sua opera dissipantis.* Ob venialia quidem nemo damnatur, sed sicut calor disponit lignum ad ignem, ita disponunt mortales ut homo vel unâ scintillâ tentationis vel occasionis accendatur.

Sed si quis nihil unquam pateretur, an posset sibi salutem promittere? Resp. Luc. 16. Dictum Epuloni. *Recepisti bona in vita tua.* De quo Greg. Pastor. p. 3. *Idcircò enim bona hìc recepit & malus, ut illic pleniùs mala reciperet.* Quia DEUS in hac vita aliquibus merita solvit, sicut è contrà aliquorum peccata punit. Ipsa etiam prosperitas excæcat. Idem in Ps. 5. Pœnitent. *Sicut cordis oculos flagella aperiunt, sic mentis aciem successus prosperi retundunt, ut seipsam cognoscere mens non valeat quam prosperitatis mundanæ oblectatio captivat.* Si non agnoscit sua peccata, de illis non aget pœnitentiam, si non aget, peribit. Prov. 1. *Prosperitas stultorum perdet eos.* DEUS dicit. *Ego quos amo castigo.* Ex quo S. Bern. serm. 42. in Cant. *Si ergo te zelus deseruit, & amor, qui indignus castigatione censeris. Vides, quia tunc magis irascitur DEUS cùm non irascitur. Misereamur inquit impio & non discet facere justitiam.* O quàm infelices sunt quos DEUS permittit ire in adinventionibus suis? E contrà afflictio est signum salutis. Greg. Past. p. 3. *Nisi correctis hæreditatem dare disponeret erudire eos per molestias non curaret.*

Cur Christus non ostendit nobis viam molliorem ad cœlum?

lum? Quia si in mundo nihil mali nobis sustinendum esset, cœlum non curaremus ac proinde in æternum miseri essemus. Præterea si lapis fieri deberet arbor id illi non sine difficultate eveniet, deberet enim niti versùs cœlum crescendo, emolliri ut ab humore penetrari posset, in quo deberet suam naturam vincere. Si arbor deberet fieri animal, deberet se loco movere ad partum quærendum, deberet dolorem posse percipere, in quo à natura priore opus esset recedere. Nos Christus attollere constituit ad hoc ut similes simus Angelis, ut corpus sit incorruptibile, quodammodò spirituale, ut anima nostra quodammodo Deificetur. Quod jam in hac vita per amorem incipimus, S. Bern. lib. de diligendo DEO. *O amor castus & sanctus, ô dulcis & suavis affectio. Sic affici Deificari est.* Et non debemus multa contra naturam eorum ex quibus constamus sustinere? Est terra in nobis ut in lapide, est mixtura elementorum ut in arbore, est animalitas, est natura humana, per peccata facta similis jumento, fieriné potest cùm in similitudinem Angelorum mutandi sumus, ut id fiat sine variis actionibus & passionibus? Aqua in vinum non mutatur nisi in vite variè coquatur, recoquatur, solem patiatur. Cuprum aut aliam materiam ut mutet Chymicus in aurum, quoties igni solvit, malleo tundit, in pulverem aquis ardentibus macerat &c. Deprecemur cum S. Bern. serm. 42. *Ne DEUS parcat malleo, ne misericordiam ostendat nos non castigando. Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista est. Sepias mihi vias justitiæ, &c. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, at illâ irâ quâ corrigis devium non quâ extrudis de via &c. Non cùm nescio, sed cùm sentio te iratum tunc maximè confido propitium, etenim cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis.*

CONCIO XIX.

Pro Feria Quinta post Domin. II, Quadrages.

Homo quidam erat dives. Luc. 16.

SI cui offerentur duæ cistæ ut unam ex illis eligeret, una, parva, deformis, malè concinna, levis, &c. Altera grandis, gemmis & serico vestita, ponderosa, &c. quam svaderetis illi eligendam? Certè hanc posteriorem at si DEUM consuleretis qui novit quid in illis lateat, suaderet illam aspectu viliorem quia in majore sunt tantùm rudia saxa, in minonore una gemma quæ totius orbis opibus æquivalet. Isa, 1. Duo scrinia nobis hodie proponuntur. Dives & Lazarus, uterque vixit paulò ante tempora Christi, uterque Judæis notissimus. Et ut Euthymius ex traditione Hebræorum. Divitis nomen Nivensis, sed à Christo non nominatur utpotè damnatus. Ps. 15. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Eligite quem ex his velitis imitari, & quam cistam accipere. Ego vobis cistas aperiam.

Fuit Dives cista splendida, *induebatur purpurâ & bysso.* Sed quid in illa? cor saxeum, cor durum erga Lazarum, Quid ampliùs? idolum. *Quorum DEUS venter est.* Quid ampliùs? nihil. In cista ornata hæc fuerunt. Quia ubi cultui servitur corporis nimiùm, nihil boni est in anima. Ambr. lib. 1. de Virginibus quæ faciem pingunt. *De adulterio vultûs meditantur adulterium castitatis.* S. Bern. declamat. *Ut exercitii spiritualis & curæ cordis indicium est evidens, contemptus exteriorum: sic eorum sollicitudo certum nihilominùs signum mentis incultæ.* Sub hoc ornatu cor saxeum. Qui enim famentem præterit, de illo Basil. serm. 3. in Divites avaros. *Faciem hanc corporis miseram qui connivens præteribit quasi dignus mulctâ quod crudelitatis genus*

genus prosequi dicetur? quomodò inter immanissimas feras non connumerari ut execrandus ac hominum interfector dignus erit? Qui enim morbo periculoso si licet non occurrit, eâdem quâ ille qui sibi manus offert pœnâ damnabitur. DEUS dedit multum divitibus, ut partem ex eo dent pauperibus. Si ergò Pater mensam lautam pararet, eamque committeret Filio majori, ut ex ea minoribus distribueret, illa verò omnia in suum solius servaret usum, & fratres fame perirent, idem est de vestibus, &c. an non illorum crudelis fratricida esset? Basil. serm. 1. in div. avaros. *Cui facio injuriam, inquis, si mea retineo, conservoq; ? Qualia dic mihi tua? unde hæc veniens in vitam tulisti? &c. Non tu peculator cùm ea quæ ad dispensandum distribuendumq; receperis tibi propria facis? Qui enim vestem diripit spoliator nominatur: qui autem nudum non texerit, modò possit, alterius cujusdam appellatione nominis dignus erit. Esurientis panis est quem retines, nudi est vestis quam in arca custodis, discalceati calceus est qui apud te marcescit, egentis aurum quod tu in terra fodis. Deniq; tot affers injurias hominibus quot deseris cùm juvare possis.* Nec verò iste sensus solius est Basilii. Idem Salvian. lib. 4. ad Ecclesiam. *Perfidiæ pœna debetur ei qui negaverit DEO quæ sibi ab eodem commodata &c. Christus esurit & tu delicias affluentibus paras. Christus etiam aquam sibi deesse queritur, & tu &c.* Sed debet eleemosyna dari ex benè acquisitis. Greg. lib. 7. epist. 111. *Non eleemosyna reputanda est si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur.* Eccli. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperũ quasi victimat Filium in conspectu Patris.* Addit Gregor. loc. cit. *Quantus autem dolor sit perpendamus si in illius conspectu Filius victimetur? & hinc facilè cognoscitur quantus apud DEum dolor exasperatur, quando illi sacrificium ex rapina tribuitur.*

Jam ad idolum quod in hac pretiosa cista latet. Tertull. de bono pudic. *Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem, an*

hoc levius crimen dicimus quàm immolare Baccho? mihi videtur multò graviùs si rem rectâ ratione velimus expendere. Ad idololatriam illam cogit hostis Christi, hic amicus &c. Chrysost. tom. 10. hom. 29. *Verè ebrietas voluntarius est dæmon, & graviùs quàm dæmon mentem obtenebrat.* Videamus jam ritus idololatriæ hujus, optimè illos descripsit Tertull. lib. de jejunio. *DEUS tibi venter est, & pulmo templum, & mensa altare, & Sacerdos cocus, & S. Spiritus nidor, & condimenta charismata, apud te charitas fervet in cacabis, fides in culinis calet, spes in ferculis jacet, quis sanctior inter vos nisi qui in convivio frequentior? immemores estis pingvem Christianum ursis & leonibus fortè quàm DEO magis esse necessarium.* Quis hujus sacrificii finis? sit ex eodem ibid. *Monstrum habetur libido sine gula.* Quod ipsum Greg. lib. 5. in Reg. c. 6. *Qui abundanter carnem reficit luxuriæ gladium in mentem mergit.* Epulabatur quotidie, ubi jejunia ab Ecclesia præscripta: fortè in illis obtinuerat dispensationem. Sed S. Bern. epist. 6. *Utinam non licentiam quæsissetis sed consilium, id est, non ut liceret sed an liceret. Unde tamen quærebatis licentiam, ut liceret quod non licebat? Facere itaq; volebatis quod non licebat. Sed quod non licebat malum erat. Mala igitur erat intentio quæ in malum tendebat.* Et addit epist. 88. *Extorta seu coacta licentia non est licentia sed violentia.* Jejunandum est subinde fideli qualis iste Epulo fuit, quales nos sumus Christiani, sed quod nobis subtrahimus, si DEO jejunamus, dandum est pauperi. Zach. 7. *Cùm jejunaretis & plangeretis, nunquid jejunâstis mihi?* In quæ verba Greg. hom. 16. *Sibi quisq; jejunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.*

Quò tandem hæc arca devenit. Spoliata est omni decore, & cum iis quæ continebat abjecta in inferni ignem. Jeremiæ 19. *Sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut con-*

teritur vas figuli quod non potest ultrà instaurari, & in Tophet sepelietur. Servivit idolo, sepelietur in Tophet, in quo loco homines vivi cremabantur idolo. Circa hoc sepulchrum ponentur insignia ejus crateres, sed vacui, &c. Ezech. 32. *Qui descendunt in infernum cum armis suis, & posuerunt gladios sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum.* Apposita sunt arma Epulonis ejus Mausolæo. Ossa Sanctorum replentur sanctitate, illius repleta sunt iniquitate. Ductus est cum processione longa ad hoc sepulchrum Isai. 14. *Infernus subtus te conturbatus est, in occursum adventûs tui suscitavit tibi gygantes.* Cum quali cantu. *Et tunc dicent, vulneratus es sicut & nos, detracta est ad inferos superbia tua, quia noluisti obedire præceptis Domini DEI tui.* Diliges proximum &c. Qui spectatores hujus funeris? & cœlum & infernus. Greg. hom. 40. *Ad pœnam suam diviti & cognitio servatur ex memoria &c. Ut ergò peccatores in supplicio ampliùs puniantur, & eorum vident gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœna torquentur quos inutiliter amaverunt. Credendum verò est, quòd ante retributionem extremi judicii, injusti in requie quosdam justos conspiciunt, & eos videntes in gaudio, non solùm de suo supplicio, sed etiam de illorum bono crucientur. Justi verò in tormentis semper intuentur injustos, & hinc eorum gaudium crescit quia malum conspiciunt quod misericorditer evaserunt &c.* Compassio non erit.

Jam ad aliam cistam. Hæc vilis, vix lacernis contexta, jacet in sterquilinio, tota sanie & spurcitiis perfusa, pedibus divitis protrita, sed in ea gemma, id est DEUS. Hanc cistam Angeli ambiunt, Abraham & limbus Patrum desiderat. Ipse dives deinde coram illa supplex cadit. Exornata intùs summâ patientiâ & humilitate, jam à Lazaro DEUS removit mortem in perpetuum. Jam induit illum omni decore. Dedit illi gaudium sine tristitia, pacem sine turbatione, libertatem, abundantiam

denciam &c. Eligamus vel ex cista divitis sumere idola & cor lapideum; vel ex Lazari patientiam cum DEO. Eligamus vel inebriari ab ubertate domûs DEI, vel guttam defluentem ex digito mendicare. Hieron. ad Eustochium. *Quis Sanctorum sine certamine coronatus?* Chrysol. serm. 21. *En fratres quàm rerum mutatio lamentanda! pauperem portant Angeli, Divitem devorat infernus. Mors pauperis totam vitam divitis vicit. In obsequium quidem illius tota civitas migrat cùm funus effertur. &c.* Idem serm. 122. *Mitte inquit in domum Patris mei. &c. Tardè eum ad domum invitas quem toto tempore tuis incumbentem januis non recepisti. Induebaris purpurâ, pauper labore: fundebas vina, ille lachrymas: tu satur projiciebas panes, micas pauper esuriens non habebat: pascebas canes oblatrantes pauperi ferculis tuis, quos pauper vulneribus suis pascebat. Ægrotabat ille corpore, tu mente. Cur non de ejus vulnere sumpsisti medicinam, de lachrymis pœnitentiam, de patientia exemplum, de fame misericordiam? Ille ergò portatus est ab Angelis ubi eum tua ampliùs non possit ferire crudelitas: tu autem sepultus es in inferno, miser qui priùs animæ quàm corporis accepisti sepulchrum. Illum mors ad vitam, pœna ad præmium, ad cœlum terra, egestas ad regnum provexit: te splendor ad cæcitatem, sublimitas ad ruinam, unguenta ad fœtorem, purpura ad infernum perduxit.*

CONCIO XX.

Pro Feria Sexta post Domin. II, Quadrages.

Malos malè perdet &c. Matth. 21.

NIhil magis incitat militem ad laborem, quàm si Dux illum intueatur: Nihil servum quàm si Dominus, & hoc ipsum in aliis statibus. Hoc ipsum evenit hominibus si aspicientem sua facta cogitent DEUM, quod si hoc non fecerint,

rint, ruunt in ſcelera, & tandem merentur ne ampliùs illos DEUS aſpiciat, quod conſtitui ex hodierno Evangelio oſtendere.

Ut exprimeret Chriſtus quantùm amârit DEUS Synagogam, appellat illam vineam quam ipſe plantavit, quia ſi homo ſuâ manu plantet vineam aut hortum, ſemper de illo cogitat, quâ de causâ Deut. 20. liberat eos lex à profectione in bellum qui vineam plantaverunt. Addidit illi ſepem legum Iſa. 58. *Vocaberis ædificator ſepium avertens ſemitam iniquitatis.* Poſuit in ea torcular, altare in quo ſangvis extorquebatur victimarum, Ædificavit turrim id eſt templum elocavit agricolis, primoribus Sacerdotum, miſit ſervos ut fructum reciperent, hoc eſt Prophetas. At illi Iſaiam ſerrâ ſecuerunt. Amos cùm in Samaria prophetaret, Amaſias Sacerdos frequenter flagellavit, & Filius ejus Ozias vecte adacto per tempora occidit. Miſit rurſum Jeremiam, Ezechielem, Abacuc, & alios, & iſtos occiderunt. Tandem miſit filium, hic eſt hæres, hic eſt Meſſias, occidamus. Agnoverant enim ab initio Chriſtum eſſe Meſſiam unde Nicodemus Joann. 1. *Magiſter ſcimus quia à DEO veniſti.* Nam videbant tempus adventûs Meſſiæ completum eſſe. Videbant in Chriſto completas eſſe prophetias. Joannem magnifaciebant qui teſtatus Chriſtum eſſe Meſſiam, ita aſſerunt omnes gloſſæ tam literales quàm allegoricales, ut aſſerit S. Vinc. conc. craſtinâ. Sed cùm ille fructus exigere cœpit, cùm exprobrare peccata, &c. malitiosè noluerunt illum recipere in Meſſiam, & occidere conſtituerunt. Deſcriptum eſt hoc totum longè antè Sap. 3. *Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam DEI habere ac filium DEI ſe nominat &c.* Venite occidamus eum & habebimus hæreditatem, ſcilicet decimas,

cimas, victimas. Ejecerunt eum, quia extra Jerusalem crucifixerunt. Propterea Christus proponit illis hoc ipsum sub parabola, ut eos ex ore illorum judicet & certè contra se dederunt sententiam. *Malos malè perdet &c.* Approbavit hoc ipsum Christus, *Auferetur à vobis regnum DEI* &c. Quomodo ad hanc malitiam pervenerunt. Quia DEUM putabant peregrè profectum. Abstulit ergò illis, templum sacrificii &c. Nec ampliùs illorum misereetur quamvis orent, plorent, jejunent. &c. Jer. 7. *Ite ad locum meum in Silo ubi habitavit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël.* Tradita est Gentibus Silo, tradita Gentibus terra sancta. Elocavit vineam aliis, id est transtulit fidem ad Gentes. Sed dum ex Gentibus fructum non recepit, tradidit tres Patriarchias Turcis, regna aliqua Europæ Spiritui erroris, ubi fides Ægypti, Scythiæ, Africæ, &c.

Si hæc facit cum regnis integris etsi adhuc fortè aliqui boni reperti in illis fuissent, etsi antea in illis fuerint magni & multi Sancti, quid de te fiet anima mea, cùm & tu sis vinea illius, ad te misit tot servos, Concionatores, instinctus, &c. Et non est in te fructus imò per peccata non desinis Christum occidere. Potest DEus de lapidibus excitare filios Abrahæ, & loco tui substituere. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur* &c. Cùm ædificaretur templum omnes lapides extra Jerusalem aptabantur, repertus unus pulcherrimus, sed dum aptaretur semper fiebat major aut minor, & tandem illum reprobaverunt ædificantes, sed cùm templum perficeretur optimè quadravit, ut in summitate anguli poneretur, & duos parietes jungeret. Unde dixerunt. *Mirabile est in oculis nostris.* Per hunc lapidem significatur Christus qui Judæos & Ethnicos velut duos parietes conjunxit. Reprobatur à Judæis. *Dæmonium habes, manducas cum peccatoribus* &c. Væ homini

qui cadet ſupra hunc lapidem, quia confringetur ſed ſupra quem lapis ceciderit conteret eum. Chriſtus in eum feret ſententiam conteretur in pulverem, intellectus, *non eſt ſcientia apud inferos.* Memoria doloribus de amiſſa occaſione ſalutis. Voluntas obſtinatione, viſus, auditus, &c. Jerem. 17. *Induc ſuper eos diem afflictionis & duplici contritione contere eos Domine DEUS noſter.* Hæc etiam Sanctos terrebant, quia alia ſunt judicia DEI, alia hominum. Putamus nos aliquando fructum facere & dare vitem DEO cùm ſit labruſca. Agimus acque ſi DEUS eſſet peregrè. Greg. 25. Moral. cap. 8. in illud Job. *Innumerabiles ſtare faciet pro eis. Vel multitudinem ſtuduit exprimere reproborum quæ humanæ rationis numerum tranſit; vel certè indicare voluit, quòd omnes qui pereunt intra electorum numerum non habentur, & eò ſint innumerabiles, quia extra numerum currunt. Pſ. 39. Multiplicati ſunt ſuper numerum, acſi diceret. Multis Eccleſiam intrantibus, etiam hi ad fidem ſpecie tenùs veniunt qui à numero regni cœleſtis excluduntur, quia Electorum ſummam ſuâ multiplicitate tranſcendunt.* Non blandiamur nobis ex eo quia ſumus in vinea, in Eccleſia, ſi fructus non facimus. S. Bern. de Converſ. ad Clericos cap. 17. *Palmes qui fructum non fecerit, excidetur. Virgo cui defecerit oleum à nuptiis excludetur. Qui bona receperit in hac vita cruciabitur in futura. Anima quæ peccaverit ipſa morietur: Quod ſi fortè contingat in uno quolibet ſimul hæc quatuor inveniri, ea planè extrema deſperatio eſt.* Quocirca id. ſerm de tripl. cuſtodia. *Nemo veſtrum fratres parvi æſtimet tempus quod in verbis conſumitur otioſis. Siquidem tempus acceptabile eſt & dies ſalutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit inſipiens quid amittat. Libet confabulari ajunt donec hora prætereat. O donec prætereat hora, ô donec pertranſeat tempus! Donec hora prætereat quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam ad acquirendam*

rendam gratiam, ad gloriam promerendam, miseratio Conditoris indulget, &c. Interea fructus non offertur. Scimusnè dimissa nobis peccata? non reprehendit nos cor nostrum? B. Isaias Abb. dixit. *Cor tuum securum non poteſt eſſe priùs quàm accedas ad judicium.* Quo abſoluto tum ſcies quòd lapis in te non cadet, nec tu in lapidem. Eccl. 9. *Sunt juſti atq; ſapientes, & opera eorum in manu DEI, & neſcit homo utrum amore ſit dignus ac odio.* Siquidem ut Pſ. 18. *Delicta quis intelligit?* Si deſunt fructus locabit vineam ſuam aliis agricolis, illi reddent ei fructum juſtitiæ de nobis, id eſt dæmones, cùm nos fructum benedictionis & ſanctificationis reddere noluerimus.

CONCIO XXI.

Pro Sabbato poſt Domin. II. Quadrageſimæ.

Pater peccavi in cœlum & coram te. Luc. 15.

DUos filios creatos habet DEUS. Juſtum, & hic eſt major natu, quia priùs homo fuit in juſtitia ſeu gratia quàm peccaret. Minor natu eſt peccator, quia poſteriùs quàm gratia peccatum intravit in mundum. De priore pauca hoc Evangelium, poſterioris mores & actiones deſcribit. Omiſſo quocirca majori, minorem ad conſiderandum proponam.

Imprimis junior accedit Patrem. *Da mihi portionem,* ego ſciam ſine tua directione illâ uti. Ecce *Superbia* quæ eſt *initium omnis peccati.* Quid hic boni ſperandum? Greg. Mor. 30. c. 17. *Ipſa vitiorum regina ſuperbia cùm dejectum plenè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis quaſi quibuſdam ſuis ducibus devaſtandum tradit, quos videlicet duces exercitus ſequitur, quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur.* Non vis ſuperbe legibus DEI ſubjici, ſervus eris peccatorum.

catorum. Et jam intrat avaritia. *Da mihi portionem.* Peccatoris non alia est portio quàm bona temporalia quia ut idem Greg. 32. Moral. 7. *Superbos justo judicio Dominus in pulvere abscondit, quia eorum corda, ipsis quæ despecto amore Creatoris eligunt, terrenis opprimi negotiis permittit.* Et dat illis DEUS ad suam bonitatem ostendendam, & illorum malitiam. S. Basil. serm. 1. in divites avaros. Ubi quærit. *Cur abundavit ager hominis nihil boni ex copia facturi?* Et respondet. *Ut major profectò DEI benignitas appareret, & usq. ad tales ejus bonitas extenderetur &c. Ut iniquos ad pœnitentiam diu expectatos quantò pluribus provocat beneficiis, tantò majoribus atq. justioribus ad extremum afficiat pœnis.* Sequuntur & reliqua peccata, ut luxuria. S. Nilus Abb. orat. 8. *Superbia est animi tumor sanie plenus, qui si maturuerit in magnum erumpit fœtorem.* Sequitur ira & aliæ pestes, quibus cùm homo est correptus abit *in regionem longinquam.* Recedit à DEO, non loco, quia DEUS ubique est, sed eo modo quo dicimur ab alicujus recedere amore. Ibi pascit porcos, imperat ipsi bestialis appetitus, ad quem amissis bonis omnibus & externis & gratiæ, se dejicit. Sed fames in illa est regione. S. Bern. in declamat. *Vidi ego aliquando quinq. viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulfureo adstans lacui exhalantem teterrimum fœdissimumq. gestiebat haurire vaporem. Porrò tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus faucibus excipere lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, & si quò minùs influere videretur, flabello ventum ipse sibi ciebat, ac si totum speraret aërem deglutire. Quintus seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoq. ridendus & maximè, proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere gestiebat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus*

ratus homines causam miseriæ sciscitatus à singulis, unam omnibus reperio, validissimam utiq; famem. Avarus terram vorat, luxuriosus vaporem, iracundus scintillas, ambitiosus äerem, acediosus suæ carni indulgens fugit eam, sed nunquid satiatur? Quære ex quolibet an non esuriat? quia non arenâ, scintillis, fames nostra expletur. Edet quantum volet quis de siliquis porcorum non extingvet famem. Terra data est vermibus, ignis pyraustis, aer insectis volantibus, non nobis in cibum. Cũ nobilis ad bestias damnatur manet in eo appetitus ad patriam, neq́ue in nobis extinctus est licet in terram ex paradiso in bestiarum locum ejecti simus. Hic status est hujus Filii, hic status peccatoris.

Quid agam? *Revertar ad Patrem meum.* Non deserit Deus licet deseratur, dat instinctus. Bern. serm. de Septem Spiritibus. *Quoties super castigando corpore, humiliando corde, servanda unitate, & charitate fratribus exhibenda, seu cæteris virtutibus acquirendis, conservandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, Divinus sine dubio est spiritus qui loquitur aut per seipsum sanè aut per Angelum suum.* Illi in cor ponit, abstine ab his occasionibus, alteri relinque ista, redde alienum, alteri, statum Religiosum amplectere, quod si homo non audierit, venient supra illum pœnæ quæ venerunt contra Regem Joakim qui jussit monita & prophetiam Jeremiæ exuri Ps. 57. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ obturantis aures suas.* August. ait dum incantator vult evocare ex suo antro aspidem, illa unam aurem lapidi applicat, alteram claudit caudâ ne audiat, *Induraverunt facies suas supra petras & noluerunt reverti.* Vocat te DEUS, & non audis. S. Bern. in declam. *Cui id Judæo negares o homo? qui in vanum accepisti nomen Domini nostri JESU Christi? cui sacrilego dare quidquid habes pro centuplo cunctareris? &c. Obtemperandum ei per omnia etiamsi oportue-*

rit ipsum Isaac immolari &c. oblatus est Isaac, sanctificatus non mactatus &c. securus esto, non Isaac sed aries morietur, non peribit lætitia (id significat nomen Isaac) *sed contumacia cujus utiq; cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatum esse non possunt. Tentat enim te D. DEUS tuus, nec mactabitur Isaac ut opinaris, vivens vivet. Sed elevatus est utiq; super ligna, ut in sublime gaudeas.* Sed inquies? Convertar sed non modò. Basil. exhort. ad Baptis. *Tu te considera, in examine trutinaq; tuam positam animam esse, hinc ab Angelis inde à dæmonibus abstractum esse meditare, quibus cordis lancem inclinabis, quid apud te vincet, carnisq; voluptas? &c. Quando membra langvent tunc DEO potissimum offerre studes, cùm scilicet ob ingruentem & invalidam senectam his uti ampliùs non licet, quo maximè tempore pudicitia seu temperantia vocari non potest, sed lasciviendi potiùs & luxuriandi facultas adempta &c. Mortuus enim minimè coronatur, nec justus aliquis dicitur cui malefacere non licet &c.*

Revertamur quàm primùm ad Patrem, relinquamus porcos, protensis nos in amplexum brachiis Pater expectat, exeamus ex terra famis. 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis & justus est DEUS, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate nostra.* O quàm bonus DEUS! quis Rex cum amplexu occurreret illi qui suum Filium occidit? *Proferte stolam primam* reddit gratiam amissam. Dicit DEUS Jer. 3. Anima, *fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, & suscipiam te,* facta es adultera per peccatum, non tibi hoc oberit, dummodò revertaris. Recipies annulum, merita quæ per peccatum sunt mortificata, reviviscent, gratulabitur redeunti cælestis curia & diem lætum aget. Ps. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam.* Greg. hom. 19. in Ezech. hæc ita exponit. *Quia sic pœnitentes,* qui sunt cinis, *recipit ut justos,* sapidè ut famens panem, & intra viscera sua condit. Recipiet nos in Filios

lios, si filios & hæredes adoptivus nomen & familiam adoptantis consequitur, hæreditatem, honores. Concil. Trident. sess. 6. c. 4. *Justificatio est translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum DEI per secundum Adam Christum JESUM*; ita ut si per impossibile ut ait Nieremberg de gratia lib. 2. cap. 4. moreretur DEUS sine filio naturali, adoptivus succederet. Proinde 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater, ut Filii DEI nominemur & simus!*

CONCIO XXII.

Pro Domin. Tertia Quadrag. Prima Concio.

Erat JESUS ejiciens dæmonium. Luc. 11.

QUando Divini Verbi generationem S. Joannes describebat usus est verbo *erat* quod est non absoluti temporis sicut *fuit*; sed significat non absolutum negotium, sicut, *faciebat, pingebat* &c. quod non exprimit, utrum jam fecerit, pinxerit; quia nostræ actiones sunt in tempore, unde potest illis addi, *est, fuit, erit*: at verò Filii DEI generatio est in æternitate ubi non *est, fuit, erit*, sed semper est: undè non ita genuit DEUS Pater Filium ut jam gignere desierit, sed semper genuit perfectè & semper gignit, & ad hoc exprimendum nullum commodius verbum quàm *erat*; Sed etiam verbo eodem hodie utitur S. Lucas. *Erat JESUS ejiciens dæmonium* quia *ad hoc venit Filius hominis ut destruat opera diaboli.* Tota vita ejus in hoc ut dæmonem ejiciat. Rogabo vos ne dæmonem quem ille ejicit, retineatis.

Velut castrum quoddam dedit nobis DEUS animam nostram ad custodiam, hoc castrum ut capiat dæmon, jam famem inducit evocando ab usu Sacramentorum, jam cibos corrumpit ut verbo DEI utamur indevotè, jam canales aquæ obstruit sicut fecit Holofernes oppugnando Betuliam, ne scilicet

licet verbum DEI audiamus, abſcedit ad tempus, ſimulat ſe amicum ſed ſi capiat, inprimis quidquid in ea ſacrum eſt, evertit, pereunt virtutes infuſæ, dona S Spiritûs, jus ad cœlum lacerat, privilegia tollit, ſicut Ethnicus imagines ſacras abolet, ac loco illarum pingit beſtias: hoc eſt imaginationes fœdas, blaſphemas, vexilla ſua erigit, hoc eſt vanitatem in veſtitu: ſilent campanæ, id eſt oratio, cuſtodias ſuas apponit. Verè autem dæmon in peccatorem ingreditur. Apoc. 14. *Babylon facta eſt habitatio dæmoniorum & cuſtodia omnis Spiritûs immundi & odibilis.* Exemplum hujus rei eſt in Juda. *Ingreſſus in eum Sathanas.* Audite quem hoſpitem habetis intra vos qui in peccato mortali hæretis! Exigit præterea tributa, ut omnia illi membra noſtra obſequantur ad ulteriora peccata. Rom. 6. *Non exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis.* Occludit portas, *dæmonium mutum*, non confitetur homo. Aures, fuit hic obſesſus ſurdus. Zach. 7. *Cor ſuum poſuerunt ut adamantem ne audirent legem.* Erat hic cæcus, non vident ſua pericula. Hoc facto *in pace ſunt omnia quæ posſidet.* Oppugnet Concionator veluti igne & malleo. Jer. 23. *Nonne verba mea quaſi ignis, & quaſi malleus conterens petras?* Sed quid ille ad hoc? Job. 41. *Non fugabit eum vir Sagittarius, in ſtipulā verſi ſunt ei lapid. ſ fundæ, quia ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam*; maximè verò ſi homo ejus munitionem augeat, conſvetudinem pro vallo aggerat, pro foſſā deſperationem & contemptum vitæ æternæ, pro muro fugam verbi Divini, pro turribus alienarum rerum detentionem, ipſemet clauſis attendat portis nolens confiteri: ipſemet pontem elevatilem ſublevet bona opera omittendo. *In pace ſunt omnia quæ posſidet.*

Quibus lacrymis ejuſmodi hominem deflebo? deplorabat olim Joſephum Jacob credendo quod illum beſtia devoraviſſet &c. Ecce tum anima ubi? es in Ægypto, pro muſics

tua

tua fercula inſident dæmones: pro ranis iidem inſident le-ctum, hi ſunt cyniphes, hi tenebræ &c. Et maximè ſi dum Chri-ſtus accedit toties, *ego ſto ad oſtium & pulſo*, tu aperire illi po-tes, rejicis, hoſti prodis, quæ ille ad cor tuum dicit, derides. Fruſtraneos facis ejus labores, fruſtra pro te factus Judæis ſcan-dalum, Gentibus ſtultitia. Neſcis, quòd ille ſit vitis tu pal-mes, qui ſi in vite non manet, ſoli igni ſervit aut ſterquilinio, Jer. 2. *Vide quia malum eſt & amarum reliquiſſe te D. DEUM tuum.* Malum relicto Creatore cum tuo carnifice qui te in æternum cruciabit, cohærere. Amarum, præmia tui ſceleris recipere. Quæ non faceres ſi tibi manus eſſet amputanda? &c. Quid te detinet in peccato? ſi voluptas. *Torrente voluptatis* te DEUS potabit, nulla ſimilis eſt in mundo. Si avaritia? poma ſunt ejus arboris quam tibi DEUS totam dabit, aurum ac argentum. Aug. *Quantumlibet ſis avarus, ſufficit tibi DEUS, etenim avarus quærebat terram poſſidere totam, addo, & cælum, plus eſt qui fecit cælum & terram*: hic eſt nummus viliſſimus, ibi theſaurus infi-nitus. Si honores? *Nimis honorati ſunt amici tui DEUS, nimis con-fortatus eſt principatus.* Nonne major eſt diuturnior defectus honor Petro quàm Alexandro magno? Putas miſer quòd tibi ſit bonum eſſe ſine DEO? *Væ animæ audaci*, alloquitur Aug. DEUM. *Væ animæ audaci quæ ſperavit, ſi à te receſſiſſet, ſe melius aliquid habituram. Verſa & reverſa, & in integrum, & in latera, & in ventrem, dura ſunt omnia, & tu ſolus requies.* Faciliùs homo agitatus morbis inveniet quietem, quàm qui receſſit à DEO, ſicut Cain eris ſemper vagus, tremens *Cor impii quaſi olla fer-vens.* Sicut Anaſtaſius Imp. timendo fulmen huc illuc currit, nec evadit. Recurramus ad pœnitentiam: *Surgam & ibo & di-cam Patri peccavi in cœlum.* Faciamus ſicut Potamius Epiſc. Bra-caræ qui author fuit legis ſeveræ contra impuros. Lapſus ipſe aliàs exemplar caſtitatis, occultum ſuum crimen in concilio

quinquaginta Episcoporum & Clero plurimo confessus. Faciamus sicut David, qui confitetur, *Peccavi.* Sed misericors DEUS non requirit à nobis publicam confessionem, satis erit ad unius aurem, sit resoluta, sit cum proposito efficaci quale habere solet qui in Regem peccavit graviter, si pœnas evasit. Restituamus quod alienum tenemus, quia quàm diu illud retinemus procul sumus à DEO. Recedamus ab occasione peccandi, quia qui amat periculum vult perire. Renovemus vitam ut ostendamus nos non agere partes dæmonis contra Christum.

CONCIO XXIII.

Pro Feria Secunda post Domin. III. Quadrag.

Fac & hîc in Patria tua, Luc. 4.

AUdierunt Nazaræi quòd Christus multa fecisset beneficia in civitate Capharnaum, voluerunt ut & apud illos in Nazareth patria sua faceret. Respondit, DEUM non respicere patriam, vel affinitates, sed cui placet, illi benefacere, & ad hoc adducit. *Plures viduæ erant* in patria Eliæ *Isräel* &c. *Plures leprosi* in Judæa Elisæi patria &c. Sed Elias benefecit externæ mulieri, Elisæus externo homini Naaman, quia in illis virtutes reperit quæ in vobis desunt, & quarum vos contraria habetis. Videamus & nos ne similibus vitiis laboremus, & tum sciemus quare nos DEUS orantes non exaudit, quod scitu maximè est utile.

Primò, rogabant aut potiùs exigebant Nazareni ut faceret signa seu miracula quasi ex debito, unde cùm facere noluisset, præcipitare illum voluerunt. Exigebant verò tanquàm illius Superiores. Hîc natus es, habemus in te potestatem nisi feceris, puniemus te, quæ fuit ingens superbia. E contra Naaman cum magna humilitate accessit ad Elisæum, non prodiit ad

eum Propheta, sed per puerum viro tanto respondit, sustinuit: vile præscripsit remedium, lavare septies in Jordane, acceptavit: terram secum detulit, impetratam suis precibus, & hanc terram quam in sua domo Propheta pedibus suis calcaverat, ut eam deinde oscularetur tanquam sacras reliquias & supra caput attolleret. Secundò invidia manifesta est in Nazarenis, fecisti in Capharnaum, fac & hìc, invidebant Capharnaitis at Naaman, &c. Periit Giezi puer Elisæi ab eo talentũ, & mutatorias vestes nomine Elisæi, dedit illi omnia in duplo. Tertiò in Nazarenis deerat fides. De hac clarè Marc. 6. *Non poterat ibi virtutem aliquam facere*, ratio fuit, infidelitas eorum. E contrà Naaman è longinquo profectus ad Prophetam, credidit per medium satis desperatum posse à lepra sanari, nimirum per lotionem in Jordane. Eædem virtutes in vidua, quæ ut dicit Hieron. in tradit. Hebr. fuit mater Jonæ Prophetæ enituerunt. Humilitas, quia statim obsecuta Prophetæ Eliæ, charitas, sibi subtrahendo illud modicum quod habuit dedit egenti. Fides quia credidit in illa fame se non deserendam à DEO. Videamus an istæ sint in nobis virtutes.

Humilitas ita DEUM placat, ut cùm pessimus Achab. 3. Reg. 21. se humiliasset, statim DEUS dixerit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus.* Quia superbus pugnat contra DEUM, & illo se non indigere ostendit ut de illo Job. 15. *Cucurrit adversus DEUM erecto collo, & pingui cervice armatus.* Sed quis sperare potest à DEO aliquid si illi bellum indicit? Superbum describit Greg. 26. Moral. 14. *Quos forte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit.* Nullum putat se ipso esse digniorem apud DEUM. *Cunctis se æstimat ampliùs sapere quibus se videt ampliùs posse. In quodam quippe se culmine constituit apud semetipsum: & qui æquâ cæteris naturæ con-*

ræ conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur, sicque usque ad ejus similitudinem ducitur de quo Job. 41. Omne sublime videt & ipse est Rex super omnes filios superbiæ, ad ejus similitudinem ducitur qui singulare culmen appetens, ait Isai. 14. Ascendam super altitudinem nubium & similis ero Altissimo. Apostatæ Angelo similis efficitur, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Et DEUS sicut Lucifero non dignatur benefacere, ita nec illi qui similis est Lucifero, sicut illum non exaudit, ita & hunc, sicut illum habet pro hoste ita & hunc. Ei verè est hostis qui sibi quæ sunt sua appropiat, superbus verò de illis quæ à DEO mutuò accepit, quasi essent sua se extollit, æquat se DEO, quia DEUS solus habet sua bona à se, ille veluti à se haberet supra alios se effert. Ita Pharisæus. *Non sum sicut cæteri.* Humiliemus nos coram DEO juxta consilium Petri Damiani, quod refert Barry in Hagiophilo Octiduo dissertat. pomerid. die 5. *Videt pavo in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat; ignorat in cauda quod eum mirabilem reddat; te quoq; quod in te est virtutis lateat, si quid verò vitiosum est ab aspectûs tui judicio non recedat.* Est in te nobilitas, eam non aspice, sed tuos actus quos pejores habes quàm plebejus. Sunt in te opes, non vide sed peccata quæ graviora habes quàm rusticus. Est in te doctrina non considera, sed quòd minùs sis devotus quàm alter idiota; est in te forma non adverte, sed quòd curam tuæ animæ non tantã habes ac faciei &c. Et meritò illa non sunt ut tua videnda, quia non sunt tua, sed data à DEO, ut si de illis fructum ei non reddideris, gravissimum sis judicium subiturus. *Potentes potenter tormenta patientur.* Non superbit ex eo eqvus quòd magis sit oneratus quàm alter, nec debitor quòd plura habeat debita. Humilia te coram DEO, terra tota est punctum respectu cœli, quid tu respectu terræ, quid respectu cœli, quid respectu DEI?

Altera virtus est charitas erga proximum. Vis tibi dari de

de DEO Christus te in persona mendici petit, non audis illum, quomodo te ille audiet? quò plures Filios habes: eò sis largior ut DEUM illis Patrem concilies. Si tibi Rex daret mille florenos, & peteret à te unum, negaresne illi? à DEO omnia habes, à te in paupere petit. Nec dedit DEUS tibi bona ut illa serves, sed ut indigentioribus distribuas; si in hoc parvo es infidelis, quomodo tibi tribuet majora quæ petis? Greg. past. p. 3. *Incassum innocentes se putant, qui commune munus DEI sibi privatim vindicant, qui cum accepta non tribuunt in proximorum nece grassantur: quia tot pœnè quotidie perimunt quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt: nam cum qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus non nostra largimur. Justitiæ debitum potius solvimus quàm misericordiæ opus implemus. Unde Christus eleemosynam vocat justitiam* Matth. 6. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Et* Ps. 111. *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Cùm enim largitatem pauperibus impensam præmisisset, non hanc vocare misericordiam sed justitiam maluit. Quia quod à communi Domino accipitur, justum profectò est ut qui accipiunt communiter eo utantur.* Sed inquies satis esse, quòd aliena non appetam. Ad hoc respondet Greg. hom. 40. ubi de Epulone loquitur. *Nemo securum se existimet dicens, ecce aliena non rapio, sed concessis licitè utor rebus. Hoc quoq; fuit quod hunc inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit.* Matth. 25. non dicitur. Ite maledicti quia aliena rapuistis, sed quia esurivi non dedistis mihi &c. Deniq; illud Hieronymi epist. ad Nepotianum præ oculis habendum. *Amico quidpiam rapere furtum est. Ecclesiam fraudare sacrilegium est. Accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis vel cautum esse velle, vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere omnium prædonum crudelitatem superat.*

Tertia virtus est fides, hanc Christus semper requisivit cùm alicui miraculosè esset benefacturus, ut patet ex Evangelio. Sit ergo fides in nobis, sed non solùm verbotenùs. Credisne Christo cùm dicit Matth. 14. *Quærite primò regnum DEI & hæc omnia adjicentur vobis?* facisne sic? quæris scilicet, cùm ad peccata recurris ut per ea, non per inquisitionem regni DEI dederis? usuris vacas, pudicitiam vendis. Credisne cùm petit pauper eleemosynam quòd eam des Christo, quòd eam cum fœnore sit tibi redditurus? Prov. 19. *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis?* Credis quòd pro luxuria sis in æternum arsurus? Bene dixit Ps. 17. *Filii alieni mentiti sunt mihi, Filii alieni inveterati sunt & claudicaverunt à semitis suis.* Quomodo tibi dabit Christus qui illi non credis & tanquam mendacem illum tibi pingis? S. Bern. in Cantic. serm. 24. *Fides sine operibus mortua est* &c. *Bene honoras DEUM munere fœtido, bene placas tuæ fidei interfector! &c. Confiteris te nosse DEUM, factis autem negas. Non rectè certè, sed impiè, lingvam Christo, animam dedisti diabolo.* Ipse te judica an exaudiri mereris? Greg. hom. 26. *Ille verè credit qui exercet operando quod credit.*

Habeamus has virtutes & DEUS nobis non deerit, sicut sol non deest vitro sibi exposito sed per illud non transmittit lucem si multo sit obductum luto, ita ex nobis est ut non exaudiamur, nos gratiæ deſumus non nobis gratia. De cætero Act. 10. ait Petrus, *In veritate comperi quia non est personarum acceptor DEUS.* Sis dives, sis pauper, exaudiet te. Si fueris Princeps ut fuit Jechonias, sed virtute carueris, dicet tibi quod illi per Jer. 22. *Vivo ego, dicit Dominus, si fuerit Jechonias filius Joachim Regis Juda annulus in dextera mea, inde evellam eum.*

Incuriâ Typographi accidit, quòd ordo Concionum hîc sit immutatus; qui taliter est corrigendus. Concio XXIII. *erit sequens: præcedens autem postponatur, & sit* XXIV.

CON-

CONCIO XXIII.

Pro Domin. Tertia Quadrag. Altera Concio.

Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus Luc. 11.

NOn libenter silet dæmon. Olim in oraculis, quotidie loquitur nobis in suggestionibus. Illius sunt voces, non restitue mendicabis ipse, saltem differ ad testamentum, qui autem sic differt cùm possit restituere, damnatur. Vindica te, aliàs contemneris. &c. Itaque cùm silet majus damnum nobis intendit quàm si loqueretur, conabor detegere quid ille siluit hodie.

Nec multùm moror, arbitror id siluisse quod Christus patefecit, *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Intelligemus hoc tali similitudine. Rex quidam ditissimus constituit accipere uxorem; offerebantur plures divites, nobiles, formosæ. Accepit filiam Agricolæ, deformem, pauperem, ignobilem: nobilitavit, ditavit, & illa eo rejecto maluit carnifici nubere. Christo offerebantur Angeli, *nullum apprehendit Angelorum sed semen Abrahæ*, filiam Adæ, agricolæ. Pauper fuit & ignobilis, plus in eam impendit quàm in totum cælum. S. Th. 1. 2. q. 113. a. 5. *Majus opus justificatio impii quàm creatio mundi.* In creatione, *dixit & facta sunt* hìc verò quanta! De cælis ait Ps. 8. *Videbo cælos opera digitorum tuorum.* Cælum est digiti opus; at verò peccato remisso sanctificare animam totius dexteræ DEI est labor. Ps. 76. *Dixi nunc cæpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Ibi suffecit dixisse verbum. Ps. 37. *Verbo Domini cæli firmati.* Hìc verò totâ opus manu. Ps. 143. *Emitte manum tuam de alto, eripe me.* Repudiavit, conculcavit homo Christum, nupsit dæmoni, an non meretur ut ejus *novissima fiant pejora prioribus*? Ambr. in Ps. 115. *Ille Christum conculcat qui absque timore peccat.* Quare Chrysost. *Qui te non amat quia illum cre-*

asti, dignus est inferno: qui te non amat quia illum redemisti, mille dignus infernis, meliùs illi si natus non fuisset, si non redemptus. Sed quomodo potest homo nubere dæmoni, cùm nuptiæ non sint nisi in eadem specie? Simili modo atque potest DEO. DEUS ut homo illi nubat facit illum consortem suæ Divinæ naturæ: similes dæmon facit suæ. Unde Christus de suis dicit, *Qui ex DEO est verba DEI audit*. De sponsis dæmonis, *Vos ex patre diabolo estis*. Si ex Patre diabolo, itaque ejusdem naturæ cum diabolo, quia filius non esset filius si esset diversæ naturæ à Patre. Dolet hoc vehementer DEO ut ita loquar, dum quæ fuit illius sponsa fit dæmonis, dum illi dicit homo Job. 22. *Recede à nobis quasi nihil facere possit omnipotens*. De hoc Malach. 3. *Si affiget homo DEUM, quia vos configitis me*. Hinc intelligitis, quare Scriptura peccatum vocat adulterium, fornicationem &c.

Quid de hac sponsa facit dæmon? Vidit in vitis PP. S. Paulus Abbas, quomodo peccatoris naribus velut ursi dæmon circulum inseruerit, & ligatis oculis ad puteum igneum manibus pedibusque reptantem impulerit. Excæcat imprimis ut non advertat periculum, & ea facit omnia quæ in isto hodierno energumeno notant Evangelistæ. Sic peccatore constituto ipsemet dæmon illi insidet. Hieron. in Ps. 31. *Ego puto equos esse peccatores super quos diabolus ascendit*. Quò non deducet non videntem? Ita Sodomitæ Gen. 19. excæcati ne ostium invenire possent. Facit mutum, ita ille carens veste nuptiali, *obmutuit*. B. Gvalfridus. *Ille sine veste nuptiali, postquam admonitus fuit siluit, interrogatus noluit confiteri*. Permittit aliquas voces edere sed non ad salutem. Ita Judas. *Peccavi sangvinem justum tradens*. Facit surdum, ita Judæi dum illis S. Stephanus aperiret veritatem, *continuerunt aures suas*. Ps. 57. *Furor illis serpentis & aspidis surdæ obturantis aures suas* Quid ampliùs facit

facit dæmon? vorat peccatorem. Greg. in Pſ. 4. pœnit. *Antiquus hoſtis terram comedit, quia peccatores quosq; in ventrem ſuæ malitiæ abſcondit.* Quomodo ornat ſponſam? S. Macarius. *Anima peccans dæmonem induitur, totâque ejus ſubſtantiâ veſtitur.* Quos dabit ſocios? Iſai. 3. *Piloſi ſaltabunt ibi.* Greg. *Piloſus alter ad alterum clamabit, cùm perpetratâ nequitiâ, ad alteram malitiam perpetrandam provocat.*

Sed quomodo ſurdus, mutus &c. peccator? utique videt, audit &c.? Dæmon per illum omnia agit & ipſe non. Greg. Nyſſen. hom. de S. Stephano. *Dæmon omnium adverſus Stephanum fungitur officio, accuſatoris, judicis, carnificis, & reliqui totius miniſterii mortis, cùm variis modis ſe Judæis inſeruisſet utebatur Judæorum, linguâ, manu &c.* De cætero homo eſt mutus Pſ. 38. *Obmutui & humiliatus ſum & ſilui à bonis.* Silet ad bonum. Thren. 2. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes.* Paſchas. lib. 2. in lament. Jerem. *Qui dum ab eis quæ intra ſunt veteraſcunt, dum veteris hominis lucra ſectantur, quid aliud quàm cario ſenes de ſpeculo vitæ cæleſtis lapſi in terram, conticeſcunt à bonis, etſi videantur totâ die clamare.* Confiteri opus peccata, ſunt muti. Bern. Serm. de confeſſ. *Pejus eſt confiteri nolle quàm legem contemnere, pejus eſt DEI offenſam non placare ſatisfactione quàm peccando DEI bonitatem offendere.* Videt peccator ſed quomodo? Tertull. Apolog. cap. 9. duas ſpecies cæcitatis aſſignat. *Cæcitati duæ ſpecies concurrunt, ut qui non vident quæ ſunt: & videre videantur quæ non ſunt.* Non videt pœnas quæ ſunt ſtatutæ, quis alterius vitæ, bonis &c. inſidiatur. Ennod. lib. 2. epiſt. 16. *Improborum eſt natura hoc ſentire de omnibus quod ipſi merentur, & in mali ſolatium nusquam videre innocentiam.* Luc. 8. Phariſæus non videt pœnitentiam Publicani. Vident quæ non ſunt, tenebræ nihil ſunt, vident eas Ægyptii Sap. 17. *Solis autem illis fuit ſuperpoſita gravis nox, imago tenebrarum*

quæ superventura illis erat, ipsi ergo fuerunt sibi graviores tenebræ. Imaginantur sibi difficultates in conversione, confessione &c. Idipsum accidit Adamo. Juxta LXX. pro ambulantem DEUM ad auram, ambulantem *ad vesperam.* Unde vesper in paradiso? Ambr. in Ps. 89. *In paradiso ubi semper matutinus erat dies, vesper est factus quoniam omnia peccata tenebrosa sunt.* Imaginatus sibi Adam vesperem, umbras longas, solem mox occubiturum, videt DEI severitatem, non videt misericordiam, si peccatum confiteatur. Audit peccator, sed ea quæ illi dicit dæmon. De cætero dicit Dominus Isai. 42. *Quis est surdus nisi ad quem misi nuncios meos?* Dic usurario, concubinario retinenti aliena &c. Desiste, surdus est. Jam ipsi judicate, si hominis talis non sint novissima pejora prioribus.

Sed adhuc sunt alia his pejora. Redit cum septem nequioribus, non auditur clamor, fuga, est surdus, mutus. Hic jam ego clamabo cũ Blosio de Confessione Sacrament. *Quid omnia proderunt pœnitenti si ad vomitum revertatur? verbum est Augustini. Inanis est pœnitentia quam sequens culpa inquinat.* Cùm miles ex hospitio digreditur, relinquit in signum quòd hoc sit ejus hospitium, ut ait Basil. lib. de vera Virginit. galeam vel aliquid ejusmodi, postea socios adducit. Quia ut Greg. pastoralis parte 3. *Qui admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit.* Et rursus Basil. serm. de Ebrietate. *Qui in bonarum actionum profectu semel fuerit, si deinde ad antiquam vivendi consvetudinem redierit, longè gravioribus dignus est pœnis.* Quod ipsum idem probat Regularum brevior. Interrogat. 47. *Septuplum enim ultio data est de Cain, de Lamech verò septuagesies.* Ita licet Nabuchodonosor vasa sacra violaverit, septies data illi ultio, quia per annos septem ut bos fœnum comedit, at verò successori ejus Baltasari, data septuagesies

ſies major, quia & vitam & regnum perdidit. Rationem dat Tertull. de pœnit cap. 5. *Pœnitens dum in priſtina peccata relabitur, eaq; quaſi canis vomitum relambit, diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egiſſe qui utrumq; cognoverit, & judicatò pronunciaſſe eum eſſe meliorem, cujus ſe eſſe rurſus maluerit. Ita qui per pœnitentiam delictorum conſtituerat ſe Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfacit.* In prima pœnitentia DEUM præfert creaturæ, rurſus in relapſu Creatori creaturam. Ad hanc rem affert ſimilitudinem S. Eligius Epiſc. Noviomen. epiſt. 15. *Si alicui crus frangatur aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium: ſi verò ſecundò aut tertiò eodem loci membra frangantur, poteſt intelligere charitas veſtra, cum quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipſa curanda ſunt. Et tamen poſt multos & longos labores vix unquam ad priſtinum ſtatum membra ipſa valent reverti, ſimilis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt.* Jam relapſo dæmon intentiùs attendit, jam ſeptem nequiores aſſumit. Hinc Chriſtus quando Adulteræ peccatum dimiſit, addidit *Vade ne aliquid deterius contingat tibi.* Hinc Eccli. 26. *Qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum, DEUS paravit eum ad romphæam.* Teſtatus hoc ipſum DEUS pœnâ temporali. Durandus in Rationali de Feriis Rogationum lib. 6. cap. 102. *Tempore S. Gregorii Magni tanta fuit peſtis ut oſcitando, vel ſternutando morerentur, quoniam confeſſi in Paſchate ad eadem redierunt.* Peccatum recidivum probat eſſe æquivalens omnibus præteritis Medina de pœnit. tr. 1. q. 9. & adducit ad hoc parabolam de ſervo cui fuerunt dimiſſa decies mille talenta. Sed maximè conſiderandum eſt quod dicit Heb. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes ſunt facti Spiritûs S. rurſus renovari ad pœnitentiam,* quod tamen juxta expoſitionem SS. Patrum intelligendum volumus.

Sed

Sed adhuc alia novissima pejora prioribus invenio. Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci & super quatuor non convertam eum.* Hieron. in loc. cit. *Quatuor modis committitur peccatum, corde unum, secundum opere, tertium consvetudine, quartum contemptu.* Jam habemus quatuor peccata. S. Th. de Villan. feria 6. post Dom. 1. Quadrag. *Tria genera peccatorum sæpè DEUS convertit & salvat per pœnitentiam, quartum rarissimè & per miraculum, & ideò dicit, super quatuor non convertam. Audiant concubinarii, raptores, lusores, usurarii, & cæteri, qui in his & aliis peccatis securi dormiunt.* Proponit Christus exempla, sicut Jacob ovibus virgas. S. Th. Villan. Dom. 2. Quadrages. *Qui inspectis Sanctorum exemplis in nullo variatur, sed in antiquo colore inolitæ vetustatis permanet, ovis est Labani, id est, dæmonis.* Contemptu hic peccat. Ita factum cum Judæis, & ut idem Th. fer. 6. post Dom. 2. Quadr. *Ad eorum invidiam exaltatæ sunt gentes.* Deut. 32. *Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat DEUS, & ego provocabo eos in eo qui non est populus.* Præcedent Publicani & meretrices, & filii regni ejicientur foras. Tum permittit dæmoni Ezech. 4. *Sume tibi laterem & pones eum contra te & describes in eo civitatem Jerusalem.* Animam hominis. *Ordinabis adversùs eam obsidionem & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro.*

Concio XXIV. *hic inserenda, ut sup. pag. 280. Pro Feria Secunda, &c.*

CONCIO XXV.

Pro Fer. Tertia post Domin. III. Quadrages.

Si peccaverit in te Frater tuus. &c. Matth. 18.

MOrbi tunc sunt in corpore hominis, quando homo in ea parte læditur ratione cujus non potest exercere actiones quæ sunt animalis, videlicet nutriri, sentire,

moveri &c. In anima ſunt morbi quando actiones rationales non benè exercet, quæ ſunt virtutes. Et ſicut opus eſt miſericordiæ ſuccurrere corpori infirmo, ita & animæ ægræ. Et ſicut crudelis eſt in corpus qui non juvat cùm poſſit infirmum, ita & qui non corrigit errantem & ad agendum juxta virtutem non reducit. Hæc correctio ſive emendatio alterius, materia erit præſentis ſermonis.

Quatruplices ſunt perſonæ quæ errant, & quas corrigere oportet. 1. Aliqui libenter admittunt ſi eos monueris, & tales corrige inter te & illos. 2. Aliqui ſunt qui ſuum errorem defendunt, & tunc vocandus eſt aliquis alius, qui confirmet ſuâ authoritate tuam monitionem, affirmando illos errare. 3. Aliqui ſunt qui non ſolùm defendunt errorem, ſed nec admittunt rationes quibus oſtenditur illos errare, de talibus referendum eſt ad Eccleſiam, præſertim ſi error ſit qui alios poteſt in ſimilẽ ducere, maximè circa fidem, in qua re ſi non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus &c. De hoc 2. Joan. *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec ave dixeritis ei.* Semper autem correctio facienda in ſpiritu lenitatis, ut appareat quòd procedat ex charitate, cùm debeat eſſe actus charitatis. Alioqui ut docet Iſid. lib. 3. de ſummo bono. *Qui delinquentem ſuperbo, vel odioſo animo corripit, non emendat ſed percutit, quidquid enim protervus vel indignans animus protulerit, objurgantis furor eſt non dilectio corrigentis.* Corrigens habeat virgam, ſed illam quam vidit Jer. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Sit oculus in virga, ut videat quando ſit errans percutiendus, & quæ ratio percutiendi adhibenda, alioqui ſi juxta DEI ſpiritum ſufficiat verbo corripere, ille virgâ percutiat, non ſolùm apud DEUM non merebitur præmium, ſed etiam pœnam gravem incurret. Expertus id inſe Moyſes. Num. 20. Dixit illi DEUS. *Loquimini ad petram & dabit vobis aquam.* At

Moyses virgâ percussit petram. Et propterea, ut Pintus in Dan. 1. ab ingressu terræ promissionis, quæ fuit pœna non levis, nam ad illam terram duxit populum per annos 40. & cùm jam quasi in conspectu esset, & jam gaudere potuisset fructu maximorum suorum laborum, mori est jussus.

Corripiat peccantem in se absque ullo indicio vindictæ, cum maxima charitate neque ad vindictam descendat etsi frater unâ die illum septuagesies septies offenderit. Et hic est efficacissimus corrigendi modus, ei qui te læsit maximam ostendere charitatem, cùm Christus in cruce oraret. *Dimitte illis, eis.* ait Hieron. in Nahum, circiter quinque millia Judæorum sunt conversa, quod non effecerunt miracula. Et è contra si te vindicas in te ultionem DEI advocas. B. Isaias. Abbas orat. 18. *Dimittite, inquit Matth. 6. omnia peccata hominibus &c. Verbum Domini terribile ac formidandum, nisi cor tuum videris erga omnes purum, cave petas aliquid à DEO, ne teipsum afficias contumeliâ, qui peccator cùm sis & succenseas proximo tuo, tamen corda scrutanti audeas dicere, dimitte mihi peccata mea*, scilicet sicut ego dimitto quod ipsum explicat Isaac Abb. collatione 9. c. 22. apud Cassian. *Quisquis in se delinquenti Fratri non ex corde remiserit, non indulgentiam sed condemnationem deprecatione hâc, Et dimitte nobis debita &c. sibi impetrabit suâq; professione poscit semetipsum diriùs judicari, dicens remitte mihi sicut ego remisi. Quod cùm illi secundum suam petitionem fuerit repensatum, quid aliud subsequetur quàm ut exemplo suo implacabili irâ & irremissâ sententiâ puniatur?* Imò etsi non ex vindicta corripias, sed errans suspicetur te agere ex vindicta, non solùm non emendabis, sed etiam in graviora peccata protrudes. Hoc fortè evenit S. Bernardo, dum ita in Cantic. serm. 42. lamentatur. *Nonne angor, nonnè torqueor? & ut mihi al quid u[illegible] de verbis Magistri, quoniam de sapientia non possum prorsus co[illegible]ctor, & è duo-*

& è duobus quid eligam nescio, placeiné mihi in eo quod locutus sum, quoniam, quod debui feci, an pœnitentiam agere debeo super verbo meo, quia quod volui non recepi? Volui nimirum perimere hostem & eripere Fratrem & sic non feci, magis autem contrarium accidit, nam læsi animam & culpā auxi, siquidem accessit & contemptus. Talis est effectus & illius correptionis quæ procedit cum ira & cùm magis contra personam agere videmur quàm contra vitiū; nimirum quando in aliquibus dissimulamus, in aliis errorem insectamur, & tunc pro eo quòd eramus ex errore educturi fratrem, in majus præcipitamus peccatum fratrem, & quod debebat esse actus charitatis ad salutem, fit scandalum ad ruinam. Cùm unus ut est Eccli. 13. *Locutus est superba & justificaverunt illum.* Alter vix verbum otiosum protulit & damnatur. Cùm unius lascivia vocatur civilitas, alterius modestia rusticitas. Unius dissolutio hilaritas, alterius devotio morositas: unius vindicta fortitudo, alterius patientia odii dissimulatio. Unius vanitas in vestitu honestas, alterius contemptus mundi ignavia: Nihilominùs debemus errantem proximum corrigere. Nam Eccli. 17. *Unicuiq; DEUS mandavit de proximo suo.* Maximè verò ad id obligantur Pastores, Parentes, Patres familias &c. Greg. in c. quamvis. *Non potest esse pastoris excusatio si lupus comedat ovem & pastor nesciat*, quod ipsum graviter affirmat Basil. Instit. Monach. cap. 62. *Qui præest, & verbi Divini ministerium exhibet, si neglexerit annuntiare unicuiq;, velut homicida animarum judicabitur secundùm Scripturas.* Et c. 63. judicium explicat *Quodsi vel in populum ignorantem de uni9 peccato* Achan: *vel in Patre Heli qui monuerat & corripuerat segniter pro peccato, tanta DEI iracundia accensa est, quid sperādum est de iis qui agnoscunt aliorum delicta, & retinent vel reticent, neq; qualemcunq; adhibent correptionē? &c. Unde & metuere debent, ne fortè etiam nunc similem veteribus interitum sumant ii qui similiter*

militer negligunt, imò eò graviùs, quantò periculosiùs est spernere legem Christi, quàm legem Moysi, & his competit aptari quòd dixit. Septies vindicatum est de Caim, de Lamech verò 77. An non vindicabit cùm ei animam tam caram, & pro qua tantùm fecit, perdideris, quam poteras verbo uno svavi lucrari? cùm fueris crudelis in fratrem & pugionẽ quem sibi infixit cùm potueris, non extraxisti? venenum quod jam sumpturus erat non amovisti? Cœli futurum fortè civem à damnatione non extraxisti? si jumentum alterius lapsum in puteum cùm posses non extraxisses, indemnis putas fuisses, & Fratrem in puteo suffocari spectâsti & permisisti. Qui scandalum facit, id est occasionem dat ut alter peccet, meliùs ut illi suspendatur mola asinaria & in profundum mergatur; an non par prope crimen ruentem in peccatum nõ retrahere? sed ut Greg, past. p. 3. *Cùm quædam increpanda sunt vitia, quidam reticent ex timore, & tamen tacere se æstimant ex humilitate: Superbi loquuntur per impatientiam elationis, & tamen se loqui credunt per libertatem rectitudinis.* Ex pura charitate loquendum, ex pura tacendum. Qui corripitur cogitet quod Cypr. de habitu Virgin. Prov. 3. *Quem DEUS diligit corripit, si autem quem diligit DEUS corripit, & sic corripit ut emendet, Fratres quoq; & maximè Sacerdotes, non oderunt sed diligunt eos quos corripiunt ut emendent. Cùm & DEUS per Jer. 3. antè prædixerit, & tempora nostra significaverit dicens. Dabo vobis Pastores secundùm cor meum & pascent vos pascentes cum disciplina.*

CONCIO XXVI.

Pro Feria Quarta post Domin. III. Quadrag.

Hic populus labiis me honorat &c. Matth. 15.

DUo sunt qui contendunt habere hominem, DEUS & dæmon. Sed DEUS non accipit, nisi totum se illi det homo,

mo, dæmon quia scit si partem hominis acquisierit, totum suum fore, contendit ut partem acquirat. Duæ sunt enim in homine partes, opera interna & externa. Si unam ex his habuerit, satis illi erit. In Pharisæis rapuerat optimam, scilicet interna opera. De hoc dolo Christus hodie monet, & monitum ejus explicabo, ut à dæmonis fraude caveamus.

1. Pharisæi totam sanctitatem ponebant in actibus externis, nihil de cordis puritate, seu de fuga peccati, in mente sollliciti, nihil apud illos fuit de malo oblectari in mente, concupiscere alienam uxorem, odisse, consensisse in peccatum: toti verò in hoc erant, ut exteriùs Sancti apparerent, & circa hæc habuerunt quasdam traditiones seu leges non à DEO per homines datas, sed merè ab hominibus excogitatas etiam cum violatione legis Divinæ. Marc. 7. *Pharisæi & omnes Judæi nisi crebrò laverint manus non manducant, tenentes traditiones eis traditas ab antiquis.* Et hinc factum est, ut discipulos Christi reprehenderint non lotis manibus manducantes. Quia Christus suos docuit ut legem DEI non humana figmenta servarent, & cordis munditiei attenderent, in externis ea sola observando ad quæ ducit lex DEI, quia si interna procedunt benè, si homo cavet internum peccatum, etiam externa benè procedent, nemo enim faciet peccatum si in illud non consenserit. Basil. serm. in aliquot Scripturæ locos. *Obel extra quidem æs habuit, lutum verò sub ære fulgente absconditum &c. Contrà verò intùs aurum quidam habent luteâ testâ circumdatum.* Et res est vanæ gloriæ obnoxia in externis mirabilem comparere, quam gloriam etiam unicè captabant Pharisæi: sed propter hanc gloriam non erant idonei ad fidem Christi recipiendam. *Non potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis.* Greg. lib. 4. in Reg. cap. 2. *Pervenire ad DEum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur ut ab hominibus agnoscatur.* Basil. orat. quòd manda-

mandata præterimus. *Quando præter finem rectum, honestum aliquid agimus, ut ad humanam potiùs quàm DEI gloriam, jure à Domino damnamur. His enim dicit: Recepisti bona in vita tua.* Non est cur in futura expectes præmium. *Benefacientes si aliud quàm DEUM respexerint, non solùm laborum meritis excidere sed æterno supplicio obnoxios fore clamat Moyses. Maledictus homo qui non manet in his omnibus quæ sunt scripta in libro hoc.* Horribile est Chrysost. dictum hom. 2. in Pentec. *Non minùs est peccatum vanæ gloria quàm fornicatio.* Hi sunt fructus vanæ gloriæ, ad quam inclinant actus externi boni sine internis. Proinde Christus, *non quod intrat in os coinquinat hominem,* &c. Tollite rapinas, usuras, furta, facite restitutionem &c. Col. 2. *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Si hæc non fiant, dicetur vobis. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ.* Et in hoc consistit hypocrisis.

Alia traditio fuit Pharisaica, ut si quispiam ad restitutionem teneretur, non redderet illi cui debebat sed templo, ut sic ad illos perveniret quia scilicet ajebant, est totum DEI, ideo potiùs DEO reddendum. DEUS autem præcepit ut illi restituatur cui ablatum est, & licet res quam tu habes, etiam sit DEI, tamen non vis eam tibi tolli & dari templo. Justitia est reddere cujus quod est illius, Levit. c. 5. *Si quis damnificaverit proximum restituat ei.* Unde Greg. lib. 7. epist. 111. *Non eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur quia qui hâc intentione malè accipit ut quasi bene dispenset; gravatur potiùs quàm juvatur. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, sed quæ rebus concessis & bene acquisitis impenditur,* Prov. 21. *Hostiæ impiorum abominabiles quæ ex scelere offeruntur. Quidquid in DEI sacrificio ex scelere offertur illud non placat iram sed irritat.*

Prov. 7.

Prov. 7. Honora Dominum de tuis justis laboribus qui ergo mala tollit ut quasi justè præbeat, constat sine dubio, quia Dominum non honorat.

Tertia vana traditio quam servabant Pharisæi etsi Parentes mori deberent fame, nou illis succurrendum, sed dandum templo, quia dicebant, DEUS est universalis Pater omnium, itaque potiùs illi dandum quàm Patri particulari. Hæc traditio erat contraria legi DEI. *Honora Patrem tuum* &c. Fuerunt alia isto non leviora peccata, hoc tamen De honore Parentum specialiter impugnavit Christus, quia est contra legem naturæ, ut patet ex Ethnicis qui solâ ducebantur lege naturæ, & vehementer puniebant peccata in parentes commissa. Debetur enim illis honor Eccl. 7. *Honora patrem tuum, & gemitûs Matris tuæ ne obliviscaris memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi.* Et soli præcepto de honorandis Parentibus, addidit DEUS, Exod. 20. *Ut bene tibi sit, ut sis longævus super terram.* Honorare, in scriptura etiam significat, dare ut Prov. 3. Honora *DEUM de tua substantia.* Et 1. Tim. 5. *Presbyteri duplici honore sunt digni* &c. Sed fit ut arbor det humorem fructibus, non è contrà. Aqua deorsum spontè descendit, id est, beneficia Patris in Filium; sursum ascendit violentè. Sed quàm verum sit illud, *ut sis longævus super terram,* patet in Melchisedec, de quo Hebr. 7. *Neque initium dierum neq; finem habens* Melchisedec fuit ut docet Hieron. & Lyran Sem. Filius Noe qui ex honore Patris verenda texit, & tamdiu vixit ut à Noë usque ad tempora Abrahæ superfuerit. Ista vera est ars prolongandi vitam. E contra Evilmerodac filius Nabuchodonosor. Isai. 14. *Tu autem projectus es de sepulchro tuo.* Glossa id explicat. Nabuchodonosor cùm versus esset in bestiam, dictus Filius occupavit thronum ejus. Sed cùm Nabuchod. ad se rediisset, debuit è throno cedere Fi-

reFilius. Tandem cùm mortuus fuisset Nabuchod, ut de ejus morte certus esset Filius, corpus Paternum in partes concidit, & trecentis avibus devorandum dedit, quæ fuit summa impietas. Sed & ipse Filius pessimè periit Prov. 30. *Oculum qui subsannat Patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiat eum corvus de torrentibus.*

Has fraudes dæmonis caveamus. Pro conclusione addo quartum crimen Phærisæorum. Ajunt Christo discipuli. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalisati sunt.* Ac si dicerent. Cave tibi quia reprehendisti eos. Respondit Christus. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis eradicabitur.* Ac si diceret. Non time te, isti peribunt, nos manebimus. Passim Synagogam Scriptura vetus appellat vineam, hanc plantabat Pater, quàm diu ab eo vocati obtinebant dignitates Ecclesiasticas, sed postquam cœperunt intrare per Simoniam jam non plantabat Pater, quocirca peregrinandi tanquam cœci ducebant cæcum populum contra Christum & ambo in foveam ceciderunt. Quia quod non plantat Pater hoc non rigat &c. Hinc ruina populi si Pastor Simoniacus. Vel quia propter nobilitatem promovebantur. Vinc. conc. hod. *De illis qui sunt plantati per Simoniam, sive ratione generis, sive precibus armatis, dixit Christus. Omnis plantatio* &c.

CONCIO XXVII.

Pro Feria Quinta post Domin. III. Quadrag.

Febribus magnis tenebatur socrus Simonis. Luc. 4.

DOmus Simonis, id est Petri, utique est Ecclesia, quomodo ergò in ea infirmus ? Rom. 1. In Ecclesia *Virtus DEI est in salutem omni credenti.* Si ibi salus, quomodo morbus ? Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea*

pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse gloriosam sibi Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi. Si homines non essent homines nō dormirent, si non dormirent non superseminarentur zizania. Si non constarent corpore, non infirmarentur. Si essent in gratia confirmati non peccarent. Sed aliter se res habet. Et satis est ut in Ecclesia sit *virtus DEI in salutem*, per quam ad hoc pervenire possit, ut sint in ea sine macula & ruga. Quare solùm remedium morbi hujus proponam.

Diffiteri non possumus ab antiqua sanctitate multos defecisse Christianos, ut possit dici illis quod olim Jerosolymæ Isai. 1. *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii, justitia habitavit in ea nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aquâ, Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Olim sua projiciebant ad pedes Apostolorum hodie rapiunt aliena, olim cum periculo vitæ currebant ad templum modò nec rogati volunt ire. Olim Ecclesias erigebant modò impugnant. &c. Ps. 126. *Exinanite, exinanite usq; ad fundamentum in ea.* In quæ verba Greg. 25. Moral. 10. *Usq; ad fundamentum Jerusalem exinaniunt, quando perversi spiritus à corde fidelium destructo priùs ædificio boni operis soliditatem quoq; exhauriunt religionis.* Ubi nunc illa charitas? circuit Christus in paupere esuriens, non est qui porrigat. Ubi ille pœnitentiæ rigor cum nudis pedibus ante templum stantes intrantium genua complexi deprecabantur eos ut pro se orarent; quot adolescentes qui malint mori quàm fœdari. Nam cum Salviano l. 1. ad Ecclesiam, lamentari licet *Quantum tibi est auctum ò Ecclesia populorum tantum vitiorū, quantum tibi copiæ accessit tantùm disciplinæ decessit, & prosperitas venit quæstuum cum magno fænore detrimentorum.* Et lib. 2. de Gubernat. *Ipsa DEI Ecclesia quæ in omnibus*

debet esse placatrix DEI, quid est aliud quàm exacerbatrix DEI, aut præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum quàm sentina vitiorum?

Ambros. dixit in Luc. 4. *Febris nostra iracundia est, febris nostra libido, febris nostra avaritia nostra est.* O quantùm se hæ febres diffuderunt! Invasit febris quosdam Sacerdotes qui nimiùm student cultui corporis ac vanitati. Audiant S. Bern. Epist. 42. *Tu Sacerdos DEI altissimi cui placere ex his gestis? mundo an DEO? si mundo, cur Sacerdos? si DEO, cur qualis populus, talis Sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest Sacerdotium? nec enim potes duobus Dominis servire, &c. Hoc me etiam tacente penuria pauperum clamat. Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt. Dicite Pontifices in fræno quid facit aurum?* Hæc S. Bern. de suis temporibus. Invaserat febris & Religiosos tempore S. Anton. de Padua, unde serm. in Dom. 2. Adv. in illud Isai. 41. *Ponam in desertum ulmum, abietem & buxum simul. In abiete designatur cœlestis conversatio, in ulmo quæ vitem sustentat fraterna compassio: in buxo quæ est pallidi coloris corporis mortificatio. His arboribus, non arundine vento agitatâ, igne comburendâ, desertum benedictionis paradisus sanctæ Religionis conservatur &c. Non dico. Religio sed dæmonum legio fecit de deserto palatium, de claustro castellum, de solitudine curiam regalem, Religiosus & miles de eodem panno partiuntur sibi vestimentum* &c. Quid dicam de populo? Surge Salviane & clama, ut l. 6. de gubernat. *O miseriam lachrymabilem, ô miseriam luctuosam? quàm dissimilis est nunc à seipso populus Christianus, id est, ab eo qui fuit quondam Act. 5. Ananiam & Saphiram quòd mentiti sint, morte mulctavit Petrus &c. Paulus unum de Ecclesia ejecit &c. Ecce in quid recidimus, ecce in quid post illam populi Christiani puritatem quâ omnes quondam immaculati erant, ut beatam fore Ecclesiam judicemus, si vel tantùm in se habeat boni quantùm mali &c?*

&c.? Omnia amamus, omnia colimus, solus nobis in comparatione omnium vilis est DEUS.

Quæ origo hujus febris? inde cæpit unde incipiunt febres corporis, à frigore, quia frigidè observabantur à Sacerdotibus SS Canones, à religiosis regulæ & cæremoniæ, Horæ Canonicæ & Missæ frigidæ, à sæcularibus differebatur confessio, communio, impletum est tempore S. Bern. & Salvian. Job 24. *Ad nimium calorem transiet ab aquis nivium & usq; ad inferos peccatum illius.* Post frigus secura febris, quia ut S. Hieronymus. *Presbyter qui non curat libros curabit liberos.* Ut S. Vinc. hodie. *Si Religiosus non sit cæremoniosus erit criminosus, vitiosus, luxuriosus &c.* Frigus præcedit tepiditas, nam nemo repente malus. S. Bern. de tribus ordinibus. *De eo qui mittens manum suam ad aratrum postea retrò convertitur, certum est quoniam labitur statim & pelagus operit caput ejus. Sed & qui stare voluerit non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans cadat necesse est ab his, qui sequuntur impulsus & eversus.* Et vetus est axioma PP. *Non progredi in via spirituali est regredi.*

Jam ad remedium. *Stans super illam imperavit febri.* Stet supra nos Christus, cogitemus illum Judicem, cogitemus nos bellum gerere cum illo dum peccamus, sed non prævalebimus, itaque faciamus ut ille Rex Matth. 19. Qui *priùs cogitat si possit cum decem millibus occurrere illi qui venit ad se cum viginti, &c. rogat ea quæ pacis sunt.* De quo Greg. hom. 30. *Rex contra Regem ex æquo venit ad prælium, & tamen si perpendit se non posse sufficere, legationem mittit, & ea quæ pacis sunt postulat, quibus ergò nos lachrymis veniam sperare debemus qui in illo tremendo examine cum rege nostro ex æquo ad judicium non venimus?* Imperet febri illo verbo. *Surgite mortui venite ad judicium.* Cessabit tunc omnis febris, cessabit avaritia, cùm videbimus omnia relinquenda esse, cessabit libido cùm

cùm ignes inferni præ oculis versabuntur, cessabit superbia dum superbos ut sua mancipia Lucifer secum ducet Ps. 79. *Incensa igni & suffossa ab increpatione vultûs tui peribunt.* Peribit febris orta ex concupiscentia, qualis est febris avaritiæ, superbiæ, luxuriæ, iræ, gulæ. Peribit quæ oritur ex frigiditate seu negligentia, ut invidia, acedia, peribunt *suffossa.* Tertull. de pudicitia. *Etsi Bonus naturâ DEUS tamen & justus, ex causa enim sicut sanare novit ita & cædere, faciens pium sed & condens mala, pœnitentiam malens sed & Jeremiæ mandans ne pro populo peccatore deprecaretur. Oseæ 6. Quoniam si jejunaverint, inquit, non exaudiam obsecrationem eorum. Et rursum Jer. 14. Tu ne adoraveris pro populo & ne postulaveris pro his in prece & oratione, quoniam non exaudiam in tempore quo invocaverint me, & in tempore afflictionis. Jer. 7. Et tu ne oraveris pro populo isto & ne postulaveris misericordiam consequi eos. Et ne accesseris pro his ad me, quoniam non exaudiam misericordiam utiq; postulantes utiq; ex pœnitentia flentes, & jejunantes & afflictationem suam offerentes DEO.* Stet supra nos bonus Dominus ne desperemus, stet justus ne de misericordia præsumentes in peccatis nobis indulgeamus, aut pœnitentiam de die in diem differamus. Stet supra nos & certè stat. *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusq; nostros prospicit.* Cogitemus illum supra nos stantem, & tanquam in oculis ejus omnia agamus.

CONCIO XXVIII.

Pro Fer. 6. post Domin. 3. Quadragesimæ.

JESUS autem fatigatus ex itinere, &c. Joan. 4.

HOdie videmus quare Christus Sol oriens dicatur. Sol terram, aquam, aërem, &c. obscura corpora illustrat, lucida verò Lunam, planetas, astra, extingvit. Præteriit Christus Pharisæos, nulli Sacerdotum ita clarè dixit ut huic

huic mulieri, *Ego sum* Messias *qui loquor.* Ac cui mulieri? Ecclesiastici. 9. *Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via à prætereuntibus conculcabitur.* Cui? ex infima plebe. Cui? Samaritanæ, hoc est hæreticæ apud Judæos, & insuper ratione suadet ut salva esse velit. *Ego habeo aquam* &c. Hanc rationem expendamus forte & in nobis fructum aliquem faciet.

Samaria dicta est à civitate hujus nominis tota regio, hanc civitatem erexit Amri Rex Israël 3. Reg. 16. In hac regione est Sichar civitas, quæ etiam dicebatur Sichem, ubi stuprum passa Dina filia Jacob Gen. 34. ubi Jacob dedit prædium Joseph filio suo Gen. 48. Postea dicta est Neapolis, ibidem est sepultus Joseph. Ibi Christus supra puteum qui erat procul à civitate sedit fatigatus. &c. Et mulierem ad hoc adduxit, ut ipsamet dixerit. *Puteus altus est, & non habes in quo haurias,* loquendo de aqua hujus mundi, quia & Christus dixerat, *Qui biberit ex hac aqua sitiet iterùm,* & ego habeo aquam quam sitis non sequitur. Ratio ergò Christi ad hoc reducitur. Aqua mundi non extingvit sitim, difficulter aquiritur, aqua Christi & facilè acquiritur & sitim extingvit.

Facilè acquiritur, quia ipsam ultrò offert Christus. *Inventus sum à non quærentibus.* Nunquid hæc mulier quærebat? DEUS nos elegit non nos illum, offert suum amorem nobis gratis. Isai. 55. *Venite, emite absq; argento & absq; ulla commutatione* &c. Et quantus est DEUS qui ita nos amare desiderat, neque nos amare desinit nisi à nobis turpiter repulsus? S. Ephrem ad eos qui Filii DEI scrutantur naturam. *Audi miser qui scrutaris Dominum tuum, miranda quædam promittis te enuntiare de ipsius Deitate &c. pauca priùs enuntia nobis de creaturæ ratione. Expone ministrorum ordines qui coram DEO jugiter adstant. Expone nobis ac exprime & profer in lucem Angelorum naturam, figuram Cherubim, Seraphim imaginem propriam. Gabrielis faciem, ignem Michaëlis profectò flagrantem. Ministri Deitatis & spiritus*

cùm sint omnes ignem quomodo vident? Lux nempe in circuitu est. Quo item ordine ducit spiritum administrationis spiritus? flagrantis ignis ubi sunt oculi, ubi nares ad requiem spiritûs, quænam illorum staturæ sunt erectæ in speciem honestæ proceritatis, anglobosæ & rotundæ? &c. Angelos igitur non capimus, quid DEUM? & hic DEUS nos indignos, nos inimicos amat, nos quærit? & quid est homo? Greg. in Ezech. hom. 8. *Abraham alas deposuit, qui quando loqui cum DEO cœpit, pulverem & cinerem se cognovit. Genesis* 18. *Moyses alas deposuit, eruditus omni scientiâ Ægyptiorum Act.* 7. *mox ut verba Domini audivit Exod.* 4. *Verba se non habere deprehendit, dicens. Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, ex quo enim locutus es ad servum tuum impeditioris linguæ factus sum, &c. Jeremias AAA Domine nescio loqui quia puer sum. Et Daniel* 8. *Visionem videns per plurimos dies elanguit & ægrotavit; quia hi qui in virtutibus fortes sunt cùm altiora DEI conspiciunt, in sua sibimet æstimatione infirmi atq; imbecilles fiunt.* Ita Abraham, Moyses &c. respectu DEI, quid Samaritana? Et tamen etiam illi se offert. Expectat apud puteum, sermonem incipit. Et hoc ideò, ut eam sui regni faciat consortem, liberet à malis, ditet, Angelis associet, & quidem ut Guilielm. Parisien. *Christus daret æqualem atq; habet ipse singulis cœli portionem si essent capaces.*

At verò felicitas temporalis est in alto puteo, & non habemus quo illam extrahamus. Vix aliquis ad eam pervenit & cum labore maximo. Sap. 5. *Ambulavimus vias difficiles.* Vide quanta agricolæ, opifices, milites, mercatores agant. Puteus hujus felicitatis est in terra Samaritanorum. Juxta hunc puteum positi sunt à Jephte milites Judic. 12. qui transeuntes trucidant Ephratæos. Latent circa has delicias dæmones qui occidant, & si has obtinueris aquas non retinebis. Hieron. ad Julianum epist. *Accedere & recedere opes instar undarum & fluctuum solent, & à succedentibus sibi Dominis occupantur.* Quæ habes, habuit alter, habebit alter ut fluvii eadem aqua ad hanc

& illam ripam accedunt, & statim ulteriùs pergunt. Et quod pejus S. Bern. declamat. *Utinam saperes & intelligeres miser, cum thesauro pecuniæ pariter thesaurum iræ cumulari. Utinam novissima provideres animadverteres facilè per foramen acûs facilè transituros non divitiarum cumulos sed delictorum.* Ratio est ex Ambr. 1. offic. 9. Qui hic recipit bona ut dives ibi cruciatur. Alia ratio ibid. lib. 2. cap. 16. *Cave ne intra loculos tuos salutem includas inopum, & tanquam in cumulis sepelias vitam pauperum.* Quia quidquid supra suam necessitatem habet dives, pauperibus debetur. Nam Salvian. lib. 1. ad Ecclesiam. *Usum tantùm rerum accepimus quas tenemus, commodatis enim à DEO facultatibus utimur, & quasi precarii possessores sumus. Deniq; egredientes de isto mundo velimus, nolimus, cuncta relinquimus. Cur ergò cùm possessores usufructuarii tantùm simus quod nobiscum auferre non possumus, avertere à proprio Domino atq; alienare tentamus? &c.* Paulus. *Non superbè sapiant divites non in incerto divitiarum sperent &c. Sed in DEO vivo qui nobis dedit omnia ad fruendum in voluntate bonorum operum. Uno dicto utrumq; docuit, hoc est, & qui daret divitias, & cur daret. Dicens enim, sperandum à DEO qui præstitit omnia, ostendit à DEO divites fieri: Addens autem, in voluntate bonorum operum, docet, idipsum quod dixit à Deo tribui, propter bona tantùm opera tribui &c. Non putant se quidem omninò reos, si nec in morte sibimet per dispensationem substantiæ convaluerint, cùm etiam ex hoc rei sunt quòd cuncta ad mortem servaverint &c. Væ vobis divitibus. Non dicit diviti, torquendus es quia homicida es, torquendus es quia fornicator es, sed torquendus tantummodò quia dives, hoc est quia divitiis malè uteris, quia datas tibi ad opus sanctum divitias non intelligis &c.* Ex his videre est quàm difficile sit divitem salvari. Occurrit cuidam objectioni S. Bern. *Excusant aliqui fortasse dicentes Abraham, Isaac, cæteriq; Sancti nunquid non terrenas divitias habuisse leguntur? sufficit nobis esse sicut illi fuerunt &c. Quid respondebimus novis imitatoribus Sanctorum veterum? impo-*

imponant certè vitulos super altare Domino, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit &c. *Aurum ergò repudiemus cum cæteris superstitionibus Judæorum, aut si aurum placet placeant & Judæi.* Et de Clericis addit. *Clericus qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo.* Quid voluptas? Cypr. epist. 2. *Delectat voluptas quæ animam interficit & pudorem, blanda priùs ut plùs noceat cùm placet.* Quid honor nisi umbra?

Demùm qui biberit ex hac aqua iterum sitiet. Habet Clericus beneficium desiderat aliud: Habet sæcularis honorem ambit alium. Cane famelico, odores incende, narra curiosa, ostende formosos hortos &c. non satiabis. Quare? quia ista non implent stomachum, nihil implet animam nostram nisi DEUS. Eccli. 5. *Avarus non implebitur pecuniâ.* Quocirca convertant se peccatores ad fontem aquæ salientis in vitam æternam, deserant peccata, & ut 2. Tim. 2. *Resipiscant à Diaboli laqueis à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Servent DEI præcepta, ament DEUM sic illos amantem. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas*, soli DEO servire est regnare. Trahant suo exemplo ad DEUM quos possunt, uti fecit hæc Samaritana. &c.

CONCIO XXIX.

Pro Sabbato post Domin. 3. Quadragesimæ.

Vade & jam ampliùs noli peccare. Joan. 8.

SCiebant Pharisæi Christum esse misericordem erga peccatores, adducunt illi hanc mulierem, cogtiantes si eam absolveret, habituros se contra illum causam, quòd contra legem Moysi absolverit, cum etiam populum insurrecturum, quòd faverit adulteræ. Christus ergò illam à lapidatione Mosaica non absolvit, sed solùm voluit, ut & Moyses, ut illi

illi lapidarent, qui propter peccata non meriti fuissent lapides, vel pœnam similem, quia cùm quisque sua videret à Christo peccata metuere cœpit ne eadem populus adverteret, ac fortè ad eandem pœnam exposceret, ex quo documentum sumamus. Dum exercemus misericordiam non obliviscamur justitiæ, & è contrà.

Misericordiam huic mulieri facturus erat Christus, tamen dixit, *qui sine peccato est projiciat lapidem.* In quo non reprobavit justitiam circa peccantes, sed solùm non decere ut puniat crimen alterius qui simili crimine laborat, aut similem meretur pœnam. Bona enim misericordia est, & adeò bona ut dixerit Basilius serm. 2. in Divites avaros. *Vidi ego quosdam jejunantes, orantes, præteritorum pœnitentiâ suspirantes, omnem deniq; sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus verò ne obolum quidem præbentes. Quid hìc cætera virtutum diligentia prodest? non propterea regnum DEI consequentur, &c. Nam si alicui lætoq; animo des aurum ut equos possideat, cur id regno Dei commutari potiùs suasus doles?* Nihil bona opera sine misericordia. In veteri lege comparabat se DEUS aquilæ, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos.* At verò in nova. Matth. 23. Volui sicut gallina congregat pullos. Ostendit exemplo quid agere debeamus etsi pullus aberret, non eum enim gallina alis quatit, rostro impetit, &c. sed colligit. S. Bern. serm. 2. de Nativ. B. V. *Necesse est hominem perire qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum ut ardeat &c. Nunquid Christi gratiâ diligemur ab Angelis, si de mutuæ dilectionis inopia cognoverint nequaquam ejus nos esse discipulos?* Et serm. 60. ex parvis. *De cæteris virtutibus quantascunq; habuerit sine charitate non curant dæmones.* Ratio hujus est ex S. Greg. hom. 39. *Non aliter Redemptoris nostri membra efficimur, nisi inhærendo DEO, & compatiendo proximo, Inde ei qui est super omnia propinquamus,*

unde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. Tanta est virtus misericordiæ! Sed si fuerit misericordia absque justitia; dissolvuntur hominum mores, & peccata increscunt dum per justitiam non succiduntur. Dicit DEUS ad Heli 1. Reg. 2. *Honorâsti filios tuos magis quàm me.* De quo Greg. lib. 2. in Reg. cap. 2. *Magis quàm DEUM filios honoravit, quia dum aperta eorum ostensa opera contemneret, lucra temporalia iis providebat.* Non puniebat filios peccantes, & ipse & filii, & domus ejus tota periit.

Bona est justitia & sine illa, turmæ civium, sunt cumuli latronum, & qui cùm debet justitiam non administrat particeps est peccati eorum. Ipse DEUS Ps. 49. *Existimâsti iniquè quòd ero tui similis, arguam te & statuam te contra faciem tuam.* Ita legit Greg. in Ps. 4. pœnit. & addit in persona DEI. *Similis tui essem si peccatum dimitterem,* &c. *Judex sum & justus. Judex sum & ultor iniquitatum, quomodo ergò injustè judicabo, quomodo veritatem mendacio mutabo? Tacui, nunquid semper tacebo? imò arguam te & statuam contra faciem tuam &c. Putas quòd non videam fornicantem, quem video adulterium cogitantem? Si non vis hìc attendere faciem tuam, faciam ut agnoscas miseriam tuam.* Sed hæc ipsa ex ore DEI accipiamus. Nahum 1. *DEUS æmulator & ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus, in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Dominus patiens & magnus fortitudine & inundans, non faciet innocentem Dominus, in tempestate & turbine viæ ejus, & nebulæ pulvis pedum ejus, increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens. infirmatus est Basan & Carmelus & flos Libani elanguit, montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie ejus & orbis, & omnes habitantes in eo.* Ipse legem eam tulit, dentem pro dente, oculum pro oculo, &c. Ipse damnat judices differentes justitiam, vel munera accipien-

pientes, ut eam non integrè exequantur. Zach. 7. *Hoc ait Dominus exercituum dicens, judicium verum judicate.* Verùm si sola sit justitia, in sævitiam deflectit.

Faciendum ergò quòd Christus fecit. Ostendit mulierem lapidibus dignam esse si quis adesset quem deceret projicere, sed tamen absolvit addito, *noli amplius peccare.* Hanc DEUS legem nobiscum in hac vita servat cùm irascitur, cùm punit. Exempla hujus rei adducit Greg. in Ezech. lib. 1. hom. 1. & incipit loqui de captivitate Judæorum. *DEUS si iratus non esset in captivitatem minimè tradidisset, & si omnimodò iratus fuisset, electos suos* Ezechielem & alios, *cùm illos in captivitatem non mitteret.* Num. 13. Exploratores terræ promissæ terruerunt populum, ut desperaverit de illius possessione, quo facto ita offenderat DEUM, ut dixerit, Deut. 1. *Dic eis nolite ascendere, neq; pugnetis, non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris.* Greg. l. c. *Si cum ipsis non erat, cur eos ne caderent prohibebat? &c. Culpas insequitur, & tamen peccatores protegit.* Constituit mensuram peccatorum, quousque aliquem toleraturus. Et tamen ut ait Cypr. serm. de jejunio Christi. *Sed in eodem articulo temporis cùm jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi DEI benignitas non aspernatur, nec serum est quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium, & quæcunq; necessitas cogit ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio excludit & gratia.* Verùm nemo completâ mensurâ consequitur veniam, quia nemo habet veram contritionem de suâ malitiâ, dat tamen DEUS auxilia quantis opus ut homo convertatur, & paratus est ad remittendum. Sed talis ut potest converti, ita nunquam convertetur. Quocirca in pœnis reorum miscenda est justitiæ misericordia, & ut dicitur Psal. 138.

Perfecto odio oderam illos. Hoc est ut Greg. Pastor. p. 3. *Et quod facti sunt diligere & quod faciunt increpare.* Sanctū est opus justitia Exod 32. Quia illam fecit tribus Levi occidendo idololatras. *Consecrâstis DEO manus vestras,* Num. 25. Phinees iram DEI placavit, quia scortantes occidit. &c. Verùm miscenda misericordia. Adeat crebrò judex carceres, videat ne aliquis ibi diutiùs detineatur quàm sit meritus. Inclinavit se Christus dum scriberet in terra peccata Judæorum, quia ut S. Vinc. Conc. hod. *Quilibet Judex in condemnando se debet inclinare, scilicet habendo compassionem de condemnatis. Non enim debet velle aliorum condemnationem, sed eorum salvationem.* Inclinet se Judex, videat etiam sua peccata quæ DEUS scribit in terra. *Recedentes à te in terra scribantur.* S. Vinc. l. c. *Si tu ergò condemnas aliquem de adulterio, cogita si tu idem fecisti,* &c. Scribebat Christus quia condemnatio non debet fieri summariè sed cum pleno processu & magna inquisitione de veritate criminis. Deut. 13. *Quære sollicitè & diligenter, rei veritate perspectâ si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem opere perpetratam, statim percuties.* Scribebat Christus quia sententia mortis debet dari in scriptis & cum pleno processu. Ita quòd ipse faciat DEUS testatur Job 13. *Scribis enim contra me amaritudines & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.*

CONCIO XXX.

Pro Domin. 4. Quadragesimæ, Prima Concio.

Unde ememus panes? Joann. 6.

SI quis est famens ut peccator, aspiciat filium prodigum, &c. Sed, unde emam panes? Vadam ad Patrem, vadam ad Christum qui panes multiplicat, eamus, ego præcedo. Duæ sunt viæ ad Christum, innocentiæ & pœnitentiæ.
Vidit

Vidit Joan. Apoc. 3. Thronum Dei, sed statim mare vitreum, quomodo mare si vitrum? Innocentibus est vitrum pœnitentibus mare, neque navibus per illud itur, sed in asseribus ut in naufragio. Pœnitentia à SS. Patribus vocatur secunda post naufragium tabula, arripiamus hanc tabulam, sed quàmprimùm, veluti cùm navis frangitur si quis differret &c. monent, arripe tabulam. S. Aug. s. 19. de verbis Dom. *Ne dicas, vade, revertere, non enim scis quid contingat sequenti die.* Monet Christus, arripe tabulam, tu dicis illi, vade, cras ad me cum hoc consilio reverte. Et evenit, sicut si rusticus Regem offenderet graviter, monet Rex, hodie *dies* tuæ *salutis*, hodie deprecare, monent Principes. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* At Rusticus, cras mecum Rex de hac re agat. O rustice! ô peccator! &c. Greg. 9. Moral. 6. *Saltem misericordiam & patientiam ejus debemus erubescere, si justitiam nolumus formidare.* Audiamus, ne ipse etiam non audiat, ut contigit. DEUS invitabat ad pœnitendum Jerem. 9. *Attendi & auscultavi, nemo quod bonum est locutus, nullus qui agat pænitentiam super peccato suo dicens, quid feci?* Quid deinde factum Jerem. 19. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* DEUS noster est misericors, sed non emortuus ut patiatur sibi illudi.

Quia verò qui est in uno peccato mortali semper ad plura devolvitur, ita virgo lapsa, primò quærit obortum, & si hoc non succedat mactat absque baptismo prolem, deinde in mille perjuria cadit, & sic de aliis. Greg. 25. Moral. 3. *Peccatum quod pænitentiâ non deletur ipso suo pondere mox aliud trahit.* Et ita peccator semper fit major inimicus DEI, & magis indignus misericordiâ DEI. Rogat quidem iste Rex, cessa, interim rusticus præter aliam amentiam toties quoties, sibi letale infert. Rogat Ezech. 2. *Si fertè audiant & quiescant.* Isa. 1.

Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perversè. Sed peccator, quia est extra DEUM, qui est locus animæ nostræ, sicut lapis in aëre semper descendit, donec perveniat sicut Judas. De quo Act. 1. *Abiit in locum suum.* Interea homo obduratur ut lapis. Unum quidem peccatum facit cor durum, sed plura durius, ut agnovit ille qui orabat. *Aufer à me cor lapideum.* Non solùm DEO resistit, sed quasi illum ad duellum provocat, omne enim peccatum in se continet rebellionem. Sed DEUS facit ut David cum Goliath. Peccatoris cor factum est lapis, hunc ipsum lapidem infigit capiti ejus. Facit ut Arca cum Dagon à Philistæis capta, inventus est Dagon sine capite, manibus, pedibus, ut tandem peccator ad hoc deveniat, ut quasi neque caput habeat pro consilio; manus, pedes pro benè operando. Facit homo ut Exod. 8. Pharao, cùm illi molestæ essent ranæ, cùm vexat conscientia peccatorem, ait Moysi. *Deprecamini* pro me *cras* Dominum. Cur non hodie? non seriò vult resurgere, & tandem quâ alii transierunt, ille mergitur. *Peccator cùm venerit in profundum contemnet.* Nullæ monitiones prosunt, contemnit cœlum, infernum, & sic perit. S. Aug. serm. 28. de temp. *Erit tempus quo peccator volet pœnitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit: & propter malum velle perdidit bonum posse.* Fiet illi sicut Archiæ Tyranno Thebarum, hic dum convivio vacat, mittit ad eum amicus legatum cum epistola in qua significabat illum hâc nocte à conjuratis occidendum, rogat vehementer legatus ut legat epistolam. Ille, *Seria in crastinum*, sed ad crastinum non supervixit.

Agenda pœnitentia & quidem sine mora. Nemo scit de suo crastino. Agenda sicut egit Zachæus. *Quatruplum reddo.* Sicut egit David de quo Chrysost. in Ps. 50 narrat, quòd usque ad mortem è collo suo unam gesserit tabellam, in cujus una

una facie sculptum erat adulterium, in altera homicidium. Hinc memor adulterii. *Lavabo per singulas noctes stratum meum* &c. Memor occisi Uriæ. *Peccatum meum contra me est semper.* Sicut dum quidam latro occidit infantem, semper illi stabat præ oculis infans clamando. *Tu me occidisti.* Nos collo nostro appendamus Crucifixum. Clamet ille, tu me crucifixisti, tu me flagellâsti Jer. 3. *Sume tibi speculum* &c. Vindicamus acriter si quis nos vilior offendit, nemo potest esse dignior Deo, respectu cujus infinitè es indignus, hunc offendisti, neque semel, neque leviter. Vide quam de te sumere vindictam debeas? alioqui ipse dicet. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

CONCIO XXXI.

Pro Dom. 4. Quadragesimæ, Altera Concio.

Ut autem impleti sunt. Joann. 6.

QUi sequuntur dæmonem pascuntur siliquis; ut filius prodigus: qui Christum, panibus, verùm quidem in hac vita hordeaceis; sed quæ fiunt miraculosè, longè meliora sunt factis à natura, ita in Cana Galilææ melius fuit vinum quovis alio vino, cùm Christus dedit oculos cæco meliores habuit quàm aliàs habuisset. &c. Sed sunt qui dicuntur Christo servire, & tamen egere, famere, quid sit causæ inquiram.

Prima causa. Quia pauperibus eripiunt panem divites. Salvian. *Remedia non pridem urbibus data, quid aliud egerunt, quàm ut divites cunctos immunes facerent, miserorum tributa cumularent.* Luc. 16. Epulo rogat mitti ad Fratres Lazarum, cur non rogat ut ipse Abraham eat? Chrysol. serm. 122. *Adhuc divitem malitia non deserit, adhuc in Lazarum crudelis est.* Eat pauper ex sinu Abrahæ. DEUS dedit divitibus multùm, ut dent pauperibus. *Constituit eum ut det illis in tempore tritici*

mensuram

mensuram. Cùm hoc ditior non facit, eripit pauperi, & DEUS illi tanquam servo infideli totum accipit. Si modò clamarem inter divites, unde ememus panes? invenirent pro canibus, &c. Sed si dicerem, pro pauperibus: audirem, debita habeo, magnam familiam, expensas. Exod. 32. Pro diabolo, pro vitulo, contulerunt alacriter etiam annulos, etiam inaures, cùm ædificandum fuit templum DEI. Aggæi 1. *Nondum venit tempus ædificandæ domûs*, mala sunt modò tempora, postea, &c. Da DEO, & qui pascit aves, feras, &c. dabit tibi, ita hic Apostoli statim. *Est hic puer unus* ex nobis, demus panes, & sunt multiplicati, & ipsis remanserunt cophini duodecem. Sed dæmon hic facit sicut si aliquis ingressus Apothecam, commisceat titulos pixidum, & ubi servatur saccarum applicet titulum veneni, & è contra, eleemosynis applicat titulum dissipationis, prodigalitatis, magnificentiæ, &c.

Causa secunda, quia non fiunt res cum ordine. Rom. 13. *Quæ à DEO sunt ordinata sunt.* Hic Apostoli fecerunt ordine suo quemvis discumbere; seorsim viros, mulieres, pueros, laborent Ecclesiastici circa spiritualia &c. Quod si fiat experiemur 2. Cor. 1. *Patrem misericordiarum*, quare Patrem harum? Quia sicut natura est DEI producere filium, ita esse misericordem ex naturæ necessitate. Anselm. in l. c. *Pater misericordiarum, quia ex visceribus ejus proveniunt in nos miserationes.* Miseretur. *Sustinent triduò.* Faciamus nostrum officium etiam modò potest manna dare. Nazianz. orat. 20. in funere Basil. Dum fuissent à Maximino pulsi Christiani, per septennium in deserto veniebant ad illos feræ, aves, ut illarum carnibus vescerentur. *O rem admirandam, ipsi prædæ suæ fuerunt arbitri, quantum duntaxat voluntas ferebat, detentum est: quod supererat ad secundam mensam in sylvas relegabatur.* Wading scribit, quòd DEUS S. Francisco præceperit cùm haberet quinque millia fratrum, ut de nulla re esset sollicitus, illud solùm in mente

mente haberet. *Jacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet.* S. Ignatio ut scribit Rho exemplar. lib. 2. dixit quispiam. Miraculum est quòd te cum sociis alas. At ille, Imò esset miraculum si res se haberet aliter. S. Dominicus Romæ cùm nihil haberet quod Fratribus centum apponeret, jussit eos mensæ accumbere, & statim ab ignotis duobus juvenibus allata sunt omnia sufficientia. Confidunt multi potiùs in suis industriis, & vacat agro, qui deberet vacare libro. Deut. 21. *Maledictus qui pendet in ligno.* Origen. in l. c. Existimo hanc eandem esse sententiam cum illa. *Maledictus homo qui confidit in homine,* huic opponit Ps. 142. *Beatus cujus DEUS Jacob spes ejus.* Cur Jacob.? Opes Jacob fuerunt. *In baculo meo transivi Jordanem.* Adhibito labore, *cum quatuor turmis redeo.* Ordo fecit, erat Pastor non agebat mercatorem, Laicus non Sacerdotem. Ordinem fecit in familia, ut dies festi colerentur, peccata abessent, &c. Sed qui spreta lege DEI confidunt in suis industriis, Ps. 33. *Divites eguerunt & inquisierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Hieron. legit *Catuli bonum depauperati sunt,* inquirentes autem &c. Leo ob robur, agilitatem, maximè potest catulis providere. Non proficit sine DEO. Sed multi à dæmone petunt panes, per fraudes, usuras, sed offert illis lapides. Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 7. *Vir bonus nunquam laborat inopiâ quàm diu habuerit salvam in Deo confessionem.* Etiam in adversis, quia in cœlesti Jerusalem Apoc. 21. etiam ab Aquilone sunt portæ tres.

Tertia causa, Quia DEO non agunt gratias, nec benedicunt. Verbum DEI abigit dæmones. S. Vincent. Ferrarien. vidit hominem in Lombardia in quo erant quingenti dæmones, quæsivit cur intrâssent, responderunt quia cibos non benedixit. Simile de Moniali Greg. 1. Dialog. quæ devoravit dæmonem lactucæ insidentem. Oratio impetrat quæ DEUS con-

ſtituit dare. Greg. ibid. *Prædeſtinata ſunt ut precibus obtineantur.* Oratio clavis eſt ad theſauros DEI, aperit. Eſt ſemen, 1. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat parcè & metet.* Benedixit Chriſtus panes, & ut Ambr. in Luc. 9. lib. 6. *Sicut juges fontes aquarum, ita jugis erat fluvius particularum panis.* Sed hunc fontem occludis qui non advocas Chriſtum, qui panem non priùs ponis in manibus Chriſti. Chryſol. ſerm. 41. *Negavit ſibi fontem vitæ qui ſitienti calicem aquæ negavit.* Chryſoſt. *Fontis in modum ſcaturiebant panes.* Ambr. *Sicut aqua in fonte ſuccedit aquæ ita panis panibus.* S. Aug. tr. 24. in Joan. *Panes illi quinq; quaſi ſemina erant, non quidem terræ mandata, ſed ab eo qui fecit terram multiplicata.* Hinc ſuadet Eccl. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa invenies illum.* Aquæ tranſeunt lachrymæ pauperum mendicantium. S. Joann. Eleemoſynarius dicebat. Non deficies Domine mihi ſubminiſtrando quæ pauperibus tribuam. Adrianus II. Papa quam dedit pecuniam pauperi, eandem apud ſe reperit.

Quarta cauſa, quia non ſumus grati DEO pro beneficiis. Oſeæ 7. *Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia, & non clamaverunt ad me in corde ſuo, ſed ululabant in cubilibus ſuis, facti ſunt quaſi arcus doloſus,* qui aliò ſagittam emittit quàm ad metam. Sed clariùs *Jer. 5. Saturavi eos & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur.*

Quinta, opus colligere fragmenta, non ad luxum vertere. Nyſſen. Orat. 5. de Orat. Dom. *Semen Patrisfamilias frumentum eſt, ex frumento panis conficitur, & luxus atq; deliciæ zizanium quod ab inimico juxta frumentum ſatum eſt.*

Huc facilè applicari poterit ea Concio, quæ habetur feriâ Quartâ poſt primam Dominicam Quadrageſimæ ſuper illud Thema. Cùm vidiſſet quod JESUS fecerat ſignum. Matth. 12.

CON-

CONCIO XXXII.

Pro Fer. Secunda post Domin. 4. Quadrag.

Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. Joann. 2.

INgressus templum Christus ejiciebat ex atrio ementes & vendentes ea quæ Sacerdotes ordinaverant, ut in promptu essent ad sacrificium, ne ullus non haberet quod offerret, insuper erant qui pecunias mutuò dabant ad illa coëmenda. De vultu autem Christi prodibant radii quidam, qui terrefaciebant Judæos ne illi obsisterent, & ita simul pro templo agendo vindicabat se à calumnia quam illi poterant & solebant inferre, quasi non honoraret templum. Quocirca hinc templi honorem discamus.

DEUS agit ut liberalissimus Princeps cum subditis, dat illis omnes dies, & ait, solùm mihi relinquite hanc diem, ita DEUS, solùm mihi relinquite diem festum, uti ille dat omnem terram, & solùm dicit, relinquite mihi hanc partem agri, id est templum, quodsi etiam in hanc partem involaverint, dolore tangitur: Nonne satis vobis dedi, & hoc mihi rapitis? Magnum verò est posse DEI. Principum mundi est posse punctum. Quod poterunt illi incertum est, & non est: quod poterant jam non est, quia de tempore non habemus nisi unum *nunc*, & hoc est tam exiguum, ut quasi indivisibile cogitetur, DEI posse quod nos cogitamus præteriisse, quod futurum, totum nunc est, quia in æternitate nec est præteritum nec futurum. Sed quidquid est, nunc est Dan. 7. *Potestas ejus* potestas æterna quæ non auferetur, at *regnum ejus quod non corrumpetur.* Si aliquis Princeps viveret decem millibus annorum, & potestas ejus futura & præterita in unum colligeretur punctum, quanta

quanta esset? potestas DEI tota in uno est puncto. Quis illi resistet? vindicabit verò quæ illi rapimus, rapuerunt templum Judæi, & in domum negotiationis converterunt, &c. Repetit quod suum est, & ex mansuetissimo efficitur severus adeò, ut de illo scriptum intellexerint discipuli. *Zelus domûs tuæ comedit me.* Sicut enim cibus vertitur in nostram substantiam dum illum comedimus, sic Christus factus non tam zelosus quàm zelus. Mira res est, homo qualem vult sibi facere DEUM talem potest, licet DEUS minimè in se mutetur. *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris.* Sicut speculum est unum in se, si tamen illi formosam opposueris imaginem, reddet formosam: si deformem reddet deformem.

Zelus oritur ex amore, & tantùm quis zelat quantùm amat. Unde neque canem amici patimur affligi. Hinc qui amant DEUM prohibent quos possunt, ne illum offendant. Ps. 118. *Vidi prævaricantes & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.* Hinc oritur illa sitis lucrandi animas, ut non offendant, sed potiùs laudent DEUM. Ex hoc zelo circa suos domesticos potest colligere Paterfamilias quantùm amet DEUM &c. Hoc zelo 1. Machab. 2. ardebat Matathias cùm videret idolis sacrificantem Judæum. *Doluit, & contremuerunt renes ejus, & accensus est furor ejus secundum judicium legis, & insiliens trucidavit illum super aram, & Zelatus est legem.* Ad hunc zelum quisque ex amore DEI obligatur. Greg. Pastor. p. 3. *Si populos fames attereret & occulta frumenta ipsi servarent, authores proculdubio mortis existerent. Quâ itaq; plectendi sunt pœnâ considerent, qui cùm fame verbi DEI animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant Prov. 10. Qui abscondit frumenta maledicitur à populis. In populis autem talis quisq; maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum quos corrigere potuit pœna damnatur. Si medicinalis artis minimè ignari secandum ulcus cernerent,*

nerent, & tamen secare recusarent, profectò peccatum fraternæ mortis ex solo corpore committerent, quantâ ergò culpâ involvuntur, aspiciant. Qui dum cognoscunt vulnera mentium curare, ea negligunt sectione verborum. Jer. 48. Maledictus qui prohibet gladium suum à sangvine. Gladium à sangvine prohibere, est prædicationis verbum à carnalis vitæ interfectione retinere. Cùm ergò zelus ex amore DEI proficiscatur & se extendat circa res ad DEUM spectantes, & qui eum negligit damnetur. Cogitent invasores bonorum Ecclesiasticorum, Cleri & Religiosorum persecutores quæ illos pœna maneat. Nemo patitur suam domum spoliari & DEUS inultum hoc crimen habebit? Historia scholastica scribit, quòd Pompejus semper fuerit victor, sed postquam in atrio templi Jerosolimitani, quia stabula in civitate non suffecerant collocavit equos, deinceps semper vincebatur & tandem est occisus. Si ita punitus violator templi Ethnicus, quid fiet de Christianis? Psal. *Si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem utiq; tu verò homo pacis meæ &c.* Tu Christiane qui scis quòd sit mea domus: tu qui mihi in Baptismo fidem dedisti? &c. Querimur nos flagellari à DEO, & domum ejus incendimus &c. Volumus ut Christus non sit zelosus?

Sunt Judices qui de limitibus judicant, ita Christus judicat de limite DEI. De parte quam sibi DEUS reliquit in terra, hoc est, de templo. Et si tantus est zelus quantus est amor, cùm DEUM summè amet, summè etiam zelabit. Ejecit vendentes pro sacrificio, quid faceret de colloquentibus tempore sacrificii? de bobus, ovibus, &c. dixit. *Auferte ista hinc.* Certè de habentibus carnales cogitationes dixisset *Foris canes, & omnis qui facit iniquitatem.* Dixisset quod Assverus Esther. 7. de Aman. *Etiam Reginam me præsente vult opprimere in domo mea?* Locus iste sanctus est, & domus

DEI vocabitur, ita agendum est ut decet in domo DEI. Moysi volenti accedere rubum in quo DEUS erat Exod 3. dictum est. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est.* In nostro templo est in Eucharistia Christus & illi assistunt Angeli &c. Domus est ista in qua placandus est DEUS, in qua dolendum de peccatis, & in eadem irritatur! Isai. 9. *Adhuc manus ejus extenta, & populus non est reversus ad percutientem se.* Jam suum zelum cæpit exercere, jam aliqua templa tradidit in manus Barbarorum, malens illa ab eis retineri quàm à Christianis prophanari, quia jam ab illis templis recessit, in nostris præsens est & inhonoratur. Jam Isai. 59. *Indutus est vestibus ultionis, opertus est quasi pallio zeli, indutus est justitiâ ut loricâ, galea salutis in capite ejus.* Fecit judicium de templo, quia sustinuit suos violatores, faciet & de violatoribus. Habemus locum in quo DEUM exoremus in quo placemus, negligimus Apoc. 2. *Dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione sua.* Omne peccatum in Sacra Scriptura appellatur fornicatio, adulterium. *Ecce ego mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulatione magna erunt nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint, & filios ejus interficiam in mortem. Et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans corda & renes, & dabo unicuiq; vestrûm secundùm opera sua.*

Concludo quæstione, cur mortui in templo sepeliantur, magnus est honor in templo sepeliri; sicut si Rex alicujus cadaver juberet in sua camera deponi. Sepeliuntur itaque Sancti ut corpora eorum recipiant honorem in eodem loco in quo DEO specialiter servierunt. Qui sunt in purgatorio, sepeliuntur, ut vivi visis eorum monumentis moveantur ad orandum pro illis. Damnati mallent sub patibulo sepeliri, quia dum sua corpora vident in loco sacro, vehementer cruciantur quòd locum sanctum inhonoraverint, remedia salutis quæ in illo offerebantur, neglexerint.

CON-

CONCIO XXXIII.

Pro Fer. Tertia post Domin. 4. Quadrages.

Mea doctrina non est mea, &c. Joann. 7.

VEnit Christus ad templum *mediante die festo* tabernaculorum, quod festum durabat diebus septem, itaque die quartâ venit, ibi à Judæis objecta sunt illi tria crimina. Primum, quia sciebant illum non studuisse, & videbant peritissimum in Scripturis, inde dicebant diabolus illum docet. Alterum, cùm tanta faceret, dicebant illum facere propter vanitatem. Tertium, quia Sabbato sanavit hominem, dicebant non servare Sabbata. Ad primum respondit se à Patre suo esse edoctum. Ad 2. se non suam sed Patris sui gloriam quærere. Ad 3. Moyses non prohibuit Sabbato circumcidere, itaque multò minùs verbo sanare. Nos videamus quid responderemus si hæc nobis objicerentur, & objiciet qui pro nobis hæc sustinuit.

Primum ergò est crimen, quasi cum dæmone haberet commercium, hujus an non sumus rei? Dæmonis commercium quisque Christianus verbis execratur, sed de re agitur, qui reddit gloriam alicui certè cum eo commercium habet, illi enim servit. Audite ergò Basil in Ps. 28. *Quemadmodum bonis factis gloria DEO redditur, sic & Adversario per iniqua &c. Caveamus igitur hanc diabolo ferre ne cum ipso æternæ tradamur verecundiæ.* An non reddit gloriam qui se dæmoni incorporat ut ejus membrum efficiatur, illumque pro capite suo seu Principe agnoscit? S. Gregor. homil. 16. *Certè iniquorum omnium caput est diabolus, & hujus capitis membra sunt omnes iniqui. An non diaboli membrum fuit Pilatus? an non diaboli membra Judæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt?* Confirmat hoc ipsum S. Bernardus serm. 1. in capite Jejunii de omnibus loquens peccatoribus. *Felix membrum quod Christo ad-*

sto ad-

ſio adhæſerit per omnia capiti, & ſequatur illud quocunq; ierit. Alioquin ſi fortè abſcindi ſeparariq; contingat privetur neceſſe eſt ſtatim ſpiritu vitæ. Nec ſanè deerit qui expoſitum occupet, ut ne tunc quidem ſit absq; capite. Germinabit ſurſum radix amaritudinis, venenatum caput iterum pullulabit. Illud inquam caput quod in eo contriverat antè fortis mulier Eccleſia &c. Videbit ergò jam, ſi fuerit qui revelatos habeat oculos cordis, & ſpiritualiter intueatur, horrendum omninò monſtrum, corpus quidem hominis caput autem dæmonis habens. Siquidem origo peccati eſt ſuperbia, quia homo legi Divinæ non vult ſe ſubjicere; de Lucifero autem dictum Job 41. *Ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Ex ſuperbia oritur avaritia, dum quæruntur ea per quæ quis expleat ſuperbiam. Sequitur luxuria Greg. 26. Moral. 13. *Multis ſæpè ſuperbia luxuriæ ſeminarium fuit, quia dum eos ſpiritus quaſi in altum erexit, caro in infimis merſit. Hi priùs ſecretò elevantur, ſed poſtmodum publicè corruunt.* Luxuria non eſt ſine gula. &c. Multi verò ſunt in mundo peccatores, & hoc ſignificabat arca Noë, de qua Greg. homil. 38. *Arca quæ hujus Eccleſiæ typum geſſit, & ampla in inferioribus, & anguſta in ſuperioribus fuit, &c. Inferiùs quippe quadrupedia atq; reptilia, ſuperiùs verò aves & homines habuiſſe credenda. Ibi lata extitit ubi beſtias habuit, ibi anguſta, ubi homines ſervavit.* Quid dicemus, quando objicietur nobis cum dæmone commercium habuiſti, rejecto Chriſto? quo nos iſte dux deducet?

Alterum crimen fuit vanæ gloriæ quod Chriſto eſt objectum, Videbant illum magna facere, populum ſequi, dicebant illum iſta facere ut haberet honorem & gloriam apud homines. *Nunquid tu major es Patre noſtro Abraham? quem teipſum facis?* Abraham etſi fuerit tantus tamen hæc non fecit quæ tu. Verè es hypocrita qui ſolùm propter oculos hominum agis, in quo graviter peccabant temerario judicio. Nam opera, quæ poſſunt bono & malo fine fieri, non debemus in malum trahere.

trahere. Hinc in vitis Patrum scribitur de quodam Eremita qui alium manè comedentem die jejunii condemnavit apud se, quòd ab Angelo cum stricto gladio prohibitus fuisset suam intrare cellam priusquam eum de hoc peccato pœnituisset. In quo alium judicamus in eo ipso nos damnamus, quia ex nobis ipsis alios metimur, et si essemus boni alios non diceremus malos. Unde Tertull. de idololatria. *Nemo immundis videri mundus potest.* Talia cavere debemus. S. Aug. serm. de verbis Domini in monte. *Etsi suspiciones vitare non possumus quia homines sumus, definitivas tamen sententias continere debemus.* Oriuntur hæc judicia, ut dixi ex nobis ipsis Eccli. 3. *Stultus in via ambulans cùm sit ipse insipiens omnes stultos judicat.* Hoc peccatum est contra charitatem. Quia ut 1. Cor. 13. *Charitas non cogitat malum.* Nam inprimis, ut ait in vitis PP. Abbas Pastor. *Quâcunq; horâ tegimus peccata Fratris nostri tegit & nostra DEUS, & quâcunq; horâ prodiderimus culpas fratrum & DEUS nostras prodet.* Quia in quo judicio judicaverimus alios in eodem & ipsi judicabimur. Quare ut B. Isaias Abbas orat. 8. *Si quis virtutes magnas fecerit & curationes, & omnem scientiam habuerit, & mortuos suscitaverit, & corpus suum afflixerit: viderit autem aliquē in peccatis omnibus versantem eumq; despexerit, ea nihil illi proderunt, quia Christi membra contemnit, eaq; ipse judicat, nec relinquit judicio DEI.* Temerè Christum judicando objecerunt quòd propter homines gloriam quærendo ageret. Sed quid nos respondebimus, qui plurima non rectâ intentione agimus? Monet Basil. orat. Quòd mandata præterimus. *Multâ diligentiâ opus est non solùm in cavendis malis, sed & iis bonis observandis quæ conamur,* &c. Illi nostra opera donamus ad quem intentionem dirigimus. Hinc multis dicetur, non propter me fecisti. Pepercisti inimico sed propter interventionem magnatis, amâsti proximum sed non propter me, quia propter me

etiam diligendus erat inimicus.&c. Quanta erit ruina nostrorum bonorum operum!

Tertium crimen, quasi Christus violâsset sabbata, ex hoc malo multæ sequuntur DEI plagæ. Quia festa violamus. Isai. 18. *Si averteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum dum non facis vias tuas, & non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem tuum, tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob Patris tui.* Hic modus est descriptus celebrandi festa, & benedictiones DEI quæ talibus dantur. *Si averteris à Sabbato pedem tuum.* Ne itinera facias, vecturas die festo. *Facere voluntatem* &c. Non pecces, cave ab ebrietatibus, choreis. *Vocaveris Sabbatum* &c. Opera bona facere, eleemosynas, audire missam &c. *Glorificaveris* abstinendo ab exercitio officii tui, Judex non judicet, &c. *Non loquaris*, scilicet in templo aut temerè judicando sedendo ante domum. *Delectaberis.* DEUS tibi benedicet. *Sustollam.* Dabit tibi vitam æternam. Notandum illud Ambr. serm. 14. quod dicit de festo Nativitatis Christi, quia similis est ratio de omnibus festis. *Quisquis in illa die sordidus fuerit ac pollutus, intersit licet Dominicæ festivitati corpore, mente tamen longiùs à Salvatore separatur &c. nisi quod magis ingerendo se offensionem contrahit. Dum enim vult officiosus esse injuriosus existit. Sic ille in Evangelio, qui in cœtu Sanctorum invitatus ad nuptias venire ausus est vestem non habens nuptialem, & cùm niteret aliusjustitiâ alius fide &c. Ille solus fœditate pollutus cunctis splendentibus deformi horrore sordebat.* Et *quantò plùs discumbentium Sanctorum Beatorum candebat castitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minùs displicuisse forsitan si in consortium Justorum minimè se dedisset &c.* Opposita enim propè se posita magis patent. Ita quasi commemoramus die festo co-

ſto coram DEO, Tu in Evangelio hoc docuiſti, ego hoc non feci. Iſte Sanctus talem vitam tenuit ego contrariam &c. Hoc crimen falsò eſt objectum Chriſto, videamus ne nobis verè.

CONCIO XXXIV.

Pro Feria Quarta poſt Domin. 4. Quadrageſ.

Vidit cæcum à Nativitate. Joan. 9.

MOris erat Chriſto ut cùm ſanaret corpora quaſi per tranſennam id faceret, ut hìc: *Præteriens JESUS* & univerſim Act. 10. *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo.* Sed cùm ſanaret morbos animi conſidebat, ita cùm Samaritana ad puteum *ſedebat* ſic ad Zachœum & Matthæum deſcendit in domum, cum diſcipulis in Emmaus. Ex quo patet quòd difficiliores ſunt curatu morbi corporis quàm animi. Videamus ne nos etiam ſimus cæci, & ſi ſumus, medicinam iſtius cæci adhibeamus.

Quòd corpori ſunt oculi, hoc animæ eſt intellectus: ſi ergò oculus ſit qui videat omnia, attamen in via hominis pedes non dirigat, an eum non appellabimus cæcum? Dæmones gaudent tenebris, unde Epheſ. 6. dicuntur *Rectores tenebrarum.* Sed de hoc non ſunt ſolliciti ut intellectum ita obſcurent, ne videat quid ſit virtus aut peccatum. Sed tantùm quando eſt agendum, ne dicat, hoc age, hoc relinque. Unde practicum intellectum obſcurare laborant. Ita veteres Philoſophi ut plurimùm de virtutibus optimè diſcurrebant, vitia deteſtabantur, & ipſi peſſimè vivebant, & ut Rom. 1. agnoſcebant DEUM colendum eſſe virtutibus, non colebant. Et multi reperiuntur qui alios optimè docent quomodo vitam rectam agere debeant, ipſi rectitudinem non attingunt &c. Et quis peccator neſcit periculoſum eſſe peccare, carni vacare, inebriari &c? oſten-

dit hoc illi intellectus, ſed cùm occaſio datur inebriandi, non dictat dictando non inebriare, non exere iram &c. Et hæc eſt cæcitas mentis: vel ſi dicit, tamen alterum habet dictamen, quo regitur, fac hoc. Hanc cæcitatem induxit peccatum originale, & augent quotidie actualia, unde Pſ. 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum.* Ex quo virtus dereliquit, cæcitas acceſſit. Ita multi ſunt qui ſe vident malam vitam agere, teneri ad reſtitutionem &c. Tamen non dicit illis intellectus efficaciter muta vitam, redde quod detines alienum. &c. Sap 17. *Horribiles voces audiebant Ægyptii cùm in tenebris eſſent, ſed fugere non poterant, unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati.* Audiuntur terribiles voces Prædicatorum de judicio extremo &c. Et ecce peccator fugere non poteſt quia catenâ tenebrarum eſt ligatus. Movet ſe quidem loco ſed ut alligatus non recedit, quia tenebræ ſunt in intellectu, nec dicit, recede. *Malitia ſua excæcavit eos.* Et tam frequens eſt hic morbus quàm frequentes ſunt peccatores.

Jam ad remedia. Lutum imponendum eſt oculis, præ oculis habendum quòd ſimus lutum tenebroſum, & non plùs videamus quàm lutum, id eſt, res materiales, unde ut videamus ea quæ animã ſpectant, opus eſt illo lumine quod orabat Pſal. 12. *Illumina oculos meos.* Greg. 34. Moral. 17. *Hoc proprium ſpecimen Electorum eſt, quòd de ſe ſemper ſentiant infrà quàm ſint. Hinc Salomon ad ſapientiam parvulos vocat. Si quis eſt parvulus veniat ad eam, qui necdũ ſemetipſum deſpicit humilẽ DEI ſapientiã non apprehendit.* Quare enim homo dejectus ad hanc cæcitatẽ, quia *cùm in honore eſſet non intellexit.* Quid non intellexit? reſpõdet S. Bern. in Cant. ſerm. 35. *Poſitus in honore non intellexit quòd limus eſſet.* Hinc etiam Cant. 1. *Si te ignoras egredere poſt greges ſodalium tuorum.* S. Bern. l. c. *Non dixit, egredere cum gregibus, aut egredere*

gredere cum gregibus, ad greges, sed egredere ait post greges sodalium tuorum. Ut quid hoc? Sanè ut secundam ignorantiam priore magis pavendam pudendamq; ostenderet, quòd illa hominem parem bestiis fecisset, ista & posteriorem. Magnum malum cæcitas orta ex originali, nec minus malum quàm propria inducunt peccata, & hæc ortum inde habent quia nos non cogitamus limum, & veluti aliquid præstans essemus contra DEUM erigimur. Limum nostrum oculis imponamus. B. Ægidius discipulus S. Francisci dicebat, ut est in Schola PP. *Quemadmodũ Rex missurus aliquò suam Filiam non imponit equo feroci, ita DEUS cùm mittit gratiam non imponit superbo.* Ex hac sui cognitione procedet oratio qualem describit Tertull. lib. de Oratione, *Cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimiùs, sed temperatè ac probè elatis, ne vultu quidem in audaciam recto* &c.

Deinde conferamus nos ad Siloë natatoria, id est, *Missus.* Epiph. lib. de vita & interitu Prophetarum ait. Cùm Isaias secandus serrâ ad supplicium duceretur, gravi correptus est siti. Petiit à DEO aquam, fons erupit qui constituit piscinas dictas natatoria Siloë, ad radices montis Sion. Dicuntur *Missus*, quia fons ille Christum significat qui à DEO in mundum missus, piscinæ ipsæ quæ de Christo implentur sunt Sacramenta. Ad hæc qui cæcus est cum hoc cæco accedat, maximè ad pœnitentiam & S. Eucharistiam, Spiritus S. est dator luminis, ille nobis in pœnitentia se indulget simili quodam modo ac in Baptismo. S. Anastasius Synaita in Ps. 6. *Quemadmodum per aquam & Spiritum, sic per aquam lachrymarum, atq; æstum compunctionis baptisamur ac purgamur Spiritûs S. participes effecti. Non enim aut Baptismus aut vera lachrymarum compunctio sine Spiritu S. unquam dari solet.* Sed pœnitentiam describit Cypr. serm. de lapsis. *Putasnè tu Dominum citò posse placari quem verbis perfidis abnuisti, cui*

patrimonium præponere maluisti, cujus templum sacrilegâ contagione violâsti &c. ꝛ *Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctem ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus ducere, strato solo adhærere, cineri in cilicio volutari & sordibus, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere quibus purgantur peccata &c. Pœnitenti, operanti, roganti, potest clementer ignoscere, potest acceptum ferre quidquid pro talibus & petierint Martyres & fecerint Sacerdotes.* Quod quanquam ille delapsis in idololatriam inter tormenta dicat, omni peccato accommodari potest, cùm omne peccatum idololatriam contineat ut docet Tertull. de idololatria. Sacramentum Eucharistiæ etiam lumen impertit. *Quia in eo est lux illuminans omnem hominem, est lux mundi,* est *lumen de lumine.* Tantùm observandum est monitum S. Ambr. serm. 3. *Gemma sicut ipsi scitis nisi auro non convenit, margarita nisi pretiosis monilibus non aptatur. Estote ergò aurum optimum, estote monile pretiosum ut possit in vobis specialis margarita includi. Margarita Christus est Dominus &c.*

Ubi ista adhibuerit remedia cæcus peccator, estq́ue cæcus quia non videt suum periculum Sopho. 1. *Ambulabunt ut cæci quia Domino peccaverunt.* Illuminabitur ut iste cæcus qui dicebatur Chelidonius & ad magnam sanctitatem pervenit, atq́ue ita cum Magdalena, Martha, Lazaro, ut scribit Conc. hodier. S. Vincent. venit in provinciam Marsiliæ. Tunc videbit in quo sit periculo sicut Mercator qui expositâ omni substantiâ pro gemmis vitrum emit, & tandem vitrum esse jam post nundinas deprehendit. Greg. 32. Moral. 1. *Sancti Viri quò apud DEUM altiùs virtutum dignitate proficiunt, eò subtiliùs se indignos deprehendunt, quia dum proximi luci fiunt quidquid in seipsis latebat inveniunt. Si igne compunctionis anima incalescens à torpore suo tacta su-*

cta subito afflatu contemplationis evigilet, illa quæ levia paulò antè credidit mox ut gravia & mortifera perhorrescit, cuncta enim vel in minimis noxia quasi atrocissima refugit. Tunc agnoscet propter sua peccata puniri alios non quidem in anima, nam *filius non portabit iniquitatem Patris* ut Ezech. 18. Sed tamen in corpore, videbit ergò quanta intulerit mala. Nam ut Hier. cit. à S. Vinc. hic. *Peccata secreta Parentum quæ committuntur in cameris manifestantur multoties in punitionibus filiorum.* Siquidem Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis & zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Et Isai. 14. *Præparate filios ejus occisioni in iniquitate Patrum eorum.* In DEI enim placito dare bonum temperamentum corporis vel malum, nec ad bonum dandum obligatur ulli. Dat ergò malum quando vult, unde morbi oriuntur &c. At propter Heli Patrem. Reg. 2. constituit se domum Heli judicaturum in æternum. Videbit à se rapi præmium laborum & dari aliis, quia cùm à justitia defecit, quòd illi parabatur alteri est collatum. Job 14. *Qui conteret multos innumerabiles & alios pro eis stare faciet.* Ita Heli successit Samuel, Sauli David, Judæ Matthias, Synagogæ Ecclesia. Videbit quàm vanæ sunt opes quas habet sicut si infirmus multa ostentet emplastra, multas pilulas, syrupos, ungventa. Remedia sunt morborum quæ habemus, famis cibus, nuditatis vestitus, &c. Si his non egeremus non ea quæreremus.

CONCIO XXXV.

Pro Fer. Quinta post Domin. 4. Quadrages.

Defunctus efferebatur &c. Tetigit loculum &c. Luc. 7.

QUod peccatorem hic juvenis notet, & quidem publicum cujus jam peccatum non intra domum latet, nec intra civitatem,

tatem, sed etiam extra portas processit & ipse ad sepulchrum ducitur id est infernum. *Mortuus est dives & sepultus in inferno.* Constat ex S. Jacobo 1. *Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem.* Sed qui sunt portitores qui usque ad sepulchrum deportant hunc mortuum, hoc est in inferno sepeliunt, & sepelient nisi Christus illos stiterit, hoc mihi sumo ad inquirendum.

Greg. in Ps. Pœnit. quærit, quando homo censendus est esse mortuus? & ait. *Mortui sumus quando implemur ossibus mortuorum.* Sed hoc est potiùs esse sepulchrum quàm mortuum. Sed benè nihilominus hìc Sanctus. Nimirum quando ossa nostra sunt mortua. Explicari hoc potest ex S. Bern. serm. 63. in Cant. *Arbor arida & in sterilitatem versa nonne mortua judicatur?* Cùm ergò ossa nostra sunt arida & sterilia, tunc sunt mortua; cùm sunt veluti in sepulchro plena horroris, sermo perjurus ac fœtens, cogitatus similes, actiones non dispares &c. Portæ per quas exportatur hìc mortuus, sunt juxta Greg. l. c. quinque sensus, aliqui exportantur per visum. *Qui seminat inter fratres discordias & iniquitatem in excelso loquitur, per oris portam mortuus effertur. Et quidem hoc mihi videtur significare juvenis extra civitatis portam delatus quem suscitavit JEsus. Signat enim hominem delectatione mortuum, & per pravi operis indicia jam extra portas elatum.* Portitores hos assignat S. Vincent. Conc. hod. *Quatuor portant peccatorem ad sepulturam inferni.* Mala consvetudo, mala societas, confidentia de longiore vita, præsumptio de misericordia DEI.

Consvetudo, vel quia homo ipse assvevit peccato, vel quia etiam alii sic agere solent, quòd alii malè agant, opprimant subditos, pejerent, vanè se vestiant, inebrientur, non excusat nos à peccato. Tertull. lib. de Virginib. velandis. *Dominus noster Christus veritatem se non consvetudinem nominavit.* Si Christus nobis est DEUS, illum sequamur: Si consvetudo est

est DEUS, illi insistamus. Dixitné aliquando veritas. *Velitis conformari nequam huic sæculo?* Dixitné, sequamini seculum. Abrenunciâsti Sathanæ & pompis ejus, quid eum sequeris? Sed consvetudo me, ais, detinet, desvescere non possum. Itaque excusas eum qui assvevit furari, latrocinari, &c. non potes. Igitur jam teipsum inferno adjudicas & ore tuo te damnas. Et certè quantò magis assveveris tantò minùs poteris: & cùm tandem volueris non poteris. Jer. 13. *Si mutare potest Æthyops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere, cùm didiceritis malum.*

Alter portitor, mala societas. Ambr. 2. off. 19. *Ostendunt adolescentes eorum se esse imitatores quibus adhæserunt, &c Inde tantus JEsus Nave quòd eum non solùm erudivit ad legis scientiam Moysi copula, verùm etiam sanctificavit ad gratiam, &c. Omitto quòd Abrahæ adhæsit Loth adolescentulus etiam proficiscenti &c. Quid de Elia atq; Elisæo loquamur licet non expressè Elisæum juvenem scriptura loquatur* &c. Non minùs quisque proficit à socio quàm à Magistro sumit à socio verba & exempla. Audies detractiones, &c. Greg. hom. 27. *Amicus quasi custos animi vocatur.* Illi tradis animam in custodiam, sed si fuerit prædo? sunt morbi qui contagio inficiunt & nullus magis quàm socius malus. Tertius portitor est spes vitæ longæ, hæc facit ut conversio differatur. Sed ecce adolescens efferebatur. Sed utique mors est pœna peccati, si itaque differs conversionem & peccata cumulas, mortem advocas. S. Bern. ad milites templi cap 11. Primus homo *quid justiùs recipere poterat quàm talionem? vita siquidem animæ DEUS est, ipsa corporis &c. Noluit anima regi à Deo non regat corpus: non paret superiori, inferiori non imperet.* Tum futurus finis mundi quando finitur numerus Electorum & reproborum: tunc etiam hominis cujusq;

quando peccatorum complet cumulum, ait Osor. tom. 5. Con. hod. *Non ergò DEUS vitam numerat per annos sed per peccata, quia licet secundùm naturam plures annos victurus esset, à Deo succiditur, & ideò plures in juventute rapiuntur &c. quia licet parùm vixerit juvenis, multùm tamen peccaverat.* Eccli. 7. *Ne impiè agas multùm, & noli esse stultus, ne moriaris tempore non tuo.* Qui differs converti audi Jobum 12. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat, tenebitur planta ejus laqueo, & contra eum exardescet sitis.* Peccator est in reti diaboli, & quò diutiùs in eo durat, sicut fera, magis illo involvitur, & quæ poterat si à reti statim recessisset, libera evadere, tandem se non potest extricare, sic Peccatori confessio difficilior redditur, difficultates conversionis crescunt, restitutionis materia cumulatur. Greg. *Perversa mens cùm in peccatum venisse se conspicit, quâdam cogitationis superficie evadere laqueum quærit, sed vel terrores, vel opprobria hominum timens, eligit in æternum mori quàm ad tempus aliquid adversitatis perpeti.* Sicut fera postquam luctata in reti, desperatione concidit, & quasi emortua expectat ictus venatorum. *Sed & sitis contra eum exardescit, quia quò agere perversè consvevit, eò ad bibenda mala vehementer accenditur.* Oves Christi subinde errant, sed cùm eas Christus vocat, audiunt sitim hanc peccati. Idem Greg. lib. 5. in Reg. cap. 4. ampliùs explicat. *Priùs peccare quisq; consvevit, deinde per usum peccandi proficit in augmentum fervoris, ut peccare sæpiùs audeat, & hoc quod audendo ingeminat, semper ardentiùs iterare concupiscat.* Jam horrendum est quod sequitur. *Formam Dei de reproba mente fervens peccatum tollit, & hanc ad apostatæ Angeli formam redigit.* Ut jam sicut dæmon continuò peccare appetat.

Quartus portitor est spes mala in misericordia divina, quæ non est spes sed præsumptio, estque peccatum contra Spi-

Spiritum S. Peccator qui agit pœnitentiam, facit ex sua parte quod potest, talis potest sperare de misericordia Dei: sed impœnitens qui addit quotidie peccata peccatis, non dolet, non vult restituere, non vult injurias condonare, non debet sperare misericordiam. Imò addit S. Vinc. Con. hod. *Quodsi Virgo Maria, omnes Angeli, & omnes Sancti orarent pro uno peccatore impœnitente, nihil à Christo obtinerent.* Quia DEI misericordiæ talis illudit, ut ille medico, qui dum curari petit à veneno, non desinit sumere nova venena. Ps. 113. *Qui timent Dominum sperent in eo.* In quæ verba 29. Moral. Greg. c. 9. *Acsi diceret, de spe incassum præsumit, qui timere DEum in suis operibus renuit.* Imò ut spem habeas non satis est peccata deserere, sed etiam pro illis opus est agere pœnitentiam. Idem pastoral. p. 3. *Admonendi sunt qui admissa deserunt, nec tamen plangunt; ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant nullis tamen fletibus mundant. Neq; enim scriptor si à scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat delevit: nec qui contumelias irrogat, si solùm tacuerit, satisfecit, nec debitor* &c.

Hi sunt portitores qui innumeros homines deportant ad infernum. Contra primum, illud meditandum quod Greg. 27. Mor. 14. in verba Jer. 12. Cōgrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis. Greges assveverunt simul incedere, agere quod agunt alii. *In die enim occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta quæ debuerunt agere sentiunt cùm digna pravitatis suæ supplicia jam declinare non possunt.* Advertes sed tardè malum consvetudinis. Alteri portitori oppono illud S. Ephrem cap. Seipsum reprehendit. *Bonorum familiaritatem dilige malorum fuge. Neq; enim venefici, aut latrones, aut fures nati sunt tales, sed evaserunt cum illis versantes quorum corrupta mens erat à Sathana, DEUS enim fecit omnia valdè bona. Nec enim meretrix diligit alienum à libidinibus,* &c. Contra tertium

illud in mente habe, quod ſcripſit Hieron. ad Geruntiam. *Nemo eſt tam fractus viribus, tam decrepitæ ætatis ut ſe non putet annum poſſe ſupervivere.* Speres modò diutiùs te victurum, ſperabis ſemper, & ſperando peribis: ſiquidem S. Aug. ſerm. de Innocentib. *Hâc animadverſione percutitur peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret oblitus eſt DEI.* Contra quartum Eccleſ. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, ſubitò enim veniet ira illius, & tempore vindictæ diſperdet te.* In quæ verba S. Vinc. l. c. *Si Dominus noſter JEſus Chriſtus vocat nos, dicens, Venite ad me omnes per viam pœnitentiæ, & craſtinans dicit, Cras vadam, & ſic de aliis. De quo iratus Dominus mittit lapidem mortis & projicitur in ſterquilinium inferni.*

CONCIO XXXVI.

Pro Fer. Sexta poſt Domin. 4. Quadrageſ.

Lazare veni foras. Joan. 11.

TErra ſancta in tres partes fuit diviſa, Judæam, Galilæam, Samariam. In Judæa multos inimicos Chriſtus habuit, quare etiam ab ea receſſerat, interea Lazarus homo dives in Judæa mortuus, conſtituit Chriſtus eò ire ut illum ſuſcitaret. Diſſvadebant Apoſtoli, oppoſuit illis, *Nonne duodecem ſunt horæ diei,* in tot horas diem omnem Veteres dividebant, in qua illis inſinuavit, quòd hominum ira quæ eſt unâ horâ poſſit non eſſe aliâ, & quòd non quælibet hora data ſit Judæis ad cædem ſuam, ſi illa hora nondum venit, nihil eſſe timendum. Imò, excitavit Lazarum publicè, inter excitationis cæremonias conſideremus ſolùm Chriſti fletum &c.

Mortuus Lazarus, homo dives. Ergò divitiæ non ſervant à morte? ubi manſerunt divitiæ? quid ſecum detulit? ligatus inſtitis ſicut & pauperes, & hoc eo tempore quo mundus

dus erat florentior. Quid modò cùm tempora venerunt, de quibus potest illud Cypr. lib. 2. epist. 2. dici. *Prænuntiata sunt hæc futura in sæculi fine, & Domini voce atq; Apostolicâ contestatione prædictum est deficiente jam mundo atq; appropinquante Antichristo bona quæque deficere, mala verò atq; adversa proficere.* Mortuus dives, quis amet ruentem, si integer mundus decepit? Greg. hom. 4 *Si ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret, & qui stantem dilexerat recedere quantocyùs à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit & nos eum amplectimur, opprimi potiùs volumus quàm habitare &c. Si quando repentinus ignis habitaculum absumit, quisquis ejus possessor extiterit rapit quod valuerit & fugit, lucrum reputat si quid secum ex ignibus tollat. Ecce tribulationum flamma mundum concremat, & cuncta quæ in eo speciosa videntur finis jam proximus velut ignis devastat. Lucrum ergò maximum credite si quid de illo rapiatis.* Deportemus eò ubi fur nondum insidiatur, ubi tinea non demolitur. Et faciunt divites sed ita ut qui ex uno incendio rapuit, in alterum projecit: Cogitant se mortales, sed quid? hic Capitaneum in filium transfert aut vendit, hic beneficium in nepotes. &c. Et ipse sibi nihil ex his lucris comparat.

Flevit Christus Lazarum suscitaturus, quia cùm jam mortuus fuisset positus in statu impeccabili & quidem ut S. Vincent credit, in limbo SS. Patrum, revocatur ad vitam in qua deinde peccare poterat, & ut dives periclitari. Nam ut S. Greg. 3. Moral. 1. *Dives difficilè potest intrare in regnum cælorum. Apud homines hoc impossibile est, apud DEum autem omnia possibilia sunt. Matth. 19. Difficilè est divitem &c. Ac si diceret, Rhinoceros iste humanis viribus mansvescere non potest, sed tamen divinis subdi miraculis potest.* Novo ergò miraculo opus erat ut deinde Lazarus salvaretur, qui ut scribit S. Vincent. Tertiæ partis Jerosolymorum fuit Dominus. *Rhinoceros in naso cornu signi-*

ficat ait Greg. l.c. Mone divites, restituant, dent eleemosynas, statum malè acquisitum dimittant, &c. Ostendent cornu in naso, non in capite, ubi rationi conjungeretur, sed in naso ubi iræ passio fumat. Rhinoceros tectus est scutulis in partibus robustioribus, sed in debilioribus caret illis, ita divites DEI opponunt pro se scutum, orant aliquando etiam Breviarium, audiunt plures missas, sed non examinant an usuras non comittant, an suo officio satisfaciant, an sint domi suæ aliqua peccata? &c. S.Hieron, lib. 1. adv. Pelag. paulò post initium. *Quomodò camelus non potest intrare per foramen acûs, ita & dives non ingredietur in regna cælorum, aut si potueris ostendere quòd dives ingrediatur regna cælorum, sequitur ut & camelus intret per foramē acûs. Nec mihi Abraham &c. proponas, non sibi sed aliis divites fuerunt; dispensatores magis quàm divites appellandi &c.* Erit miraculum si dives egerit DEI dispensatorem, proinde & miraculum si salvabitur. Quis enim est ut fuit S. Joannes Eleemosynarius Patriarcha Alexandrinus ut est in ejus vita? Huic aliquando contigit habere pallium æstimatum triginta sex numismatibus, at ille *Habebat semper in ore, Pallio 36. numismatum humilis Joannes tegatur, & fratres Christi frigore necentur? quanti sunt modò qui dentibus strident præ glacie? quanti sunt modò qui psiatum intùs habentes dimidium & supra dimidium, & non possunt extendere pedes suos & dormiunt ut glomus trementes? Quanti in monte dormierunt incœnati & sine lucerna habentes duplicem cruciatum tam ex frigore quàm ex jejunio? quanti desiderant saturari de foliis olerum quæ projiciuntur de coquina mea? quanti vellent tingere panem suum in scommate quod projiciunt coci mei? Quanti cupiunt odorare vinum quod funditur in cellario meo? Quanti sunt in civitate ista in hac hora madefacti peregrini? quanti &c. Tu verò expectans etiam æternam assequi jucunditatem, &*

vinum bibis, & pisces immanes devoras, & in cubiculis demoraris, modò autem cum omnibus malis & coopertorio 36. numismatum te calefacis? veraciter ita vivens, & in tali laxatione conversans non expectabis illis præparatis gaudiis perfrui, sed audies utiq; quod & dives ille audivit. Recepisti bona in vita tua. Utinam similes cogitationes haberent divites nostri seculi. Et tamen Lazarus non legitur habuisse filios, qui sunt altera causa damnationis divitum, de quo Basil. ser. 2. in divites avaros hanc considerationem proponendo diviti. *Considera ne cum multis ærumnis opes cumulatas peccatorum materiam aliis tradas, dupliciq; postmodum plectâris pœnâ, & tuorum criminum, & aliorum quibus causam dederis.* &c. Et tamen propter hos potissimùm colligitur. Non legitur habuisse uxorem. Idem instit. eorum qui perfectam vitam capiunt. *Inprimis occasio maxima hominibus ad illecebras curasq; sæculares ac multas & anxias cogitationes quasi seminarium matrimonium est.* Hæ curæ sæculi opprimunt semen quod DEUS menti inserit, hæ tempus eripiunt ne de salute cogitet &c. Habuit Lazarus sorores sanctas, Martham & Magdalenam, viderat vitam alteram, certus de illo Christus fuit quòd ubi excitatus fuisset non corruptam ducturus esset vitam, & tamen flet, & turbatur illum excitaturus, orat. Non remiserat sua bona opera ad testamentum sed vivus agit benè, nam qui in testamento spem collocant in magno salutem periculo statuunt. Non inscripsit bona hæredibus, sed credendum est quod ex illis, sicut & sorores, animæ suæ vivens consuluerit. Quas lachrymas Christus emitteret si alius dives illi esset excitandus? Uteretur profectò verbis Michææ 1. *Super hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum quia desperata est plaga ejus.* Salvian. lib. 3. ad Ecclesiam. *Dives ille fuit de quo loquimur* Frater Lazari alterius mendici. *Divites sunt & illi ad quos lo-*

qui-

quimur, unius sunt nominis, caveant ne sint etiam conditionis. &c. Si excitandus esset qui non pauperes sed affines reliquit hæredes? Salvian. l. c. *Quaslibet divitias homo filiis suis congerat: nequaquam hoc ei proderit in judicio quòd divitem reliquit hæredem. &c. Nunquid succurrere hoc tibi inter supplicia summa poterit, si is qui res tuas prodigè comedit, lautus & pransus benè cœnavit? &c. Durum est ab aliquo filiis ac propinquis parùm relinqui, multò est durius in æternitate torqueri. Opinor eum divitem illum Epulonem cùm torqueretur, non tantùm delectabant opes hæredis sui, quantùm angebant tormenta corporis sui &c.* Quidsi opera misericordiæ non egisset, sed ad testamentum retulisset? Basil. serm. 2. in divites avaros. *Dices, Ego quidem bonis dum vixero frui volo, post mortem verò per testamentum pauperes scribam. Heu miser, tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cùm cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo? Scilicet magnâ es dignus laude, magnus honor tibi debebitur aut gratia, si in sepulchro jacens ac in terram conversus, magnificus ac sumptuosus appares? &c. Nullus post mercatum solutum negotiatur, neq; post certamina discedens coronatur, nec post bellum fortia gerit, nec item post vitam pietatis laudem præmiumq; capiet &c. Quot videmus repentinò vi ac casu extingvi qui præ doloris ac spiritûs angustiâ ne vocem quidem emittere potuerunt? quot etiam febris à sensu alienos fecit? &c. Hoc ostendis consilio, vivens ais bonis fruar, decedens quæ animo constitui ordinaviq; faciam. Erras homo. Tunc Abraham Evangelii illud tibi dicet. Recepisti bona in vita tua. &c. Si dum vivis mandatum Dei non audis post mortem quid existimandum est? nisi tunc Domino ea te dare, quæ vel ferre tecum nequeas, vel ne fortè ad inimicos perveniant, &c. Morti ergò non tibi gratia &c. Si tu nobilem hospitem domi exciperes & mensæ reliquias apponeres? quomodo ergò existimas ex repotiis DEUM placari?*

CON-

CONCIO XXXVII.
Pro Sabbato post Dominicam 4. Quadrages.

Ego sum lux mundi. Joan. 8.

SI nobis peregrinatio instituenda esset viarum ignaris, ubi veniremus ad bivium, cùm nesciremus quales illæ viæ in progressu essent, quæ lutulenta, feris aut latronibus, vel erroribus obnoxia esset, quæ verò bona, certè luce egeremus, hoc est tali homine qui nos de toto negotio verbis illuminaret. Si ægri intraremus apothecam, opus esset ut quis instrueret, quæ vitanda quæ sumenda essent. Peregrinamur ad cœlum, itinera plura offeruntur, & aliqua fallacia: desideramus salutem, occurrunt & remedia & venena, nescimus quid eligendum. Christus se offert in lucem, sequamur.

Nolebant credere Judæi quòd Christus lux esset cùm id de se assereret. *Tu perhibes testimonium de teipso* &c. In quo agebant more Judicum, qui non credunt si quis pro se loquatur, sed si contra se dicat, v.g. ego furatus, ego occidi &c. Statim fertur sententia. *Ex ore tuo te judico.* Christus verò ostendit testimonium quod de se dicit, verum esse, quia nec solus ipse de se testatur, sed etiam DEUS Pater cujus vocem multi audierant Judæi cùm in Jordane baptisaretur à Joanne, & de cœlo vox venit. *Hic est filius meus, ipsum audite.* Testatus hic Pater & Joanni qui apud illos fuit summæ authoritatis. *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic qui baptisat in Spiritu S.* Hoc testimonium publicavit Joannes. Deinde quia etiam credebant Prophetas missos à DEO, tamen non audiebant cùm illos mitteret DEUS, quia id secretò factum. Ipsi testabantur se missos à DEO, & credebant illis, præcipuè cùm in probationem hujus rei nullus Propheta fecit hæc

 mira-

miracula quæ fecit Christus: & Joann. nulla miracula fecit, tamē propter vitæ sanctitatem & miracula quæ in ejus Nativitate cōtigerunt, credebant illum à Deo missum; majora verò circa Christum contigerunt, nam Angeli auditi. *Gloria in excelsis &c.* Stella magos duxit. Nobis non est dubium quòd Christus sit lux, sed maximè ad eam attendere debemus, ne contingat quod peregrino & ægroto, de quibus locuti sumus initiò.

S. Bern. in vigilia Nativ. Christi serm. 3. *Unigenitus DEI, sol justitiæ, tanquam immensi & præclari luminis cereus in hujus mundi carcere illuminatus & accensus est.* Habet hoc omne peccatum ut tantas menti offundat tenebras, quæ veluti cæcum faciunt. *Ambulabunt ut cæci quia Domino peccaverunt.* Quare etiam peccator dormienti sæpè comparatur, propter quod dicit Ephes. 3. *Surge qui dormis.* Ante Christi adventum homines veluti ludum illum puerorum circa DEUM exercebant, in quo claudunt uni oculos, cæteri circumcursando manibus perstrepunt, quo ille seductus jam versùs hanc jam versùs aliam partem se vertit volens aliquem ex sociis capere, sed subinde impingit capite in parietem, subinde arripit truncum & putat se apprehendisse socium &c. Ita quærebant notitiam DEI, & alter pro DEO arripuit truncum, scilicet idolum &c. Alter postquam impegit capite, videbat creaturam non posse esse DEum, negârunt tanquam homines emoti cerebri ullum esse DEUM. Alii apprehenderunt quidē sed statim dimiserunt, ut illi sapientes de quibus Rom. 1. *Qui cùm cognovissent Deum non ut Deum glorificaverunt*, ideò traditi sunt in reprobum sensum. Quod ipsum etiam post Christum evenit Hæreticis, ut ita errent circa DEUM, ut jam non DEUM sed quoddam aliud colant, uti Ariani, Manichæi &c. Et accidit illis quod dictum Joan. 5. *Ego veni in nomine Patris & non accepistis me, si alius venerit in nomine*

suo,

ſuo, illum accipietis. Et 2. Theſſal. 2. *Pro eo quòd charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent, ideò mittit illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio.* Illuminavit Chriſtus circa fidem tam Synagogam quàm Gentes. Iſai. 49. Pater illi dixit, *Parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob & feces Iſraël convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea usq; ad extremum terræ.* Docuit de Trinitate Perſonarum in DEO quod fuerat utriſque ignotum, Docuit de ſua Incarnatione, de Euchariſtia, ut jam dicatur quod Iſai. 9. *Populus qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam.* Et adeò claram lucem ut dixerit Tertull. de præſcript. *Hæreſes apud eos multùm valent, qui in fide nõ valẽt.* Et rurſus. *Ut non inimici eſſent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non præmoneremur, quale eſt conferre cum hominibus qui & ipſi adhuc quærere ſe confitentur? ſi enim verè adhuc quærunt nihil adhuc certi deprehendunt, & ideò quidcunq; interim videntur tenere dubitationem ſuam oſtendunt quamdiu quærunt. Itaq; tu qui proinde quæris ſpectas ad eos qui & ipſi quærunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos.* Fides veſtra eſt lucerna, benedicamus Chriſto qui lucernam noſtram illuminavit.

Illuminat & opera dum oſtendit per illa nos cœlum obtinere, per quæ antea non quærebatur, ut per contemptum rerum mundi, opum, famæ, quæ olim ut felicitas expetebantur, imò promittebantur. Iſai. 1. *Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis.* Oſtendit infantibus baptiſmum. Oſtendit afflictis, quòd ſi afflictionem patiantur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Matth. 5. Oſtendit non ſolùm poſſe redimi peccata, ſed etiam cœlum emi per opera miſericordiæ. Oſtendit paupertatem eſſe amandam ſpontaneam, & illius eſſe cœlum. Docuit caſtitatem, docuit humilitatem. Pulchrè S. Bern. ſerm. 1. in Adv. poſtquam Chriſtum comparavit columnæ ignis populum ex Ægypto deducenti,

dixit de eodem. *Induit se laterna quadam, illo utiq; glorioso & ab omni labe purissimo corpore quod suscepit.* Et Greg. 25. Mor. *Via Incarnatæ Sapientiæ est omnis actio quam temporaliter gessit, viæ ejus sunt vivendi ordines quos ad se venientibus monstravit.* Totum se fecit nostram lucem, sed quod in idem redit, Viam, Ducem, Pastorem. Nec solùm hæc docuit, sed in his præivit exemplo.

Sequamur hanc lucem, sed caveamus illa quæ nos excæcare possunt ne illam intueamur. De luxuria scripsit S. Greg. lib. 5. in Regum libros cap. 2. *Nulla sunt vitia quæ spissiores menti ingerant tenebras quàm libido. Nunc videas plerosq; stetisse Clericos, Sacerdotes corruisse, quibus certè per Samuelis imperium dicitur* 1. *Reg.* 15. *Cùm esses parvulus in oculis tuis caput in tribubus factus es,* &c. Ecce & superbia excæcat, *nunc amissis oculis in fornicationis barathrum corruisti.* Nimirum ex superbia oritur libido, & universim peccata inducunt tenebras. Idem ibid. *Quidnam est vita peccatoris nisi nox?* &c. *Unde & per Paulum de conversis peccatoribus dicitur Ephes.* 5. *Fuistis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino.* Hæ tenebræ nobis tegunt lucem quæ ducit, & instar parietis se inter nos & DEum ponunt, hinc cœlestia non æstimamus quia non videmus, peccati horrorem non habemus, res mundi quas solas conspicimus sunt in pretio. Hinc veluti in tenebris ex uno in aliud impingimus. Greg. homil. 11. in Ezech. *Peccatum quod pœnitentiâ non deletur suopte pondere in aliud trahit.* Quia qui amat tenebras non liberatur ab illis. Latentis autem peccati dat signum. S. Ephrem. cap. Seipsum reprehendit. *Cùm à lectione rerum Divinarum te senseris abhorrere, & spiritualia præcepta contemnere, atq; aspernari animum tuum, scito te in gravem morbum incidisse.*

CON-

CONCIO XXXVIII.
Pro Dominica Quinta Quadrages. seu Dom. Passionis, Prima Concio.

Quis me arguet de Peccato. Joann. 8.

MUlta sunt quæ nos possunt arguere de peccato. Arguet sol. Ad hocné vobis luxi &c. Arguent aliæ creaturæ. Arguet Christus, hæc pro te feci. Arguet dæmon, nihil feci pro te, tu plura pro me quàm pro DEO. &c. Ego tantùm aliquos arguentes producam.

Et inprimis mortem. Job 3. Cùm vellet amicos adducere ad pœnitentiam, ait. *Qui fodiunt thesauros gaudent si invenerint sepulchrum.* Christus verò. *Qui vult me sequi tollat crucem suam*, &c. Ex his duobus patebit quomodo mors arguet, quia scilicet usque ad illam horam differenti pœnitentiam, aufert illam. *Gaudent si invenerint sepulchrum.* Veteres cum mortuo sepeliebant opes ejus. At nos thesaurum cœlestem in quovis sepulchro possumus reperire, sed nolumus fodere, considerare. Illustrat hoc, *tollat crucem*. Chrysost. orat de S Cruce, ait esse allusionem ad morem crucifigentium, qui sæpè rei manus cruci affigebant, ut sic illam ad locum suæ mortis traheret, quia manus solebant esse causa mortis. Ita mors arguet, adimet potestatem pœnitendi, si enim arbor viridis non fructificat, quomodo perusta febribus fructificabit? Assistet dæmon maximè tunc suo lucro intentus omnes vires exerens, cujus modò dicis te non posse ferre cùm modica sexerit. Ejus aspectu, ait Basil. Non vi morbi rumpi oculos morientium. Assiliet veluti venator cùm jam conclusam reti habet feram. *Euge, euge, devoravimus eum.* Tum videndo, quòd à DEO per annos v. g. 50 vitæ abibas, desperabis te posse ad illum ultimâ illâ unâ horâ redire.

redire. *Tollat crucem.* Petro crucifigendo dictum. *Præcinget te alter, & ducet quò non vis.* Liberè debet homo dimittere peccata, dimittet verò in morte quia non poterit ampliùs v. g. furari; ficut adultera cum à marito in carcere concluditur. *Peccata te dimiserunt non tu illa dimisisti,* si in æternum viveres, in æternum illa non dimitteres. Quare non dimisisti cùm illa facere potuisti? Quæ ibi libertas? Ad libertatem requiritur cognitio, ibi tota cognitio demergitur in consideratione dolorum, movet dæmon phantasmata allicientia ad præterita peccata, objicit dubia circa fidem. Concitat passiones iræ, timoris, doloris, &c. Requiritur ad libertatem & voluntas, hanc prava consvetudo, quæ est altera natura pertrahit, & tantùm non cogit. Videmus qui assvevit ad furta, potationes, & venationes, libidinem &c. Ne pœnis quidem posse ab illis retrahi, & tunc se liberè voluntas ab illis retrahet? Chrysost. hom. 79. in Matth. *Vigilate,* dicit Christus *quia nescitis diem neq; horam. Ubi sunt ergò qui per totam vitam desidiâ torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos? audiant hæc verba, & se emendent. Multi enim abeundi tempus expectantes, ita repentè rapti sunt, ut nec injungere suis quidquam potuerint.*

Arguet de peccato nos misericordia DEI. Ego filium Dei dedi pro te, plus quàm si dedissem filium Regis in Barbarorum servitutem, si te ex inferno DEUS liberavisset, quantum illi deberes? ille, quod est majus, toties te præservavit ab inferno, meliùs enim est præservari à vulnere, quàm ab eo sanari. Isai. 26. *Indulsisti Domine, indulsisti Genti, nunquid gloriatus es?* Abacuc. 1. *Quare respicis contemptores?* Absurdum esset, si Regis vulnus venenatum exsugeret mancipium & Rex ingratus esset, quantò absurdiùs si Rex vulnus mancipii exsugat, & hoc sanitate receptâ illi rebellet? Rapuerunt quendam latrones in profun-

profundas sylvas, non est qui juvet, projiciunt in fornacem ut exuratur, venationi Princeps intentus desertus à famulis supervenit, audit clamorem, intelligit, quid faciendum ? solus sum, invadit latrones, recipit vulnera, sed liberat hominem. Adoptat illum in filium, scribit hæredem, nihil petit nisi ut mutuò ametur. Delicias reputat esse cum illo, jubet ut sui illi famuli obediant. Quid factum ? ille liberatus tradidit in mortem latonibus Principem. Neque pœnitet hunc traditorem. Quis hoc fecit ? an Dalila Samsoni, nil tale pro illa fecerat. An Jahel Sisaræ ? hostis erat. An Judith Holoferni ? licebat. Quo judicio dignus hic proditor ? Nos sumus ille. Ita nos describit Ezechiel 16. Per originale peccatum venimus in manus latronum comburendi. At Princeps, *Transiens autem per te, vidi te conculcari in sangvine tuo, & dixi tibi cùm esses in sangvine tuo, vive. Dixi, inquam tibi in sangvine tuo, vive.* Addidit in obsequium Angelos &c. *Expandi amictum meum super confusionem tuam, & ornavi te ornamento, & vestivi te discoloribus, & ornata es auro & argento, dicit Dominus DEUS.* Quid deinde ? *Et post omnes abominationes non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, quando eras nuda & confusione plena & conculcata in sangvine tuo.* Quomodo nam te arguet misericordia DEI de peccato ? *Et accidit tibi post omnem malitiam. Væ væ, ait tibi D. DEUS tuus. Justificâsti sorores tuas.* Tu Christiane. *Sodomam, Gomorrham, Samariam*, illarum minùs est peccatum spectatis circumstantiis quàm tuum.

Arguet justitia de peccato, etiam in hoc mundo. Immittet bella, hostes. Tob. 13. *Maledicti erunt qui contempserunt, & condemnati, qui blasphemaverunt te.* Immittet Angelos suos cum peste, morbis, fame Ezech 9. *Non parcat oculus vester, nec misereamini senum: adolescentem, virginem, parvulum interficite, & à sanctuario meo incipite.* Jubebit terram esse sterilem, piscibus aquam carere &c. Sap. 5. *Armabit creaturam*

turam ad ultionem inimicorum, & pugnabit pro eo contra insensatos. Permittet agere Antecessorem contra impios successores, ut permisit Atticum Episc. Lingonien. De quo Baron. contra Poppolum malè se in ea sede gerentem, qui eum per visum jussit sede cedere, & gravem ictum inflixit pectori, quo accepto Poppolus sangvinem spuere non desinens intra triduum mortuus est. Permittet citare ad suum tribunal. Permittet inferre damna. &c. Et post omnia rejiciet. *Ejicite in tenebras exteriores.*

Vide anno Dni 552

CONCIO XXXIX.

Pro Dominica Passionis seu Quinta Quadragesf. Altera Concio.

Quis me arguet de peccato? Joann. 8.

SCiebat Christus, quòd occasione Lazari à se excitati, qui prædicabat, hunc esse verum Messiam, nec ullum posse nisi per illum salvari, conclusissent Judæi ut moriatur Joan. 11. *Si dimittimus hunc, omnes credent in illum.* Ubi nostri reditus Sacerdotales, authoritas, officia? moriatur. Sciebat præterea se tumultuariè, per invidiam, judicandum; neque superfuturum tempus ut suam demonstret innocentiam. Clarè illis hodie dicit. *Quis me arguet de peccato?* Videamus quomodo solent arguere homines de peccato, & quomodo DEUS.

Non est pejus quàm incidere in judicium malorum hominum. Veniat quis ad Caimum homicidam. *Omnis qui invenerit me, occidet me.* Tum non erat nisi Pater Adam & Eva mater, ergò & isti homicidæ? occident me. Veniamus ad Saul vindictæ avidum, deprehendit illum David, pepercit 1. Reg. 26. *Nunquid hæc vox tua fili mi David?* Estnè possibile ut se

ut se David non vindicaret? sed etiam in inferno ut Theophilact advertit. *Epulo petit guttam qui negaverat micam*; quia ipse parcus fuit non putat Lazarum liberaliorem. Chrysost. hom. 1. de David & Saule. *Plerumq; vulgus hominum ex suo animo de aliis judicat.* Ita fit apud homines, apud DEUM aliter, ille nos judicat juxta id quales sumus & talem personam assumit Judicis. Consideravi non semel Ps. 17. verba. *Cum perverso pervertêris.* Et dixi, *Nunquid apud DEUM iniquitas?* Consului Chaldæum interpretem qui super illis Psalmi ita DEum allocutus. *Cùm Abraham qui repertus est pius ante te, multiplicâsti facere pietatem: & cum semine Isaac qui fuit perfectus ante te, perfecisti verbum voluntatis tuæ cum eo: cum Jacob qui ambulavit in puritate coram te, elegisti filios ejus de cunctis populis, segregâstiq; stirpem ejus ab omni falsitate: & cum Pharaon & Ægyptiis qui cogitaverunt cogitationes malas adversùs populum tuum, conturbatos eos reddidisti in cogitationibus suis.* Hæc breviùs eadem S. Bern. serm. 70. in Cant. *Qualem te paraveris Deo talis tibi oportet appareat Deus.*

Quodsi talem personam contra nos assumes ô DEUS qualem nos contra te, quid erit de nobis? Certè Jer. 2. proponis. *Judicio contendam vobiscum, cum filiis vestris disceptabo.* Si nos permitteremus de vita nostra judicio, vicinorum, familiæ, subditorum &c. quæ de nobis dicerent? at tu quando in te assumptâ personâ nostrâ, conscius omnium atque nos? imò magis. Non videbaris assumpsisse personam Saulis 1. Reg. 15. quando illi exprobrando beneficia, dixisti. *Quare non audisti vocem Domini?* Egisti mecũ sicut mutus & manibus truncatus cum Medico, qui huic ægro dedit & vocem & manus, at ille & contumeliis & pugnis affecit Medicum, & quare? Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis.* Perdidit causam Saul, quidsi in persona ejus illum

judicâsses? *Cum perverso perverteris.* Job 4. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem, quantò magis qui habitant, domos luteas & terrenum habent fundamentum, velut à tinea consumentur?* Putatur pannus integer dum jacet in cista, sed cùm inde exemptus excutitur, ostendit magna foramina à tineis facta. Nemo potest meliùs repræsẽtare hominem quàm DEus, assumit aliquando ejus personam, faciem, & illi ostendit. *Statuam te coram te.* Gen. 44. Joseph repræsentavit fratres, jussit in saccum unius ex illis clam suum injici poculum cùm abirent, & tandem in via illos excuti. *Quare reddidistis mihi malum pro bono, & scyphum argenteum in quo augurari consueveram furati estis?* Furati fuerant Josephum Patri ex quo spes suas formabat & solatia Jacob augurabatur. Oseæ 13. *Ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via, occurram illis quasi ursa raptis catulis.* Fuistis mihi quasi ursi &c. Et ego ero vobis, *& consumam eos ibi quasi leo bestia agri scindet eos.* Non audimus nos illum præcipientem, non audiet pœnam deprecantes. Ezech. 33. *Audiunt sermones tuos & non faciunt eos, quia in canticum oris tui convertunt illos, & erit illis quasi carmen musicum quod suavi dulcíq; sono canitur.* Quid vicissim ille? Basil. Reg. 261. ex brevior. *Omissâ ex negligentia idoneâ occasione, in qua rogationem fieri oportuisset, postea alieno tempore & in cassum rogant.* Contigit aliquando clanculum labi filiam quæ contemnebat Patris & matris monita, tandem partûs doloribus pressa eorum invocat auxilium, quale putatis, habet? verbera, contumelias. *Concepit dolorem peperit iniquitatem.* Emissenus Dom. 27. post Pentec. *Prægnantes sunt animæ illæ quæ peccata sua abscondere volunt.* Quid illis Deus? 2. Reg. 2. *Tu fecisti in occulto, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in cõspectu solis.* Differt aliquis ad mortem pœnitentiam, DEUS cum illo differet misericordiam, Cypr. epist. 52. *Pœnitentiam non agentes, nec*

tes, nec delictorum ſuorum dolorem toto corde & manifeſtâ lamentationis ſuæ profeſſione caſſantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis ſi in infirmitate & periculo cæperunt deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium qui ſe non cogitavit eſſe moriturum,

Præteritis Dominicis nos Eccleſia vocabat ad vitæ emendationem, jam exemplo Chriſti jejunantis, jam ſpe præmii in Thabor oſtenſi, jam oſtenſione tyrannidis quam dæmon in peccatores exercet, jam clementiâ Chriſti erga eos qui illum ſequuntur. Hodie demum procedit ſicut Dux aliquis qui minoribus tormentis hoſtilem turrim oppugnavit fruſtra, tandem admovet maximum. Hodie adducit Chriſtum peccatori exprobrantem. *Quis me arguet &c. cur me occidere vultis?* Procedis cum Chriſto peſſimè, vide qualem viciſſim experieris. Si te ut Lazarum à morte excitâſſet, ſi oculos tibi ut cæco reddidiſſet, quantùm illi deberes? plus tibi fecit, ſed vertetur aliquando hic amor in furorem. Iſai. 2. *Dies Domini ſuper omnem ſuperbum & excelſum & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.* Facit Eccleſia, ut ſi quis occiſori Filii ſui exprobret beneficia, &c. Denique corpus occiſi afferri jubet. Vide quid feciſti. Vide homo, tu hunc occidiſti Chriſtum, quid ab eo debes expectare ſi te ingratum & rebellem exhibueris? hoc timebat S. Hieron. epiſt. ad Chromacium & Heliodorum. *Ego in ſcelerum meorum latens ſepulchro, & peccatorum meorum vinculis colligatus, quotidie illum clamorem Domini expecto, Hieronyme veni foras.* Veni ut judicemus ſimul. Veni qui de futuris non plus cogitas quàm Lazarus in ſepulchro. Veni ſpecta tua opera, opes quomodo acquiſitæ an non eveniet ut illi Gallo Ermoaldo, qui æger vitam orando magnam vim pecuniæ miſit ad Launomarum Abbatem, quâ benè conſideratâ, unum ſo-

lùm florenum dixit esse benè acquisitum, & remissâ pecuniâ curavit ægro dici. Paret se pro exitu, reddat quæ cui rapuit. Baron. ad ann. 567.

CONCIO XL.

Pro Fer. Secunda post Domin. Passionis.

Si quis sitit veniat ad me. Joan. 7.

Die hesterno, qui ideò dicitur Dominica Passionis, constituerant Principes Sacerdotum occidere Christum & miserant ad hoc milites ut concionantem opprimerent: sed illi auditâ ejus concione ita permoti sunt ut nihil attentaverint, & Principibus deinde facti causam reddiderunt, non occidimus, quia *nunquam sic locutus homo.* Concionis hujus fortè materiam totam non habemus, sed tantùm quod die festo magno, id est die octavâ tabernaculorum clamaverit. *Qui sitit veniat ad me.* Nos saltem hoc attentè audiamus, si fortè aliquem in nobis fructum faciet.

Ter in anno conveniebant in Jerusalem, in Pascha, Pentecoste, & scenopegia, quæ erat ultima dies festi tabernaculorum, in hac ergò die ultimam dicit concionem ad omnem populum non ampliùs alteram dicturus, quia in proximo Pascha erat moriturus, maximi verò debet esse momenti hæc concio, utpote ultima coram toto populo, dicit ergo *Si quis sitit* &c, Omnes sititis, quia vos mundus non satiat, omnes venite ad me, & ut magis ad se attrahat, addit, modico tempore se cum illis futurum proinde quàmprimùm veniant. Non satiant res mundi, quære ex divite, an satis habeat? nullus erit qui non adhuc aliquid sitiat. Quære ex docto an nihil ampliùs scire desideret? Ier. 16. *Facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Qui mentitur aliud verbis ostendit, aliud in mente habet,

habet, ita hæc bona mundi ostendunt quòd sint satiatura, sed cùm habentur non satiant, sunt veluti aquæ infideles Tantali, de quo Poëtæ. Nahum 2. *Ninive quasi piscina aquarum, aquæ ejus. Ipsi verò fugiunt, state, state non est qui revertatur.* Utcunque rebus mundi inclames *state*, non stabunt. Non sunt aquæ iste fons, sed piscina, si à fonte non affluat aqua, deficiat piscina. Bene Greg. in Regum lib. 3. cap. 4. *Quidquid in hoc sæculo altum cernitur, non est vera altitudo sed fovea, quæ omnes quos in sua ambitione recipit ad inferna mittit.* Dum nos alta appetimus, ubi ea obtinuerimus videmus nos in fovea, ut rursus aliquid altum appetamus. Non satiat plantam arentem quidquid illi apposueris serici, quia aquam non sericum sitit. Non satiat leonem, quidquid herbarum obtuleris, qui carnem esurit. Non satiat piscem quantumvis in optimo aëre constitueris, quia aquam desiderat. Non perficiet imaginem pictor, imò corrumpet, si aliud quàm ejus prototypum præ oculis habuerit, ut si imaginem perfecturus leonis aspiciat aquilam. Non ad ista quæ sunt in mundo cor nostrum est factum, pone quantum velis ex istis in eo non explebis. Corpus corruptibile cibo corruptibili saciatur, anima immortalis eget immortali. Anima stabilis est eget stabili. Veluti navis sub cujus imagine describit Tyrum Ezech. 27. *Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua quæ erat in medio tui ceciderunt, universi habitatores insularum obstupuerunt super te, & reges earum omnes tempestate perculsi mutaverunt vultus suos, Negotiatores populorum sibilaverunt super te, ad nihilum deducta es, & non eris usq; in perpetuum.*

Solus DEUS satiat, sicut sola lux implet crystallum. Anima nostra quantùm cognoscere potest, tantùm & desiderare. Infinita verò ea sunt, solus DEUS infinitus est, proinde ultra illum nec cognoscere nec appetere potest, atque ita

illo satiatur & supersatiatur, *inebriabimur ab ubertate domûs tuæ.* Infinita in eo voluptas, infinitus honor, infinitæ opes, infinita pulchritudo &c. Videre hæc possumus etiam modo aliqualiter. Si fons esset ex quo rivi quamvis lutum transeuntes essent aurum purissimũ, diceremus ipsum fontem purius aurum continere: si illi rivi per totam terram currerent continui & omni loco, diceremus fontem esse inexhaustum, & quo obtento cor avari quiescere posset, non est locus, non est tempus quo Dei pulchritudo, honor, bonitas, quamvis per lutum creaturarum fluat, non compareat. Vides formosum hominem, hæc forma rivulus est fluens ex DEI pulchritudine, etsi non sit DEUS; quia DEUS aliquid & infinitè ampliùs est. Greg. lib. 3. in Reg. c. 10. *Quidquid de omnipotente DEO cogitare mens humana potest, DEus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimæ lucis, quidquid internæ suavitatis & dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illo esse creditur, ad quandam lucem tamen pervenit quæ non est DEus, sed quam inhabitat Deus.* Proinde hic solus cor nostrum satiat, quia nihil est boni quod in eo longè purius tanquam in fonte purissimo non sit. Atque adeò nihil ampliùs desiderare anima potest, quia ampliùs habet quàm cognoscere & appetere possit. DEUS est centrum, lapis alibi non quiescit quàm in centro, ita anima in solo DEO. S. August. 9. de Civit. 2. *DEUS est cum quo solo, & in quo solo, & de quo solo anima rationalis & intellectualis contenta est.* Et ista omnia sunt rivuli DEI qui nos incitant ut ipsum quæramus fontem. Hugo de arrha sponsæ. *Respice universum mundum istum & considera si aliquid in eo est quod tibi non serviat.* Cur servit? ut sitim tuam accendat, sicut accenditur filius diu manens in captivitate, desiderio videndi Patrem si ab eo accipiat epistolam.

Sed quis de isto fonte bibet? Omnis qui ad illum venerit.

Fons

Fons est patens domui Israël. In veritate comperi non est acceptor Personarum DEUS. Ergò & tu mendice bibes ex hoc fonte qui modò poculum frigidum petis? ita est &c. Accedere opus solùm, imò verò non passibus corporis sed virtutibus. Hieron. in Ps. 145. *Irascor sine causa Fratri meo in via diaboli ambulo. Detraho fratri meo in via diaboli ambulo. In quocunq; peccato ambulavero in via diaboli ambulò.* Hâc viâ ad fontem ad Christum non pervenitur. Ad Christum via est ipse Christus. *Ego sum via.* Quid est Christus? DEus homo, ut de illo dici verè possit, Hic est Homo, hic est DEUS. Oportet fieri similem Christo, ut in nobis sit etiam DEUS nobis suo modo unitus, ut quod nos vult DEUS agere agamus, quod nos vult pati patiamur. Vultne nos DEUS inebriari &c.? Nonne dictum est. *Voluntas Dei est sanctificatio vestra? ut sobriè, justè vivamus.* Novus Adam, novus homo est Christus. Greg. in Ps. 4. Pœnit. *Hæc est spiritûs recti innovatio, ut omnem mundi gloriam despicias, mentem medullitùs in tui Conditoris amorem infigas, illatis contumeliis patientiam custodias, & custoditâ patientiâ dolorem à corde repellas, omnib9 te per humilitatem inferiorem deputes, de morte inimici nullatenùs exultes, aliena non ambias, propria egentibus distribuas, amicũ in Deo & inimicũ propter Deum diligas, in afflictione proximi teipsum per compassionem affligas. Hæc quidem est illa spiritûs renovatio quam persvadet Apostolus Ephes. 4. dicens. Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Et 2. Cor. 5. Si qua igitur in Christo nova creatura* &c. Ad hoc ipsum nos Christus excitat cùm dicit. *Modico tempore sum vobiscum.* Quia modicum tempus dedit vobis ad currendam hanc viam, scilicet vitam nostram brevem, & ex ista, quod vitiis damus tempus & non vivimus. S. Bern. in festo SS. Petri & Pauli Apost. *Non vivit qui superbiâ in-*

biâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus, quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere & appropinquare usq; ad portas mortis. Et ratio hujus est ex serm. ejusdem 63. in Cant. *Stultus quòd vivit, mortem potiùs quàm vitam censuerim, quomodo vita cum sterilitate? Arbor arida & in sterilitatem versa nonne mortua videtur?*

De cætero qui nunc ad istum fontem non accedit, in æternum sitiet. *Quæretis me, & non invenietis me &c.* Quærunt hactenus Judæi Messiam neque inveniunt. Quærunt positi in inferno quo extingvant sitim neque datur una aquæ gutta Epuloni. Interroga ante mille annos damnatum quid agat? respondebit, Sitio, explebiturnè ista sitis aliquando? nunquam. Morierisné hâc siti aliquando? Nunquam. Greg. 34. Moral. 16. *Si quando sunt finienda supplicia reproborum, quandoq; finienda sunt & gaudia Beatorum, quia Matth. 25. Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Sed inquies, ait idem Greg. ibidem. *Sine fine non debet puniri culpa cum fine. Si justus judex hominum non corda pensaret, sed facta: Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Voluissent quippe sine fine vivere ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Ad judicis ergò justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Servus cæditur ut corrigatur, non ut Dominus ejus crudelitate pascatur. Justus ab iniquorum ultione in æternum non sedatur: Iniqui autem ideò cremantur, ut Justi omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in istu percipiant supplicia quæ evaserunt. Eadem causa cur non oretur pro damnatis ac pro diabolo, quia ad fructuosam pœnitentiam oratio eos non convertet.*

CON-

CONCIO XLI.
Pro Feria Tertia post Dominicam Passionis.

Manifesta teipsum. Joann. 7.

SIcut Rex Asſverus 180. diebus fecit convivium ut omnes agnoſcerent magnificentiam ejus: Ita Deus creavit mundum ut agnoſcatur ab homine, & ex ſingulis creaturis agnoſci poteſt, cùm in ſingulis reluceat aut bonitas aut ſapientia, aut &c. Sed hoc non fecit tantùm propter ſuum bonum; quia antequam ulla eſſet creatura æquè fuit beatus, ſed propter bonum noſtrum, quod autem bonum in nos redundet ex hoc, dicam in præſenti ſermone.

Cùm ad feſtum Scenopegiæ ſeu tabernaculorum Jeroſolymam conveniret, quæ erat in Judæa, urgebant Amici & affines Chriſtum qui tunc erat in Galilæa, ut & ipſe iret in Jeruſalem & ibi ſe manifeſtaret populo. Sed recuſavit Chriſtus quia non videbat ex hoc ſecuturam utilitatem ſicut patuit ſtatim, nam licet initio feſti illò non iverit, ivit tamen die quarta ejusdem & ſe manifeſtavit, tamen non crediderunt. Sed ex Dei manifeſtatione multiplex procedit fructus, nos ſaltem capiamus, in duplici hìc ſiſto.

Primus eſt qui Chriſtum Deum novit, abſtinet à peccato. Si enim novit quod ſit Dominus, cenſet neceſſarium eſſe ut præceptis ejus obediat, Adverſarii conſilia refugiat. Greg. l. 2. in Regum. cap. 5. *Soli Domino ſervit qui bonis operibus prava non inſerit, nam qui ſic bona agit, ut mala non deſerat, Deo ſoli nequaquam ſervit, quia malo ſpiritui obſequium exhibet, cujus perficere non metuit voluntatem, unde agitur ut etiam bona agens Deo non ſerviat, quia qui totum hominem condidiſſe creditur, habere eum communem cum adverſario non dignatur.* Si congnoſceret Deum,

cognoſceret quòd omnia videat, quomodo ergo in conſpectu ejus peccaret? quis fur in conſpectu Principis furatur? quomodo in peccato permaneret, ſciendo quod Deus non parcat delinquenti? Chryſoſt. hom. 22. in 2. Cor. 10. *Peccatum ita ſe habet ut mox atq; patratum fuerit Judex ferat ſententiam.* Cognoſceret miſericordem, ſed ſimul juſtum Eccli. 5. *Ne dicas, miſeratio DEI magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius.* Quomodo peccaret qui DEUM Judicem conſideraret? Judicandi ſumus à Deo, ò quantùm fugere peccata debemus! ô Judicium terribile! Sanctè vixit S. Arſenius, & tamen moriturus obteſtabatur Fratres, ut eſt in vitis Patrum, ut cadaver ejus alligatum funibus per pedes raptarent, & dixit. *In veritate timor qui eſt horâ hâc, ſemper fuit mihi ex quo factus ſum Monachus, & timeo valdè.* Scribit Flavinus lib. 1. de ſtatu animarum cap. 5. quòd anno 1238. Philippus Pariſienſis Cancellarius mortuus comparuerit Guilielmo Pariſienſi Epiſcopo, & dixerit ſe damnatum, quæſieritque an jam mundus eſſet finitus? quod cùm miraretur Epiſcopus, adjecit mortuus. Ne mireris, quia nec ſcientia, nec ratio, nec opus ſunt apud inferos. Tantus autem animarum numerus, tanta hominum multitudo in gehennam demerſa eſt, ex quo in eam deſcendi ſententiam ut plures in orbe terrarum ſupereſſe non exiſtimaverim. Hactenus ille. Et tamen inter illos ſine dubio multi erant Chriſtiani, multi in morte Sacramentis muniti, etſi fecerunt hæc quæ nos facimus, & quibus ſpem noſtram fulcimus, pares nobis nobilitate, religione &c. Iſai. 59. ut Deum Judicem deſcribat cap. 59. ait. *Indutus eſt juſtitiâ ut loricâ, & galea ſalutis in capite ejus, indutus eſt veſtimentis ultionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli, ſicut ad vindictam, quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & vicisſitudinem inimicis ſuis, inſulis vicem reddet.* Conſiderentur hic ſingula verba, certè à peccato retrahent.

Si

Si cognoscet DEum Dominum, simul cognoscet, & hic fructus erit alter, providentiam seu curam habere, etsi ejus rationes reddere nobis non teneatur, illæ verò superent nostrum intellectum, utpotè cujus nos sapientia infinitè excedit. Greg. in Ps. 1. Pœn. *Dominorum est servos alere non negligere, delinquentes corrigere non necare, fugientes requirere non abdicare.* Hinc cùm certus sit de hac re, certus quòd DEus nihil in malum ejus agat, illud ex animo sibi semper occinet. *Fiat voluntas tua.* Non mirabitur quòd aliquibus Deus etsi videantur probè vivere, non det auxilia efficacia ut ex hæresi emergant. Greg. homil. 4. *Cùm prædicare Apostoli in Asia Gentibus voluissent Act. 16. per spiritum prohibiti esse memorantur: & tamen ipse spiritus qui priùs prædicationem prohibuit, Asianorum cordibus postmodum infudit, nam diu est quod Asia tota jam credidit. Idcircò ergò priùs prohibuit quod postmodùm fecit, quia tunc in illa erant qui salvandi non erant, tunc in illa erant qui necdum ad vitã reparari merebantur, nec tamen graviùs de contempta prædicatione judicari. Subtili ergò occultoq; judicio à quorundam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur.* Videt enim ille in talibus peccata quæ nos non videmus. Non mirabitur regna bellis atteri & rebelliones consurgere. Ambros. lib. 2. de fide ad Gratianum cap. 4. *Ibi primùm fides Romano imperio fracta est, ubi fracta est DEO.* Cùm affligitur sperabit solatium à Deo, quia ut Chrysost. tomo 10. hom. 40. *DEus & infortunat luctu & in luctu solatia permittit more medici, qui cùm infirmum curat, neq; semper eum fame macerat, neq; semper largâ mensâ frui sinit, sciens voracitate augeri morbos, fame vires attenuari.* Non mirabitur bonis adversa evenire. Greg. l. 9. ep. 25. *Tunc certa Dei misericordia est, quando pro bono opere adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione servetur. Matth. 5. Beati eritis cùm adversum vos &c. Sunt plurimi qui vitã bonorũ am-*

pliùs quam debent laudant, & ne qua elatio de laude surrepat, permittit Omnipotens DEUS malos in obtrectationem & objurgationem prorumpere, ut si quæ culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Animabit se ad patientiam inter injustas persecutiones. Greg. homil. 38. *Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam suam testis est; quia bonus non est. Abel esse renuit quem Cain malitia non exercet, sic in tritura areæ, grana sub paleis premuntur, Sic flores inter spinas oriuntur. Et rosa quæ redolet crescit cum spina quæ pungit. Duos filios habuit primus homo, sed unus eorum electus, alter reprobus fuit. Tres filios Noë arca continuit, sed duo ex his electi sunt, unus reprobus fuit. Duos Isaac filios habuit, sed unus electus est alter reprobatus. Duodecem filios habuit Jacob, sed ex his unus per innocentiam venditus est, alii verò per malitiam venditores. Duodecem Apostoli sunt electi, sed unus in hoc admixtus est quò undecem probarentur. Septem sunt Diacones ab Apostolis ordinati, sed sex in fide recta persistentibus unus existit author erroris. Bonus non fuit qui malos recusavit tolerare.* Hi duo sunt fructus qui ex manifestatione DEI Christi colliguntur, atque etiam à Sapientibus Ethnicorum ex Deitate advertebantur.

Sed & Christus se Messiam suo tempore tam clarè manifestavit Judæis, ut excusationem qui non crediderunt habere non possint. Sed & nobis qui fidem suscepimus jam est manifestus, sed vereor ne in aliquos nostrûm cadat quod S. Bern. in Octava Paschæ serm. 1. *Putasnè filium Dei reputat JEsum quisquis ille est homo qui illius non terretur comminationibus, non attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit.* Sed audiant isti Greg. 33. Moral. 6. in illa verba Job 40. Behemoth habet fiduciam quòd Jordanis influat in os ejus. *Qui fidem veritatis agnoverunt, sed vivere fideliter negligunt, rectè fluvius dici possunt, quòd videlicet deorsum fluant, Jordanis Hebræo vocabulo, descensio eorum dicitur.* 1. Joann. 2. *Qui dicit se Deum nosse & mandata*

data

data ejus non custodit, mendax est. Greg. l.c. *Toties in os illius Jordanis influit, quoties Christianus quisq; ad iniquitatem defluit.* Manifestabit se mundo Christus ultimò in suo extremo judicio. Requiret ab omnibus fructum suarum priorum manifestationum, cùm implebitur illud Isai. 13. *Ecce dies Domini venit crudelis & indignationis plenus & iræ furorisq; ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea. Quoniam stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum. Obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Et paulò post ibid. ipse Dominus, *Super hoc cœlum turbabo, & movebitur terra de loco suo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus, & erit quasi damula fugiens, & quasi ovis, & non erit qui congreget. &c.*

CONCIO XLII.
Pro Feria Quarta post Domin. Passionis.

Vos non creditis quia non estis ex ovibus meis,
Joannis 10.

CHristus electos suos cōparat ovib⁹. Quia in nullo animalia ita omnia cedunt in utilitatem hominum sicut in ove, lac, lana, caro, pellis. Sic Electi toti sunt pleni charitate proximi. Ovis est mansvetum animal, ita electi. Ovis voci Pastoris obedit, ut Paulus Act. 9. *Quid me vis facere?* Petrus cum aliis ad unam vocem relictis omnibus *secuti sunt eum.* Et quos agnoscit oves Christus illis se Pastorem exhibet. Ezech. 34. *Et suscitabo super eas Pastorem unum.* Ex his omnibus unum assumit Christus signum per quod colligere possimus an Christi oves simus. Hoc modo expendamus.

Omnem occasionem Principes Sacerdotum captabant occidendi Christum. Hodie tali fraude sunt aggressi. Dies erat Encæniorum sive innovationis, qui incidebat in 25. Men-

ſis Casleu hoc eſt circa finem Novembris & initium Decembris, nam aliter Judæi menſes computant quàm nos. Deambulabat Chriſtus in porticu Salomonis quæ erat pars templi. Romani jam Judæam occupaverant & cavebant omni modo ne quis appellaret ſe Regem Judæorum. Jam verò plurimi ex populo recipiebant Chriſtum pro Meſſia; quia videbant tempus adventûs Meſſiæ completum, opera mirifica, ſceptrum Regni in manus externas deveniſſe, quod etiam ſignum adventûs Meſſiæ dederat Patriarcha Jacob. Accedunt ergò Chriſtum. *Quousq; animam noſtram tollis?* &c. Fatere vel diffitere te eſſe Meſſiam, ut ſi diffiteretur, tanquam impoſtor poſſet occidi, qui jam aliquoties dixerat ſe Filium DEI & Meſſiam: Si fateretur à Romanis occideretur, utpotè appellans ſe Mesſiam, quod pro eodem habebatur, atque ſi Regem ſe diceret. Sed *non eſt conſilium contra Dominum.* Non diffitetur ſe eſſe Mesſiam, imò probat eſſe ſed rebus non verbis. *Opera quæ ego facio teſtimonium perhibent de me* &c. Quia nemo operatus hoc modo miracula ſicut ego. Prophetæ illa fecerunt impetrando à DEO, ego imperando. *Surge* &c. *imperavit febri* &c. Deinde hæc facio quæ Mesſiam facturum prædixit Iſai 35. *Ecce DEus noſter veniet & ſalvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, & lingva mutorum erit aperta,* Videtis hæc, non creditis, *non eſtis de ovibus meis.* Ex quo patet quòd qui credunt ſunt oves.

Sed nunquid pauci Chriſtiani ſeu credentes damnantur? ſi ita eſt, hœdi ſunt non oves. Matth. 25. *Statuet hædos ad ſiniſtram.* S. Bern. ſerm. 23. in Cant. *Terribilis eſt locus iſte, & totius expers quietis, totus inhorrui ſi quando in eum raptus ſum, illam apud me cum timore reputans ſententiam, &c. Qui in labore hominum non ſunt, in labore profectò dæmonum erunt dicente Judice, Ite maledicti &c.* Quid S. Bernardus metuebat? utique

que credens erat? Ambr. lib. 2. de pœnit. 10. *Faciliùs inveni qui innocentiam servaverint quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* At quot sunt qui nunquam peccaverint? unde multò plures damnantur quàm salvantur. Lamentabatur olim Deus per Micheam cap. 7. *Væ mihi qui factus sum sicut qui colligit racemos vindemiæ in autumno, non est botrus ad comedendum. Præcoquas ficus desideravit anima mea. Periit Sanctus de terra & rectus in hominibus non est; Omnes in sangvine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur, malum manuum suarum dicunt bonum. &c. qui optimus est in eis quasi paliurus, & qui rectus quasi spina de sepe.* Hoc Micheas de veteri Synagoga. Sed & Joannes dixit de nobis, *Totus mundus in maligno est.* Et Hieron. adv. Vigilantium. *Rara est virtus nec à pluribus appetitur.* S. Aug. 3. de Civit. *Plures homines currunt in pœnam, quàm in gloriam.* Et lib. de vero cultu, *Arbitror tres partes mundi esse damnandas, eò quòd in ipsis regnent Infideles. De quarta autem quid dicam nescio, nisi quòd Joannes dixit. Totus mundus in maligno est.* Sed & de nostris temporibus nescio an non dici posset illud S. Bernardi. *Recessit custodia à Prælatu, devotio à Religiosis, reverentia à subditis, consilium à senibus, lex à Sacerdotibus, justitia à Rectoribus, æquitas à judicibus, unitas à civibus, veritas à mercatoribus, charitas à mundo.* Quid ergò an isti fidem non habent? imò habent, sed hoc modo ut quis cibum in penu & ipse fame moritur, non utuntur fide. S. Chrysost. in Genes. hom. 10. *Quid utile fuerit, dic obsecro, arbori quæ in summum se extendit & foliis vestitur si fructu careat? Sic & Christiano nihil proderunt divina dogmata, si vitam suam non benè instituat.*

Multi habent verba fidei, pauci fructum, id est, opera. Salvian. lib. 3. de Gubernatione DEI. *Quid est credulitas vel fides? opinor fideliter hominem Christo credere, id est, fidelem Deo esse, hoc est fideliter mandata Dei servare, Nos consilia, &c. præcepta &c.*

inser-

in servis non patimur nostra sperni &c. qui pati injurias servorum nolumus, subditum injuriis nostris Deum esse volumus, & quæ ipsi toleratu humano indigna credimus, Deum à nobis dignè hæc tolerare credimus? Quid ageres cum servo, cui diceres, iste modus est quo mihi placebis, & promitto tibi bona mea re daturum: si hunc modum observaveris? ille diceret se sibi omninò credere, sed totum contrarium faceret, tu ipsi hoc ipsum secundò & decimò repeteres, & ipse eodem modo ut priùs ageret? DEus toties dicit nobis. *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Date & dabitur. Quærite primò regnum Dei & hæc adjicientur vobis* &c. Et nos contrarium facimus. Salvian. ibid. lib. 4. allegatis verbis Jacob 2. Credunt dæmones &c. *Idcircò autem à dæmonibus credi Deum, tamen in perversitate perdurant. Ita quosdam homines quasi credulitatem dæmonum habere qui cùm se DEum credere asserant, tamen à malo opere non cessant. Subjungit autem ad pudorem* & *condemnationem hominum peccatorum, non solùm credere dæmones sed etiam contremiscere &c. hoc est. Quid tibi blandiris? aliquid plùs dæmones habent,* &c. Credisne quòd adulteri igne æterno punientur? cur facis? Credisne &c. & hoc ipsum dæmones; credunt, sed & ipsi peccant, & alios ad peccatum inducunt. Hæc est fides dæmonum. Hanc habens non habet signum quòd sit ovis Christi, imò habet signum quòd sit de ovibus illis, de quibus Ps. 48. *Sicut oves in inferno positi sunt, & mors depascet eos.* Benè Tertull. lib. de idololatria. *Nemo duobus Dominis servire potest. Si vis Domini esse discipulus crucem tuam tollas & Dominum sequaris necesse est, id est, angustias & cruciatus tuos, vel corpus tuum quod in domum Christi est. Parentes, Conjuges, Liberi, propter Deum relinquendi erunt &c. Sepelire Patrem etiam tardum facit fides. Nemo eorum quos allegit Christus, dixit, non habeo quo vivam. Fides famem non timet, scit etiam famem non minùs contemnendam propter*

DEum

Deum quàm omne mortis genus, didicit non respicere vitam quantò magis victum &c. O *melior fides* Ethnicorum *in suam sectam, quæ suam solennitatem nostram sibi vendicat, non Domini diem Pentecosten* &c. Nos Bacchanalia cum Ethnicis, mammonam cum Judæis, id est usuras &c. *Luceant opera vestra, sed non luceant tabernæ, & januæ nostræ.*

Audite jam quid Judæis acciderit, Jerem. 50. *Grex perditus factus est populus meus, transierunt de monte in montem, obliti sunt cubilis sui.* Dispersi sunt inter gentes, obliti sunt sui templi & Jerosolymæ. &c. tamen non vult illos exterminari. Ps. 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei.* Accipiamus hujus loci explicationem à S. Vincent. Conc hod. Non occidas, *quia nesciremus quid sit Judæus. Et quando vides Judæum & cogitas, iste est de genere illorum qui Christum crucifixerunt, ne occidas eum, nec damnifices eos. Sed quid faciendum sit, sequitur in Psalmo. Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine, id est, separa illos á Christianis, nec emant, nec sint nutrices Christianorum mulieres, nec contrà. In virtute, id est potestate, hæc tangit Principes & Rectores. Quid plus? depone eos. Id est, non sint Judices, nec Notarii, nec Procuratores. Et illud quidem quod lucrati sunt, Judæi, quia sunt servi,* id est mancipia *Principis acquirunt Principi, & potest sine peccato recipere, & ideò depone illos. Sed Principes dant privilegia Judæis, sed malè. Non est ergo illis malum pro mal reddendū. Benè tamen Principes possunt eis auferre bona, solùm dimittēdo eis vitā & necessaria, ne pereant & hoc propter infidelitatē quam fecerunt occidendo Christum, ut dicit S. Thom. in quadam epistola. Tamen conversos Judæos ne despiciatis.* Ita hic magnus Sanctus, & magnus Theologus. Si hæc Judæis contigerunt quia non crediderunt, quid nobis timendum qui nos dicimus credere & factis negamus? qui sicut hodierni Judæi per blasphemias ac

perjuria lapides in Christum jactamus? &c. Chrysost. de Providentia hom. 1. *In lege veteri scriptum est Exod. 22. Qui maledixerit Patri vel Matri morte moriatur. Hoc in veteri testamento, quando puerilia præcepta, quando lac, quando pædagogus, quando figura & umbra. Quid igitur dicemus de his qui nunc in gratia, in rerum ipsarum veritate sunt, non Patri aut Matri maledicentibus, sed ipsi universitatis rerum Deo? quo enim supplicio afficiantur? Qualis animadversio? qualis igneus amnis? quis vermis sempiternus? quæ tenebræ exteriores? quæ vincula? quis stridor? quis ploratus scelerum magnitudini satis esse possit? Omnes cruciatus qui nunc sunt, quiq; futuri, minores justo, animo sic affecto atq; eousq; improbitatis prolapso sunt.*

CONCIO XLIII.

Pro Feria Quinta post Dominicam Passionis.

Ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7.

SIcut hostis dum oppugnat civitatem, si fortè unam fortem turrim capiat, ex ea totam civitatem vehementer impugnat: ita dæmon cæperat Jerosolymis Magdalenam, & posuit in ea septem dæmonia, quæ continuò cives impugnabant jam per ornatum illius, jam per lascivos aspectus. &c. Adeò ut dicta fuit peccatrix; dixeram in illa posita fuisse septem, quia Marci 16. tot ex illa Christus ejecit, sed S. Aug. vocat illam Pantheon, templum omnium Deorum, id est dæmonum. Greg. per septem dæmonia intelligit universitatem vitiorum. Hanc hodie turrim recepit ab hoste Christus, & ex ea rebelles oppugnat qui defecerant ad hostem cives. Adsimus huic oppugnationi.

Oppugnat primò desperabundos, proponendo in exemplum Magdalenam. Hæc fuit peccatrix, dimissa sunt ei peccata

cata, neque desperes. Hæc statim orans veniam est exaudita, quia DEUS summè odit peccatum & desiderat illud destruere, unde si videat quempiam illud seriò destruere; statim adest & cum illo destruit. Vix dixit David, *Peccavi*, & DEUS statim, *translatum est à te peccatum.* Vix filius prodigus, Pater peccavi, & ille *citò proferre stolam*, rem mihi gratissimam facite, accelerate, addite honores. *Propter David servum meum protegam civitatem istam.* In Adventu Prodigi jubet convivium apparari, Magdalena conscia sibi velut catella dejecit se infra mensam ut micas colligeret, & facit sibi sponsam, venit ut lebes facta est phiala. Qui fuit Judex jam illius partes tenet & contra Simonem defendit. Greg. lib. 11. epist. 2. *Nullus de iniquitatum suarum immanitate desperet, veternosas namq; Ninivitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conversus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit.* Ille solus desperet, qui potest cogitare quòd DEUS nolit destruere peccatum, nolit ignoscere si verè pœnitueris. Greg. in Ps. Pœnitent. 4. Dum illa Matt. 12. expêdit, Qui peccaverit in Spiritum S. nec in hoc sæculo &c. sic ait. *Quis autē est qui peccat in Spiritum S. nisi qui non credit remissionē peccatorum? Remissio enim peccatorū opus Spiritûs S. est. &c. An non in Spiritum S. Cain peccavit, quando dixit Genes. 4. Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear? Et quia de venia desperavit, ideò dixit. Ejicis me à facie tua.* Sed si te seriò pœnitet jam in te est Spiritus S. Cypr. de Cæna Domini. *Quoties te video in conspectu Domini suspirantem, Spiritum S. non dubito aspirantem, cùm intueor flentem, non dubito ignoscentem.* Riga lachrymis velut arborem Christi, bona est arbor, non feret malos fructus. Non metue novam vitam, vetus enim vita est veluti hedera sub cujus foliis latent insecta venenata, & putas te in secura latere umbra, exsiccabit hanc hederam sol, & videbis in quali periculo fueris, & gaudebis quod sit exsiccata, & umbram ejus fugies. Nonne jucundior vita

fuit Magdalenæ in deserto, quàm inter Jerosolymitanas delicias?

Oppugnat deinde conversionem differentes. An moras trahit qui videt se lethaliter vulneratum an non importunè opportunè, etiam mediâ nocte currit ad Medicum? ita fecit Magdalena. Assumpta est in Reginam quæpiam vilis mulier, sed subitò in deformitatem lapsa, cæpit à Rege repudiari, an moratur, si ipsi dicatur, esse Medicum qui formam pristinam possit illi restituere? ve peccatoribus dicitur Thren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum.* An si tibi dormienti intraret in os coluber, moras necteres ut ab eo liberareris. Morare peccator dum virus in te diffundat, dum prolem venenatam proferat, nam unum peccatum semper in alia trahit nisi per pœnitentiam occidatur. Frustra tua anima in Reginam est assumpta, frustra per aquam renatus es in Filium DEI. Basil. serm. 2. ad Baptisandos. *Frustra gratiam Baptismi recipimus nisi liberati à diaboli tyrannide ab omni prava cupiditate abstitimus, deinde non solùm mundo & concupiscentiis ejus sed mutuis communibusq; officiis, deniq; vitæ propriæ renuntiaverimus.* Quid si nos curari à lethali vulnere non properemus? Quid si in DEI odio manere non gravemur? S. Bern. ad fratres de monte DEI. *Si converteris Israel ad me, convertere, hoc est, perfectæ conversionis culmen apprehende.* Perfectioni dees si moraris. *Si dicis, expecta reexpecta, paululum hic, paululum ibi.* Greg. Moral. 33. c. 10. *Ante culpam justitiam metuat, post culpam tamen de pietate præsumat, neq; ita justitiam timeat ut nullâ spei consolatione convalescat. Ad hoc in S. Scriptura virorum talium, id est David & Petri peccata sunt indicata, ut cautela minorum sit ruina majorum. Ad hoc utrorumq; illic & pœnitentia insinuatur & venia, ut spes peccantium sit recuperatio perditorum.* Propera ad fontem vitæ qui

jam moraris. Propera ad asylum in quem lata est mortis sententia. Nec solùm vitam recipies sed miram recipies, sed mirâ voluptate repleberis. S. Bern. declamat. *Nemo sanæ mentis ampliorem esse in vitiis credat quàm in virtutibus delectationem: præsertim cùm sit DEus virtutum veræ jucunditatis fons. Audi hominem de propria utiq; experientia fidele perhibentem testimonium Ps.* 118. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Quoniam etiam voluptatem pariet si viceris hostem à quo pænè ad mortem enectus es?

Oppugnat denique eos qui agunt pœnitentiam Saul non Petri. Magdalena semel conversa nunquam ampliùs ad peccata rediit, & erant multa quæ illam rursus ad mollem vitam revocarent, ætas, opes, forma, sanitas, complices, consuetudo, spes veniæ iterum consequendæ etsi iterum peccavisset. Hæc est etsi pœnitentia, post dimissum semel peccatum non ampliùs ad illud redire. Saul est pœnitentia, peccabat odio in Davidem, poterat illum David sæpiùs occidere; Agnovit suum crimen Saul. dicens Davidi 2. Reg. 4. *Justior tu es quàm ego.* Jurabat se illum non occisurum, & tamen non desiit esse hostis vitæ Davidis, ac tandem miserè periit, ita facit qui ad peccata redit: insidiatur vitæ Christi &c. Deserit peccata sed tanquam abiturus ad vicinum, à quo mox domum regressurus. Erexerat dæmon vexillum suum in turri à se occupata in Magdalena, id est, vanitatem in vestitu, postquam illud semel ad pedes Christi victoris abjectis, nunquam tentavit exigere. Arma sunt dæmonis ornatus multorum, Cypr. de habitu Virg. *Angeli Apostatæ oculos circumducto nigrore fucare & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris ac capitis veritatem corruptelæ suæ impugnatione docuerunt.* Projecit hæc arma ad pedes Christi Magdalena, nec unquam resumpsit semel mun-

data à sordibus nunquam ampliùs in illis volutari voluit. S. Bern. de Conversione ad Clericos cap. 3. *Quis nostrûm, Fratres exteriorem hanc vestem quâ tegitur, si repentè obscœnis undiq; sputis illitam, & fœdissimis quibusq; sordibus inquinatam consideret, non vehementer exhorreat, non velociter eruat, non indignanter abjiciat. Itaq; qui non vestem sed semetipsum talem sub veste reperit, & ampliùs doleat, & animo consternetur opus, quo propiùs tolerat quod exhorret.* Quodsi hanc vestem quam cum tanto horrore abjecit, rursus cum gaudio assumat, an non insanum putabimus? vestis est peccatum quæ diabolum tam turpem facit, quam si abjiceret statim formosissimus Angelis appareret. Devoravit agrum alicujus Eruca; expulsa est & ager cœpit revirescere, ille advocat locustas ut eum devorent, misertus Deus interemit locustas, & agrum fecit germinare, ille adducit bruchos qui illum consumant: oravit rursus DEUM ut tolleret bruchos, sustulit: illè rubiginem per maleficia inducit, an sanæ hic mentis homo? Joël 1. *Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuū bruchi comedit rubigo. Expergiscimini ebrii & flete.* In hunc locum Greg. 33. Moral. 27. *Quid per erucam quæ toto corpore in terra repit, nisi luxuria designatur? Quid per locustam quæ saltibus evolat, nisi inanis gloria exprimitur? quid per bruchum cujus penè totum corpus in ventrem colligitur, nisi edendi ingluvies figuratur? quid per rubiginem quæ cùm tangit incendit, nisi ira innuitur? cùm ergo vitia vitiis succedunt, agrum mentis alia pestis devorat, dum alia relinquit.* Non nova seges toties reproducenda est à Deo cùm tu priorem per hos bruchos, locustas &c. vastas, sed novæ quindecim creaturæ, quæ de novo debent produci, & sunt supernaturales. 1. Gratia Dei. 2. Fides charitate formata, quia sine hac, stat cum peccato? spes certa, quia cum peccati amore non est spes, sed præsumptio. 4. Charitas quæ perit per peccatum. Tum quatuor virtutes morales supernaturales, demum

mum septem dona spiritûs S. Subjungit hic S. Vinc. *Credo quòd nullus quantumcumcunq; malus & ribaldus vellet facere furtum vel adulterium, si primò oporteret occidere quatuor vel quinq; homines.* Hîc quindecem sunt occidendæ creaturæ. Et si te pœnitente illas DEUS rursus creat, tu verò relaberis, iterum eas occidis, & hoc iterum ac iterum. O quàm jure quæritur DEUS. *Servire me fecisti in peccatis tuis?* O quàm jure graviùs semper irascitur?

CONCIO XLIV.

Pro Fer. Sexta post Dominicam Passionis.

Expedit ut unus homo moriatur pro populo.

FEcerunt Sacerdotes unam hodie illationem ex hac præmissâ. *Quid facimus quia hic homo multa signa facit?* Christus multa beneficia & miracula facit, quid ex hoc Antecedente Joann. 11. inferemus? intulit pro omnibus Caiphas. *Expedit ut moriatur.* Id est, ergo moriatur o insanum discursum! Pro nobis plura Christus bona fecit, quia illo tempore nondum erat passus, maximum verò beneficium est quod cum summo labore præstatur. Quid nos ex eo inferemus? Passus &c. pro nobis, quale ex hoc sequetur Ergo, ostendam quale sequi debeat.

Ex hoc omnia mala procedunt, quia malè argumentamur. Dederat DEUS cuidam copiosam messem, quid ille ex hoc infert? *Dicam animæ meæ, epulare, habes multa bona.* Stulta hæc facit illatio. Ideò dictum est illi. *Stulte hâc nocte repetent animam à te, & hæc quæ congregâsti cujus erunt?* debebat inferre. Tantò magis Deum laudabo, & cum pauperibus quæ mihi dedit dividam, ad hoc enim dedit. Basil. instit. Monach. cap. 58. *Si neglexerit dispensator dare fratri quod opus est: manifesta est de hoc sententia Domini. Discedite à me maledicti in*

ignem

ignem æternum, & ea quæ sequuntur. Et maledictus est homo qui facit opus DEI negligenter. Divites sunt Dispensatores pauperum. De Clericis vide Synod. Prov. Pol. unde idem serm. 2. in divites avaros. *Non dedisti panem, vitam non recipies æternam.* Greg. Pastoral. parte 3. *Admonendi sunt qui sua misericorditer tribuunt, ne cogitatione tumidâ super eos quibus terrena largiuntur se extollant & idcircò se meliores æstiment. Iram merentur qui dispensatores sunt qui ex aliena dispensatione subsistunt.* Dedit DEUS Filio prodigo sanitatem, juventutem opus, quid ex hoc conclusit? ergo luxuriosè vivam. Concludere debuit, ergo aliquid præclari pro DEO agam, illique gratus ero. Sed audivisset quod Job cap. 40. dixit de Behemoth. *Fortitudo ejus in lumbis ejus & virtus in umbilico ventris ejus.* de quo Greg. 32. Moral. cap. 11. *Seminaria coitus viris in lumbis esse, inesse autem fœminis in umbilico*, id est in utero, *perhibentur.* Aperuit hosti portam quâ est potentissimus. Vires illi addidisti cùm tuum corpus tradidisti ut illo contra te pugnet, & acre contra te bellum suscitâsti in quo non facilè victor evades. Greg. in Reg. lib. 6. cap. 1. *Quid contra alios solis armis pugnabat Moyses, contra Amalec non solis armis, sed virtute orationis. Exod. 17.? Sed profectò magnum certamen fornicationis ostenditur, quod tantâ virtute, tantâ difficultate superatur. Levet manus suas, levet mentem ut opere bono & resplendeat, qui abscindere à se libidinis perfectè bellum tentat. Ne ergo manus lassescant, Aaron & Hur lapidem supponant, Aaron quidem, mons fortitudinis, Hur ignis vocatur.* Hoc est, considerando solidè, cœlum & infernum. Dedit alteri DEUS ut in fide recta nasceretur, quid inde infert? ergò minùs curabo salutem & certitudinem mihi illius promittam. Audiat Salvianum de gubernat. lib. 7. *Quid prodesse nobis prærogativa illius gloriosi nominis potest, quòd nos Catholicos dicimus, quòd Fideles esse jactamus, quòd Gothos ac Vanda-*

Vandalos hæretici nominis exprobratione despicimus, cùm ipsi hæreticâ pravitate vivamus? *Itaq; rectissimè nobis dicit quod Judæis in lege fidentibus dixit sermo Divinus. Quomodo dicitis sapientes sumus & lex Domini nobiscum est. Nolite, inquit Jerem. 7. & 8. confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini &c.* Nam ut Greg. homil. 39. *Quid prodest quod eidem Redemptori nostro per fidem jungimur si ab eo moribus disjungamur?* Quid prodest si non fidei doctrinam sectemur, sed ut bestiæ affectui obsequamur, si vindictæ studeamus, concupiscentiis &c.? Si vivamus more Ethnicorum? Isai. 30. *Væ vobis qui accessistis ad Ægyptum, ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis ut descendatis in Ægyptum & os meum non interrogâstis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægypti, & erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia in umbra Ægypti in ignominiam.* Non juxta fidem vivitis, sed plus in verbo Principis Pharaonis quàm in meo collocatis fiduciæ: magis artibus humanis & umbrâ Ægypti regimini quàm meo verbo. Sic fecit Jeroboam 1. Reg. 12. & seq. qui humanæ prudentiæ plus tribuit quâm verbis Dei erexit duos vitulos aureos ut populum ad se ab Adversario retraheret, periit cum suis vitulis. Sic Judæi, ne Romani venirent, & non esset qui templum defēderet, occidendo Christum, se & templū perdiderunt. Sic famuli faciunt qui ut Dominis placeant peccant in DEum, & tandem ipsi in odium Dominorum deveniunt. Sic Domini qui non puniunt delicta subditorum, ut illis se in amorem insinuent, & tandem subditos experiuntur rebelles. Sic mulieres quæ viris nolendo displicere quædam contra Deum faciunt, & tandem in sævitiam virorū deveniunt. Sic ne viri qui affligant uxores permittunt in vanitatibus ea quæ sunt cum offensa Dei, & tandem fit ut aliquid uxores committant quod sit contra illorum honorem. Idem est de parentibus respectu Filiorum &c.

Cùm ita homines malè argumentantur, etiam DEUS illas conclusiones ex illorum propositionibus infert, quas illi non expectant. Superbit quis sive de scientia sive de virtute, sive de opibus, & inde sperat gloriam, DEUS infert ut Nabuchodonosori, *Fœnum ut bos comedes* Gregor. 26. Moral. 13. *Quia superbiendo se hominibus Justi præferunt, luxuriando usq; ad jumentorum similitudinem devolvuntur, &c. Quasi scientiæ pœna eos in altum sublevat de quibus Rom.1. Quia cùm cognovissent DEum &c. Ecce caro mersit quos superba scientia sublevavit, & à volatu volucrium infra appetitum jumentorum lapsi.* Et publica fiunt eorum peccata, & ut jumentum contemnuntur. Colligit opes avarûs, & infert ex illis, habebo quo diu sine cura vivam. Sed DEUS infert. Satis collegisti, ergo morere. Eccli. 5. *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* Jubet enim arborem non fructiferam excindi Luc 12. De quo Greg. Pastoral. p. 3. *Terram ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium, hoc quod prodesse multis potuit, inutiliter servat* Et Luc. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum exciditur.* De quo idem ibid. *Qui ergo se innoxios quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ provideant.* Aliquis in via virtutis non vult proficere, & infert sibi, etiam sic salvabor dum vitem peccata mortalia, etsi venialia non curem. At inde Christus infert. *Nisi te lavero,* scilicet à venialibus *non habebis partem mecum.* Quia ut Greg. Pastoral. p. 3. *Fit plerumq; ut mens assueta malis levibus, nec gravia perhorrescat, atq; ad quandam authoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, & tantò in majoribus contemnat pertimescere quantò in minimis didicit non timendo peccare.*

Argumentemur juxta fidem non juxta avaritiam, mundi dictamina, aut pseudopoliticorum. Non fallet nos fides alioqui perveniemus ad hoc ut de nobis dici possit, Quod Gregor. 3. Moral. 14. de quibusdam dixit. *Pestifero errore persuasi sic in*

istis famulantur Antichristo, ut tunc veriùs æstiment se præbere obsequium Christo. Job 41. Ponet eos quasi dum ungventa bulliunt, ungventa cùm bulliunt fragrantiam svavitatis reddunt: quia Leviathan ita seducet corda reproborum, ut quidquid agunt ex iniquitate perfidiæ, pro veritate rectæ fidei se agere suspicentur, quasi benè eis olet quod pro zelo religionis exercent. Joann. 16. Ut omnis qui interficit vos obsequium arbitretur se præstare DEO. Justum hoc est divino judicio, ut qui pietatis vim perpendere & custodire negligunt, suspicionis suæ odore fallantur.

CONCIO XLV.

Pro Sabbato post Dominicam Passionis.

Cogitaverunt ut & Lazarum interficerent. Luc. 12.

CHristus fecit insigne miraculum excitando Lazarum, ut Judæos ad se attraheret, at illi & Christum & Lazarum cogitant occidere. Hîc patet quo animo nuper petierunt, *Manifesta teipsum*. Ergo in vanum ibit labor Christi qui promisit suis Isai. 6. *Electi mei non laborabunt frustra*, ipse in vanum laborabit? ita est, propterea ad Patrem ut Judicem appellat Isaiæ 49. *In vacuum laboravi, sine causa consumpsi fortitudinem meam, ergo judicium meum cum Domino, & opus meum cum DEO meo.* Jam Judæi sunt damnati nos videamus ne similiter ab eo citemur ad judicium.

Minùs fortè grave esset. Si in laboribus suis quæreret bonum proprium, sed quærit nostrum, spretus verò amor in maximum dolorem vertitur. Propter nos passus, propter nos clarè resurrexit &c. propter nos instituit Sacramenta, ac specialiter Pœnitentiæ & Eucharistiæ, ut illis hoc tempore utamur, & illa omni suavitate condivit. Quid enim svaviùs quàm dicere homini peccata ad aurem qui nulli omninò ea revelaturus sit, & sic à peccatis liberari! quid faciliùs quàm veluti panem intra se datorem omnis boni sumere? & ut hoc faciamus,

arbitrio hominis permittit ut nos judicet de peccatis, neque gladio aut igne puniat, sed imponat aliquam precationem, eleemosynam &c. Si ita Princeps quispiam mundi procederet, quomodo propter hanc clementiam amaretur? Claudit sub minimis particulis specierum panis, & permanent quamdiu illæ manent expectando ut veniat qui eum ad se recipiat, o quæ clementia! fingat aliquis si potest majorem! an non hîc laborat pro nostro bono? sed fortè invenitur qui hæc negligat, vel sacrilegè usurpet, ludificet Tribunal pœnitentiæ non sincerè se gerendo in illo &c. Sumat in pectus suum Christus quod pectus à dæmonio non expurgavit. Greg. lib. 5. in Reg. 2. *Grave pondus criminis deponi non potest nisi austeritate magna compunctionis, Compunctionis autem gratia menti non infunditur, nisi priùs ei ipsa peccati magnitudo monstretur.* Considera miser in quantum es lapsus malum cùm peccâsti. De omni peccato verum est, quod Cypr. de bono pudicitiæ loquens, ait de avaritia. *Sathanas tibi loquitur, Abnega Christum & esto dives, sacrifica mammonæ & Christo nuncium remittito, & tamen spontè submittis genua Sathanæ, & abnegato Christo totum te illi mancipas. Quid autem Christus? meus esto & vive in æternum. &c. O fœdam defectionem! O turpem idololatriam! O iniquam permutationem! Quo præmio sollicitavit primi generis authores? ostendit pomum & dedit mortem. &c. Ne quis itaq; sibi sic blandiatur, sum peccator, amo pecuniam &c. Sed Christum non abnegavi. At reclamat tibi Paulus, factis abnegâsti. Reclamat sibi Dominus ipse, Nemo potest duos Dominos colere.* Vide quantum nefas commisisti, an non est de quo doleas? Dicebat S. Polycarpus M. cùm juberetur ab impiis sub pœna ignis maledicere Christo. Quomodo illi meledicam cùm nihil mihi fecerit mali? Quid verò tibi fecit ut illum abnegares, neque ob metum ignis, sed ex petulantia, voluptate? &c. An illum apud te damnabis, cujus

collo dum carnifex iminerer, Christũ negavit,te verò insontē ducet qui eum nullâ necessitate adactus abnegâsti? quid gravi? spontè & cum voluptate,an gravi terrore perculsũ peccare, vide quid egisti?& vide quantis sit dignũ lachrymis? Greg. in Ps.4. Pœnitent. *Qui sanctæ contemplationis pennis se ad cœlestia erigunt &c. Unde fit quod gravi in seipsos, vel pro otiosis verbis, vel pro vanis cogitationibus, invectione desæviant, & quæ levia ante crediderunt, mox ut gravia & pestifera perhorrescant.* Rejicienda per quæ peccavimus, cum carne verò agamus ut cum hoste qui nos ad hæc mala pertraxit, Caro & anima sunt velut Isaac & Ismaël in domo Abrahæ, advertit Sara quòd luderent secum Gen.12. statim clamavit. *Ejice ancillam & filium ejus.* Ejicienda caro, Israël, & solus panis & aqua danda est illis. Nam ut Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis.* Non est juvanda caro ut prævaleat spiritui. Accedite ad Sacramentum pœnitentiæ, hæc est alter quàsi Baptismus. Hieron. epist. 10. *Meretrix illa in Evangelio Baptisata suis lachrymis, quantò fœdior, tantò pulchrior.* S. Bern. serm. 1. in Octav. Paschæ. *Est baptismus aliquis in compunctione cordis & lachrymarum asfiduitate.* Quid nos oblectat vivere sub decreto inferni, sub mancipatu inferni pœnis etiam in hac vita imminentibus?

Accedite & ad Eucharistiam. S. Cypr. lib. 1. epist. 2. *Cùm ad hoc fiat Eucharistia ut possit esse accipientibus tutela, quos tutos esse contra adversarios volumus munimento Dominicæ saturitatis armemus.* Cùm Eucharistiam sumimus, cataphracturam contra hostes induimus. Et quæ fortior est, quàm Christum induere, imò in eum mutaris mutat verò nos Christus in secùm eum sumimus. Si in illum mutamur debet nos amare Pater cœlestis, Angeli venerari, & mala à nobis propulsare. &c. Sumi verò debet ut præceptum est in figura. Exod. 12. quod præceptum explicat. Greg. hom. 22. Edent nocte illas carnes assas.

fas. *In nocte Agnum comedimus, quia in Sacramento modò Dominicum corpus accipimus.* Et Azymos panes. *Panes sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ exercet.* Fermentum enim inflat. Cum lactucis agrestibus amaris. *Ut cùm corpus Redemptoris accipimus, Nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus.* Nec coctum aquâ. *Sed quid aqua nisi humanam scientiam designat, juxta hoc quod per Salomonem hæreticorum voce dicitur Prov. 9. Aquæ furtivæ dulciores?* Nec crudum. *Quid crudæ Agni carnes nisi inconsideratam ac sine reverentia cogitationis relictam ejus humanitatem significant? omne enim quod subtiliter cogitamus quasi mente coquimus. Qui Incarnationis mysteria juxta humanam sapientiam discutere conatur, carnes Agni aquâ vult coquere.* Assàs igni, *ut dispensari omnia per Spiritûs S. potentiam sciat.* Caput cum pedibus. *Caput Christi DEUS est 1. Cor. 11. Redemptor noster est α & ω.* Intestina. *Quid intestina nisi verborum ejus occulta mandata?* Non remanebit ex eo quidquam usque manè. *Quia ejus dicta magnâ sunt sollicitudine discutienda priusquàm resurrectionis dies appareat.* Si quid remanserit comburatur. *Quod ex Agno remanet igne comburimus, quando hoc quod de mysterio Incarnationis ejus intelligere & penetrare non possumus, potestati S. Spiritùs humiliter reservamus.* Renes præcingendi. *Qui solennitatem Resurrectionis & incorruptionis agit, corruptioni jam per vitia nulla subjaceat, carnem à luxuria restringat.* Calceamenta &c. *Quæ verò sunt mortua animalia ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes? nisi antiqui Patres qui nos ad æternam patriam præcesserunt?* Eorum vestigia in devotè communicando teneamus. Baculos in manibus &c. *Quid lex per baculum nisi Pastoralem custodiam designat?* Debent attendere Pastores ut quisque in Paschate S. Communionem percipiat. Festinantes; Quia adhuc hodie licet benè agere scimus, utrum cras liceat ignoramus; Ita hæc communio sumenda atque si esset ultima.

Considerat Christus qualem ex his laboribus suis fructũ percipiat, videt quis hæc Sacramenta ad vitam, qui ad damnationẽ percipiat, advocabit Patrem. Vide quid pro illis feci, & quem fructum tuli? &c. Quid plus plus facere debui? S. Bern. serm. 2. in Octav. Paschæ. *Hic est qui sangvinem proprium dedit in redemptionem, aquam in ablutionem, emisit deinde in excelso spiritum suum qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse, an hæc aliquid operentur in te, ne fortè reus sis sangvinis Domini quem evacuas quantum est in te, sed & aqua ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti judicium damnationis accumulat, Spiritus quoq; cui resistis non liberat maledictum à labiis tuis. Quis est autem qui testimonium habet effusi non sine causa sangvinis Christi, nisi qui continet à peccatis? Servus enim peccati est qui peccatum facit, ut se deinceps continere poterit & jugum abjicere miseræ servitutis quam operatur sine dubio sangvis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia nisi adest pœnitentia.* Vide ergo quid respondebis cùm tecum apud Patrem judicio contendet?

CONCIO XLVI.

Pro Domin. Sexta Quadrag. seu Palmarum.

Solvite &c. Matth. 21.

Misit Christus duos, & quidem Petrum cum Philippo ut scribit Chrysostomus in castellum? seu ut Hebr. legit, in pagum quendam ut solverent asinam & pullum. Sufficiebat pro tam brevi itinere unum animal, sed mysterium ut Hieron. notat, per asinam Synagoga, per pullum Gentes significantur. In quo nullus sedit, nullus legem DEI intulit, quia utrosque Christus erat subjugaturus. Ideòque mittit Petrum cui daturus erat Apostolatum inter Judæos: & Philippum qui Gentes adduxit ad Christum. Sedit priùs in asina, quia priùs Judæis facta prædicatio, postea Gentibus. Quid verò mysterii in hoc, *solvite*, scrutabor.

Tam pullus quâm aſina ligati fuerunt, quia utræque dicere poterant Prov. 3. *Funibus peccatorum quisq; adſtringitur.* Et Iſai. 5. *Qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi in vinculis plauſtri peccatum.* Ecce quid facit dæmon de peccatore? beſtiam, quam plauſtro alligat, ne ab eo fugiat, & illud trahat, ipſemet verò agit aurigam. Lamentatur ſuper hoc Iſai. 61. *Filij tui projecti ſunt.* Viles ſunt facti; *dormierunt in capite omnium viarum,* ſicut beſtia cujus nulla habetur cura, *ſicut oryx* alii legunt, ſicut beſtia. *Illaqueati, pleni indignatione Domini, increpatione DEI ſui.* Ecce tui habeam imaginem ô Peccator. Non miror jam quòd Siſara victus, velut apud amicum, apud hoſtem Jahel, dum maximum inſtat periculum dormiat, mox amiſſurus vitam. Non miror, quod dum hoſtis Jehu captam ingreditur civitatem, Jeſabella ſe comat, pingat, mox è feneſtra dejicienda & à canibus voranda. Sed hoc miror quòd peccator plauſtro dæmonis junctus dormiat *in capite viarum,* non reſpicit quo hæc via ducat. Matth. 12. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Nonne plus quâm Jonas eſt qui dicit. *Niſi pœnitentiam egeritis, peribitis.* Interroga te. *Quo vadis?* ad eum locum pergis, in quo non obtinebis hanc gratiam, ut tibi ſeptem anni pro uno peccato mortali pœnitentiæ imponantur, ut olim in Eccleſia, ſed neque obtinebis ut ſeptem millia, neque ut 70. millia. Vadis ad infernum in eo ſine fine urendus. Orabis, ſaltem poſt mille millia annorum finiatur mea pœna, reſpondebitur. Tace, non es dignus ut ampliùs audiaris, Modò *ſolvite.* Rumpite vincula. Euſeb. Gallicanus. *Ingentia debita labor ſolvit exiguus quæ vix conſumpturus erat labor æternus.*

Peccatum unum ſi quiſpiam Beatorum in cœlum committeret ſtatim omni gloriâ corpus ejus & anima privaretur: imò,

Imò objicit sibi quæstionem Origen. Cùm certum sit, Christum, utpote Filium DEI naturalem, dum viveret fuisse æquè beatum, & æquè Deum vidisse atque modò, cur tamen ejus corpus gloriâ suâ caruit, & tantùm semel eam in monte Thabor ostendit? & respondet. *Non decebat eum in gloria constitutum peccata nostra portare.* Suscepit in se imaginem peccatoris, non decebat eum gloria corporis. Privarat peccatum Sanctos gloriâ quam habent, quibus nos bonis non privabit, & dormimus *in omni capite viarum*, & nos non solvimus cùm possumus. Jam degustamus has privationes, privamur sanitate, bonis, amicis &c. & dormimus. Sanctis induceret peccatum inferni flammas, & nos dormimus? Dormiresné si manus amputatio, si oculi avulsio instaret? omnis boni instat privatio: omnis mali instat illatio. Denuntiabat semel Apoc. 6. Angelus hæc mala peccatoribus. Et, *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus.* Et homo dormit de quo agitur. Fertur in DEUM atrox sententia, tremunt qui audiunt innocentes, detestantur peccatum, ridet reus. O amentia? Nolumus nos solvere, nolumus pœnitere, jam parat DEUS ipse pœnitentiam quam imponat. Isai. *Et vocabit D. DEUS exercituum in die illa & fletũ & ad planctam, ad calvitiem & ad cingulum sacci.* &c. *Si dimittetur hæc iniquitas vobis donec moriamini.* Agam, inquies pœnitentiam postea. Quando? in morte. Non potuit quis lingvam latinam v. g. discere totâ vitâ, & promittit sibi quòd unâ horâ in morte discet illam perfectè, non didicisti conteri, pœnitere & scies in morte! vir robustus non potest aliquod ferre pondus, & fieret facilè morbis confectus? grave est redire ex via cum uno milliari errâsti, & leve erit postquam 50. vel 60. milliaria erroris confecisti? funiculum è tribus filis robustus existens rumpere non potes, & rumpes æger ubi illi mille fila, hoc est mille consuetudines accesserunt? solvere non potes nodum semel ligatum, & solves mille religatum? *Solvite.*

Vocabit ad fletum, ad planctum. Audite ululantes veluti canes in inferno. Videte lingvas præ siti instar carbonum ardentes; olfactite sulfur fœtidum &c. quærite, si Christiani erant qui ista patiuntur, an non omnes promittebant sibi se in morte acturos pœnitentiam? volumus id facere quod nemo potuit è centum millibus, & tamen inter illos, alter fuit minor peccator, alter magis doctus &c. Innocens fuit Joann. Bapt. & totâ vitâ agit severam pœnitiam. Innocenter Dominic⁹, Franciscus &c. se jejuniis, ciliciis, flagris totâ vitâ frangunt, & nos cum tot peccatis quid agim⁹? una hora, incerta hora, non nostra hora in pœnitentiam seponitur? Ubi est amor nostri, curam gravis doloris in corpore non differimus, & curam ignis æterni inter postrema habemus! Euseb. Gallic. *Homo ipse se decipit, si cùm in medullis sentiat fervere morbum, per superficiem molle deducat unguentum.* gravissimorum peccatorum pœnas vult unâ molli intensione pectoris jam agonizans exsolvere. Hocné est audire Christum. *Nescitis diem neq; horam?* hocné Christi Legatum, *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati, ita exhibete servire justitiæ.* Aug. *Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro illicitis affectionibus? periculosissima & molestissima patienter tolerantur.* Hæc fecistis pro iniquitate. *Sicut exhibuistis membra vestra* &c. Sed quid fit? *Lætantur cum malè fecerunt, & exultant in rebus pessimis.* Et hæc est pœnitentia?

Solvite. Consurgamus à peccatis, & saltem hodie pœnitentiam incipiamus. Intrat JESUS Jerosolymam. Mos erat Judæis ut scribit Franc. Orrisius, hodie agnum quem erant in Paschate comesturi de grege accipere, ornatum floribus ac ramis cum magno gaudio ducere in civitatem, inter tales Agnos hodie ipse Agnus Christus venit pro nostris peccatis acturus pœnitentiam Chrysost. hom. 66. ad popul. *Tristemur Fratres tristitiâ gaudii genitrice, non gaudeamus tristitiæ parente lætitiâ,*

lætitiâ, lachrymas fundamus multas. Non relinquamus justo dolori Christi locum, dum ille tam alacriter vadit ad pœnitendum pro nobis, ut dicat. *Torcular calcavi solus, & non est vir de gentibus mecum.*

CONCIO XLVII.

Pro Feria Secunda post Domin. Palmarum.

Maria accepit libram unguenti nardi pistici &c.
Joann. 12.

DUm Christus mensæ accumbit cum Lazaro à mortuis suscitato, Martha ministrat, alii hospites consident, accurrit Magdalena cum ungvento & ungit pedes Domini. Quid sibi hoc vult? utique dimissa jam illi erant peccata, quid iterum quærit? scandalisatus de hoc facto Judas, & fortè discipuli Judam secuti reputant prodigalitatem, pergit illa. Quid in hoc facto intendat investigemus.

Possunt hujus facti variæ afferri explicationes, mihi illa maximè placet. *Peccatum meum contra me est semper.* Dimiserat DEUS Davidi, tamen ille orat. *Ampliùs lava me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Quid petit? utique remissionem accepit penes Nathan, Sed Eccli. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu,* Meminit quid mali antè egerit. Speculo malè usa fuit, currit ad Christum. Speculum in quo se etiam viderat deformem, se viderat ut monstrum &c. recipiet modò qualis sit, ut si adhuc aliquid in ea supersit vitiosi corrigat. Publicè peccabat, publicam agit pœnitentiam. Timebat antea mundum offendere, nunc Pharisæi censuram non timet, non discipulos. Denique in qua mensura peccabat in eadem agit pœnitentiam. Habemus imaginem verè pœnitentis,

Postquam egit pœnitentiam semel, non cessat agere, nos ex ore Christi non audivimus. *Dimittuntur tibi peccata* nam licet dictum sit nobis, *Ego te absolvo.* Tamen Sacerdos qui non videt animam nostram, poterat hanc proferre absolutionem quando non erat proferenda, quando scilicet deerat dolor verus, propositum efficax non ampliùs peccandi, restituendi, occasiones proximas peccati relinquendi. Et sic non est facta dimissio peccatorum. Psal. 71. *Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum.* Peccatum ut ait Glossa facit usuram, plus exigit quàm dedit, nam solam dedit brevem voluptatem, exigit longam pœnitentiam. Debet abjici sub pedes Christi quod antea placebat, debet effundi in Christum quod antea profundebatur in peccata, debemus sitire ut ampliùs & ampliùs pœnitentiam agamus, ita fecit Magdalena. S. Bern. in vigil. Nativit. Dom. serm. 2. *Quisquis ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere se pœnitentiâ, & ita non suam confitetur culpam: aut non posse ei prodesse pœnitentiam, sic & divinam non confitetur bonitatem.* Meminit quid fecerit & non est absque metu, semper de suo facto erubescit. Chrysol. serm. 93. de Magdalena sic loquitur. *Venit mulier & venit retrò, quia reus animus stat post tergum novit se vultûs fiduciam perdidisse, stetit secùs pedes, benè stetit quia jam cadere non potest quæ ad pedes Christi meruit pervenire. Stetit juxta pedes ut Christi vestigiis innixa percurreret viam vitæ, quæ per viam mortis cucurrerat.* Ambulabat in via peccati per annos 12. in via pœnitentiæ usque ad finem vitæ. Nam etsi dimittantur nobis pœnæ inferni in confessione, manent tamen luendæ pœnæ temporales. Adhibenda corporis punitio &c. Neque cesset labor dum antequam ad finem vitæ perveniamus. Tertul. de pœnit. c. 6. *Pœnitentia vita est, eam tu peccator mei similis ita invade ut naufragus alicujus tabulæ fidem, hæc te peccatorum fluctibus mersum in portum divinæ clementiæ perlevabit.*

Aspi-

Aspiciebat Magdalena Christum ut speculum, hoc faciat Pœnitens. Proponat sibi frequenter, Christus fuit patiens, ego quid? fuit &c. Christo verò debemus, similes esse si cum illo regnare volumus, Christus Apoc. 19. Habebat in femore scriptum, *Rex Regum.* Idem femur præcinctum est gladio Psal. 44. *Accingere gladio supra femur tuum.* Non fuisset Rex Regum si gladio non fuisset usus. *Regnum cœlorum vim patitur.* Greg. lib. 2. in c. 1. *Conversio peccatoris non est in humilitate confessionis, sed in renovatione interni hominis &c. vera conversio non in ore accipitur, sed in corde.* Et cap. 3. in hanc rem adducit exemplum Heli. Cui cùm DEus fuisset comminatus, ille confitendo suam culpam, respondit, *Dominus est quod bonum in oculis suis faciat. Verè fuisset humilis,* ait Greg. l. c. *Si se ad emendationem culpæ pro quo arguebatur, obtulisset* &c. *O quanti adhuc imitatores Heli, qui cùm minantem sibi quotidie Omnipotentem de sacro eloquio audiunt, & tamen hominibus displicere trepidant! Quid est enim dicere, Dominus est, quod est bonum in oculis suis faciat nisi de ordinatissima DEI misericordia inordinatè confidere?* Exhibebit DEUS misericordiam, sed tu serva ordinem, pœnitentiam age de comissis, & vitam renova, mores novos indue, hic est ordo contra quem non aget. Non satis est infirmo ut se à morbo liberet, sed insuper opus ut vires amissas reparet. Non satis est mersæ navi ut aquam ex ea effundas, sed insuper opus est claudere rimas ne iterum influat. Non satis in tecto ignem extingvere, sed etiam opus est quod vastavit restaurare. Emenda vitam si te verè peccatorum pœnitet. Deprecare quos offendisti, Cassian. collat. 16. *Nihil proderit si te quidem asseras non irasci, & credas te implere illud mandatum quo dicitur Sol non occidat super iracundiam vestram, &, Qui irascitur Fratri suo &c. Alterius verò tristitiam quam delinire tuâ mansuetudine potuisti contumaci corde despicias, eodem namq; mo-*

do præcepti Dominici prævaricatione plectêris. Qui enim te irasci adversùs alterum non debere dixit, nec alterius contemni tristitiam debere dixit. quia non interest apud DEum, utrum te an alium perdes. Rapuisti aliena, & jam restituisti eo modo quo erat necesse, id est, & pro lucro cessante, & pro damno emergente, insuper de tuo largire eleemosynas. Si enim judicio DEI punitur quis in iis per quæ peccabat, etiam nos puniamus nos in iisdem. &c.

Publicè peccabat Magdalena, publicam agit pœnitentiam, ut quos scandalisaverat ædificaret. Nec enim est leve dare alicui ad peccandum occasionem. S. Bern. in dedic. Eccl. serm. 3. *Omninò proditorem sese noverit, si quis fortè, quod absit, vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, qualia sunt, utique detractores DEO odibiles, qui discordias seminant, nutriunt discordias inter Fratres.* Scandalum oportet bono exemplo compensare. Euseb. Emysen. hom. de initio Quadr. *Sicut quando aliquis peccat sub conscientia & destructione plurimorum, de pluribus incurrit reatum: & quantùm per unius membri vitium serpit latè diffusum reliqua per membra contagium, tantum in authorem suum multiplicis mali recurrit argumentum; & quantos destruxit, de tantis sibi materiam damnationis comparavit. Commisso enim pessimo opere contristantur boni, subvertuntur mali, nimis enim penetrabile telum est imitatio deteriorum. Ita è contrario, quando quisq; de Ecclesiæ Filiis aliquod bonum profitetur in publicum; crescit devotio mirantium, ac de tantis aquiruntur bonorum operum fructus, quantorum veluti balsami suavitate condiuntur affectus. Hinc fit ut sicut primos vitiorum inceptores, & qui aliis per malum exemplum dant initia peccandi DEUS acriter punit: Sic etiam propter eandem rationem eos qui suo exemplo ad virtutem alios provocant & alliciunt largâ manu remunerat.* Etsi pœnitentiam pro tuis culpis peregeris, nihilominùs Christus

ſtus requiret, Redde mihi quos tuo pravo exemplo, tuâ pravâ doctrinâ perdidiſti. Sicut enim aliud eſt ſibi ſoli peccare, & alios pravo exemplo in peccata præcipitare, & ſicut pro aliis à ſe converſis novum præmium acquiritur, ita pro aliis à ſe perverſis nova pœna acquiritur. Imitemur Magdalenæ pœnitentiam, ut & miſericordiam quæ illi exhibita eſt conſequamur.

CONCIO XLVIII.

Pro Feria Tertia poſt Domin. Palmarum.

Bonum erat ſi natus non fuiſſet homo ille. Matt. 26.

TRipliciter peccant homines, ex ignorantia, fragilitate, malitia. Peccavit Paulus ex ignorantia 1. Tim. 1. *Miſericordiam DEI conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Petrus ex timore & fragilitate. Et hujus DEUS miſertus. Judas ex mera malitia, laboravit & circa hunc Chriſtus, ſed ſine fructu. Unde ait, *Bonum eſſet ſi natus non fuiſſet.* Videamus in quo ſtatu ſimus inter hos. Primus non peccaret ſi ſciret. Secundus non vult peccare, ſed ab occaſione, metu, amore, &c. vincitur. Tertius vult peccare. Atque ex his nobis de venia conjecturam formemus.

Non quælibet ignorantia eſt verè talis, qui enim poteſt ſcire & non vult, v. g. poteſt interrogare, an ſit hodie jejunium, nec interrogat: obligatur ſcire, ut qui eſt in officio, ſuam obligationem neque diſcit. Rurſus qui ingerit ſe in occaſiones in quibus expertus ſe labi. Tales non tam ignorantes & fragiles quàm ad malitioſos referri debent, & poteſt illis dici. *Bonum eſſet ſi natus non fuiſſet.* Nam rariſſimè contingit ut perveniat ad miſericordiam, hinc ei omnes pœnæ peccati incumbunt. Pſ. 38. *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus.* Sicut ara-

neus

neus tabidus tueri se non potest, cadit, nulli usui est. Hieron. hunc ipsum locum legit. *Posuisti quasi tineam desiderabilia ejus.* Omnia resolvuntur quasi in pulverem, ut tinea si eam digito comprimas, & mirentur aliqui quòd cùm laborent continuò nihil illis remaneat veluti ex somnio. Peccatum hoc fecit. S. Bern. in Cant. serm. 69. *Qualem te paraveris DEO, talis oportet appareat tibi DEUS.* Non vis tu dare illi quæ à te desiderat, neque ille dabit quæ tu ab illo desideras, auferre voluit Lucifer honorem DEO, abstulit illi DEUS. Non das tu quæ promisisti, nec ille quæ tibi daturus fuisset. Et quomodo daret, cùm peccator efficiatur, quodammodo pars Luciferi? S. Bern. serm. de S. Benedicto. *Sicut porcina caro cùm comeditur nostræ carni adhæret ut jam sit una caro: sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis unus cum illis efficitur dæmon.* Hinc sicut dæmoni etiam in aëre aut terra existenti antequam eat ad infernum, pœnas irrogat, oritur illa pœna ut sit velut mortuus. Greg. in 1. Psalm. Pœnit. *Sicut nullus rei meminit caro mortua ita nec te DEUM sentire prævales à te DEO anima divisa.* Et cùm ille non meminit DEI, etiam DEUS ita se gerit atque si illius oblitus esset. Permittit inimicos. Oseæ 10. *Arâstis impietatem, iniquitatem messuistis*; quòd vobiscum iniqui agant vicini. *Comedistis frugem mendacii, quia confisus es in viis tuis in multitudine fortium tuorum.* Fidebas industriæ tuæ, tuis militibus. *Consurget tumultus in populo tuo, & omnes munitiones tuæ vastabuntur.* Domus ibit in desolationem ut in ea stabulentur bestiæ Isai. 34. *Et possidebunt illam onocrotalus & ericius, ibis & corvus habitabunt in ea, & extendetur super eam mensura ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem. Nobiles ejus non erunt ibi, Regem potiùs invocabunt, & omnes Principes ejus erunt in nihilum. Et orientur in domibus ejus spinæ & urticæ, & palinurus in munitionibus ejus. Et erit cu-*

erit cubile draconum & pascua struthionum. Domus desolatæ spectris implebuntur. *Et occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum, ibi cubabit lamia & invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam erycius, & enutrivit catulos & circumfodit, & fovit in umbra ejus, illuc congregati sunt milvi alter ad alterum.* Hæ pœnæ sunt peccati in hac vita & quæ oculis patent.

Quæ verò non patent oculis. Efficitur peccator in oculis DEI bestia. Boëtius de consolat. 4. prosa 3. *Homo non vivens secundùm rationem bestiis assimilatur per imitationem, asino per negligentiam* &c. Et dæmon tractat illum ut bestiam. Vidit hoc S. Paulus Abbas ut scribit Rosveid. lib. 7. c. 23. Ducebat miserum dæmon inserto in nares ejus circulo, sequebatur à longinquo Angelus cum mærore. In hoc tamen statu, ut ait Chrysost. hom. in Psal. 2. *Cùm terra sit in cœlum bellum gerit: cùm sit fœnum cum igne pugnat: cùm sit lutum adversatur ei qui finxit illum.* Tolerabiliùs fortè esset, si nos in hæc mala præcipitassemus non acceptis tot à DEO beneficiis, sed modò contra nos meritò detonat Chrysost. hom. 1. de lapsu Adæ. *Adam nullius delicti causam deflevit & cecidit: nos autem post tot exempla quæ timeamus adhuc delinquimus? & post captivitatem redempti, post interitum restituti labimur, & tamen gravior est culpa post veniam, renovatum vulnus pejus dolet post curam. Nonnè indulgentiæ ingratus est qui post veniam peccat? Nonnè sanitate indignus est qui semetipsum post medicinam vulnerat? nec mundari meretur qui seipsum post balneum sordidat, & pejor est servo qui Patronum post datam libertatem offendit. Time Judicem qui contemnis Patrem.* Toties ab hoc misero statu extracti redimus, & ultrò nares circulo dæmonis offerimus, super hoc cœlum perhorrescit, super hoc Angeli gladios sumunt ut vindicent. Super hoc Christus dicit. *Multa bona vobis feci quid me vultis lapidare?*

pidare? Lamentatur Ambr. ad Virginem lapsam. c. 2. *De DEI Virgine facta es corruptio Sathanæ. De habitaculo Spiritûs S. tuguriû diaboli* &c. & c. 3. *Aspice, quis Sanctorum aut quæ Sanctarû approximare tibi non horreat? aperi oculos tuos si potes, erige frontê si vales aliquem Sanctorum fiducialiter intueri? &c. Quid facies coram Elia Daniele & tantorum exertitu Prophetarum? quid facies &c.* Vide quàm sis miser, omnes opes, omnia merita amisisti. Basil. orat. in principium Proverb. *O miserabile spectaculum! O sortem lugendam post jejunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad DEUM preces, post uberes atq; effusas lachrymas, deniq; post annorum 20. seu 30. abstinentiam, ob indulgentiam inconsiderantiamq; nudum omnibus, ac tot laborum mercede privari!* Et quod pejus, semper in alia peccata ruis. Greg. 31. Moral. c. 9. *Nunquam illic anima, quò ceciderit, jacet: quia voluntariè semel lapsa, ad pejora pondere suæ iniquitatis propellitur, ut in profundum corruens semper adhuc profundiùs obruatur.* Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Accedit desperata insensibilitas. Greg. in Ps. 3. Pœnit. *Sicut phrenetici mentis alienationem tolerant, cùm se non solùm nihil pati, sed etiam incolumes putent.* Ut neque jam curet è servitute dæmonis exire. *Districto* ait ibid. Greg. *& occulto judicio agitur, ut à quo lux veritatis inventa negligitur, ab eo postmodum nec amissa requiratur, & qui illam non servat in opere, notitiam illius non habeat in corde*, tum sequitur quædam cæcitas ut malum reputet bonum, excuset peccata ac defendat, tum cor induratur, ut nullis minis DEI cedat, monita contemnat, demum etiam in fide vacillet, & incipiat cogitare infernum esse vanum terrorem, cœlum contemnat, mortis memoriam fieri non patiatur, orationem omittat neque ad DEUM in ulla re faciat recursum, sibi omnes successus bonos & suæ industriæ adscribat, & qualis est ipse tales etiam alios sibi persvadeat, illorumque virtutem

tem nihili faciat ac rideat. Greg. l. c. *Solent perditi homines benè viventibus invidiosè detrahere, aut notam illis excogitati criminis infigere aut puræ vitæ innocentiam simulationem vocare.* Et dum ita profundè merguntur in malis, inopinata hora supervenit, quam vel desperabundi, vel de misericordia DEI stultè præsumentes, vel curis sæcularibus intenti excipiunt, & sicut in hac vita mortui in anima vixerunt, ita in sempiternis sine morte continuò moriantur.

CONCIO XLIX.

Pro Feria Quarta post Domin. Palmarum.

Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum, Luc. 23.

MUltos in peccatis jacentes consolatur boni latronis in cruce conversio, qui totâ vitâ nihil egit boni, & ore Christi canonizatus, moriendo & affixis manibus cœlum rapuit. Unde sibi blandiuntur, in morte ut latro agam pœnitentiam &c. Sed mihi, & vanum hoc videtur solatium, & potiùs terror esse quàm solatium, quorum utrumque ostendo.

Vanum omninò vanum solatium ex hoc latrone. Quàm enim vanus esset qui securim projiceret in mare, quia Elisæo ex aquis enatavit? qui speraret regnum se accepturum amissa Patris quærendo animalia, quia dum asinas quærit Saul in regem ungitur: qui serere nollet expectando manna, quia id de cœlo pluit in eremo Judæis? idem est de hoc latrone, semel id contigit ab orbe condito, in tota sacra scriptura non reperies secundum. Ubi enim erit tempus quo assistas Christo redimenti mundum & sangvinem fundenti? Ubi umbram Christi habebis, ut in te simile operetur miraculum? Quòd enim

enim iste conversus latro non alius, rationem assignant aliqui devoti Doctores, & refert hodie S. Vinc. quia à dextris fuit iste crucifixus & crux Christi fuit altior cruce ipsius, & ita umbra Christi in latronem cecidit, & impleta es prophetiâ Oseæ 14. *Convertentur sedentes in umbra ejus*, Sanabat & Petri umbra ægrotos, noli ergo quando ægrotas medicinam quærere, sed umbram Petri expecta &c. Fluxit ex maxilla asini aqua, & restrinxit sitim Samsonis, cùm sitis expecta donec fluat ex simili mandibula pro te aqua &c. Semel id contigit & miraculosè, neque secundò visum; sperare aliquid simile, temeritas & vanum est, semel Christus Patri pro nobis numerabat lythrum, non est mirum quòd petenti egeno latroni projecerit nummum. Hoc opus Christi fuit liberum, poterat facere, sed quis illum coget ut faciat & tibi, qui hâc spe graviter eum offendis? eâ spe recedis per peccata à DEO, quia uni solùm, nec alteri hoc faciendo, cùm jam esset in faucibus inferni? expecta ergò post tuam mortem die quartâ vitam, quia Lazarum quatriduanum excitavit. Cura te deportari defunctum ad portam civitatis, quia ad portam Naim excitavit filium viduæ. Offer illi linteum ut suam in eo faciem depingat, quia in velo Veronicæ aut Abagari depinxit, Semel id factum, & vivente nobiscum Christo factum, in legem transire non potest. Communius est illud quod dicit Basil. exhortat. ad Baptismum, hortando illos qui differunt conversionem ad mortem. *Quis stupidum ac lethali somno oppressum admonebit? Propinqui? at hi mærebunt. Alieni? at hi despicient. Amici? at hi talia memorando te turbare verebuntur. Scilicet & Medicus decipiet.* Sed inquies. Etiam verum est quod S. Bern. de præcepto & dispensatione. *Non continuò ut aliquid præterimus, perimus, præsertim cùm nos Scriptura consolatur, inquiens, Advocatum habemus JESUM Christum justum, & ipse est propinatio pro*

pecca-

peccatis nostris. Deniq; Propheta de ipso testatur *Isai.* 54. *Quòd pro transgressoribus oraverit ut non perirent.* Sed lege ulteriùs S. Bern. invenies. *Ubi sanè notandum, quòd etsi pro transgressoribus, non tamen pro contemptoribus legitur supplicâsse.* Contemnis miser illius misericordiam dum illam tibi modò offert, neque illâ uteris. Christum Scriptura dicit Advocatum nostrum, sed addit, *Justum.* An justum censeres illum habere pro bono viro, qui te non cessaret vulnerare dum potest, & tum promittere quòd sit ampliùs non vulneraturus quando non poterit? an censendus esset abstinens qui jejunaret quando nullum potest habere cibum, quem quamdiu habuit non cessavit gulæ indulgere? An Judex movebitur misericordiâ supra latronem, qui dicit, tunc desinam malè facere quando non potero? S. Hieron. epist. 3. contra Sabinianum. *Hoc plango, quòd teipsum non plangis, quòd te non sentis mortuum, & quasi gladiator paratus morti in proprium funus ornâris.*

Sed etiam terrori est hæc indulgentia, bono latroni præstita. Nam licet sit miraculosa, licet eo tempore facta quo fons sangvinis Christi fluebat, & lythrum nostrum numerabatur. Tamen ad hanc gratiam obtinendam attulit virtutes quales raro reperiuntur. Attulit fidem, confitendo Christum DEUM, & hoc eo tempore quando etiam in discipulis Domini fides deficiebat, Aug. lib. 1. de Anima & ejus origine. *Tunc fides* latronis *de ligno floruit, quando discipulorum emarcuit, illi enim desperaverunt de moriente, hic speravit in commorientem. Verè non invenit Christus tantam fidem in Israël. Imò nec in universo mundo.* Quis nostrûm tunc habuisset fidem quando in discipulis marcebat? at modò clamaret ut libro 1. ad Ecclesiam Salvian. *Quis Domino mente credit & facultate non credit? Quis Domino animam suam mancipat & pecuniam negat? &c. O miseria! O perversitas! homini ab homine creditur & non*

creditur DEO! Humanis promissionibus spes commodatur, DEO negatur &c. Credis Judæo si det tibi syngrapham, & non credis DEO qui dedit Evangelium. *Quod uni ex his minimis fecistis, mihi fecistis. O divites mundi hujus si impetrari à vobis non potest ut esse in hoc sæculo pauperes velitis, præstet saltem sibi quisq; ne in æternitate mendicet* &c. *Quid causæ est, si credit quæ dixit DEUS, non timeat quod minatur DEUS? si non credit verbis quæ dixit DEUS, non credat præmiis quæ promittit DEUS.* Credisné futurum judicium? &c. Laudabat Christum latro quando Christus ab omnibus blasphemabatur, exercuit rebus quando alterum latronem reprehendit. *Et tu non times DEum* &c. Vult DEO socium lucrari, in quo zelum ostendit. Suscepit mortem tanquam de manu DEI, quis minora ita patienter tolerat. Cùm affligimur, DEUM non nostra peccata accusamus. Cypr. ad Demetrianum. *De sterilitate & fame quereris, quasi famem majorem siccitas quàm rapacia faciat: quereris, claudi imbribus cœlum, cùm sic horrea clauduntur in terris. Infirmis nulla exhibetur misericordia, & defunctis avaritia inhiat, fugientes mortuorum funera, appetunt spolia mortuorum, in latronibus est aliqua scelerum verecundia, maria & sylvas petunt: avaritia palam sævit, & ipsâ audaciâ suâ tuta tam præceps quàm impunè peccat.* Imò si nobis aliquid adversi accidat volumus cum DEO contendere veluti judicio quasi id non promeruissemus. Greg. in Psal. Pœnitent. 7. n. 142. *Qui contra Conditoris flagella murmurat quasi cum eo in judicium intrat. DEI namq; accusat judicium qui se æstimat injustè percussum, & quasi cum DEO contendit qui inter flagella se innocentem ostendit. Job 39. Nunquid qui contendit cum DEO tam facilè conquiescit? Utiq; qui arguit DEum debet respondere illi &c. Vel certè cum DEO ille in judicium ingreditur, qui cùm oraverit, murmurat, si non exaudiatur, quibus dicitur Jer. 2. An vultis mecum judicio contendere? quasi enim*

nim judicio contendebant qui dicebant Isai. 58. Quare jejunavimus & non aspexisti? humiliamus animas nostras & nescisti? In quibus est iste zelus qui fuit in hoc latrone? dixit de suis temporibus Isai. 59. *Non est qui invocet justitiam, non est qui judicet verè, sed confidunt in nihilum, & loquuntur vanitatem. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt.* Non est qui invocet justitiam, hoc est. Domini habent suos Advocatos, DEUS non habet cùm tot sint peccata publica, *ova aspidum* &c. sunt venenata, omnes inficiunt alios veneno, contra DEUM, contra Ecclesiam. *Telas araneæ,* &c leges in qoibus hærent muscæ, vultures transeunt, cùm potiùs deberent esse retia piscium, in quibus magni pisces hærent, parvi elabuntur. Agnovit bonus latro se dignè pati. *Digna factis recepimus.* Humiliavit se, cùm in cruce pendenti supplicavit, non ausus petere regnum, solùm dixit, *Memento mei. &c.* Ubi hæc modò virtus? V. g. zelus charitas, viva fides? Disposuit Dominus dare latroni cœlum, sed noluit dare nisi in illo tantis conspectis virtutibus. Hæc est doctrina Origenis in Matth. *Non sic re & facto Christus dedit latroni, ut non attenderet jus, magnumq́ meritum latronis, multa enim fecit bona ut audiret, mecum hodie eris in paradiso.* Sed aliquis fortè promittet sibi se facturum multa bona in sua hora novissima. Sed quis est qui putet hanc horam esse ultimam, esto intellectus illius tunc non fuerit per morbum turbatus, esto nulla adfuerint externa impedimenta &c. quàm difficilè est loqui lingvâ quam aliquis non antea didicit, tam difficilè virtutes exercere in quibus se antea non exercuit. An non erit servilis timor, si metu mortis ad virtutes confugiamus? Greg. Past. part. 3. *Qui propterea bona facit, quia tormentorum malo metuet, vult non esse quod metuat ut audenter illicita committat, unde luce clariùs constat, quòd ante*

DEum

DEum innocentia amittitur ante cujus oculos desiderio peccatur. Cō-prehendit hæc omnia S. Chrysost. hom. de Cruce & Latrone. *Iste latro de ligno mercatur salutem, iste latro furatur cœleste imperium. Videt in tormentis & tanquam in gloria adorat: Videt in Cruce & rogat tanquam in gloria sedentem: videt condemnatum & regem invocat. O admiranda latronis conversio? Nunquid scripturas non legisti, & ab iniquitate non cessas? nunquid Prophetas non audisti, homicidia exerces? nunquid Divinum non audisti sermonem, quando ad cædem gladium acuebas?* &c.

CONCIO L.

Pro Cœna Domini. Prima Concio.

Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13.

IUssit DEUS Ezechielem ut in laterculo describeret Jerusalem, & contra illam erigeret vallum, murum; ordinaret obsidionem. Hoc ipsum facit Christus, qui contra nos bellum suscepit, sed amoris, jam obsidebat beneficiis, & sicut ignita jacula injiciebat, jam se dicebat Pastorem quærentem ovem, jam negotiatorem quærentem margaritam &c. tandem hodie per vim muros rumpit, lavat pedes, se intra corda nostra injicit. *Cùm dilexisset suos &c.* in finem, ad supremum devenit, subsistamus in hujus amoris consideratione.

Jam pridem DEUS sub variis se materialibus exhibebat signis, quia homo nihil potest cognoscere nisi quod per aliquem sensum priùs percipit. DEUS autem sensu percipi non potest. Ostendit se Moysi in rubo ardenti, non est DEUS ignis, videbatur ignis. Similiter Exod. 20. Cùm daret legem apparebat in igne, nec ipse erat ignis. Exod. 29. Apparebat in arca, nec erat ipse arca, adorabat populus DEUM in arca, non autem

autem arcam. Apparavit 3. Reg. 8. in nube, natus deinde dedit se videndum ut homo, nec erat Deitas homo. Denique hodie in forma panis, nec est ipse hic panis, imò nullus est ibi panis, sed solùm panis videtur propter antiqua accidentia, & vocamus panem quia fuit antea panis, ita Joann. 2. Gustavit Architriclinus aquam vinum factam, quia antea fuit aqua. Matth. 21. Publicani & meretrices præcedunt in regnum Dei, qui antea fuerunt tales etsi modò non sint. Neque si hic esset panis. Paulus 1. Cor. 11. qro sumpto illo à peccatore pœnas denuntiaret, nam non solùm panem sed & manna sine periculo talis comedebant mali. In pane ergò se in nos mittit, fuerunt illa jacula in cor nostrum, hìc vis summa, qualem Alexander Magnus adhibuit, dum oppugnaret Tyrum, & dum machinis variis non proficeret, se in civitatem injecit. Cant. 1. *Ordinavit in me charitatem.* Alii legunt. *Posuit in ea vexillum charitatis*, sicut victor cùm ascensis hostiū vallis erigit vexillum. Quis non amabit, cùm ita se videat diligi? Credebam sum̄um fuisse ictum amoris cùm te Domine ad pedes discipulorum, eos lavando, etiam Judæ, projecisti, aliquid ampliùs invenisti. O nos indignos hominum nomine si non redamemus! Homo est quid rationem habens, ratio dictat ut eos amemus qui nos amant, quia & bestiæ id faciunt. At quis nos amat? DEus cujus nec conspectu sumus digni, DEUS respectu cujus Princepes maximi nec sunt tanti ut lutum respectu nostri, & ecce hic DEUS qui non eget nostri, pro cujus amore nihil facimus, *cùm dilexisset suos in finem dilexit eos*. Si nos solùm auro ditaret, amaremus, si nos à morbis eriperet, si nos ad principatus eveheret: sed plus est, dat seipsum, dat secum omnia sua. Quid jam dicemus de eo qui clamat. *Non serviam.* Nolo illius leges, non diligam: qui cum Judæis Luc. 21. *Nolumus hunc regnare super nos*? Quid de illo, qui Hebr. 10. *Filium*

DEI conculcaverit, & saguinem testamenti pollutum duxerit? Si accederet Christus ad lavandos illius pedes, & ipse illum conculcaverit, si in cor ipsius se jacularetur, & ipse pollutum sangvinem ejus duxerit, rejecerit, indignè tractaverit. S. Vinc. Conc. hod. *Judas qui indevotè & malè paratus accepit, æqualiter peccavit malè communicando, & Christum prodendo.* Facit hoc, qui etsi confessus, non verè constituit vitare deinceps peccata gravia, qui non constituit occasionem illorum vitare proximam, qui non habet animum restituendi illis quibus debet, qui non dimisit ex animo inimicis. &c. *Cùm dilexisset suos* &c. Fiunt globi ex metallo concavi farti pyrio, granatas seu bombos vocant, qui ubi conceperunt ignem in partes dissiliunt, ita fit cum Domino, accenditur charitate, deponit vestes, accedit aquam dum lavat discipulorum pedes, in cruce deinde dissiliet per tormenta, sed antequam id fiat, quamdiu est integer, deponit se in discipulis, totum me habete, totum me accipite, & ne hujus amoris obliviscantur, dat se in specie cibi & potûs sine quibus vivere non possunt. *Fregit, deditq́ discipulis.* Quod frangitur non est integrum, paratus sum pto vobis frangi, accipite hunc panem in rei hujus testimonium. Vultis hujus rei magis meminisse, vestri oblivisci non potestis, igitur ut neque mei obliviscamini, miscebo corpus meum corpori vestro, sangvinem meum vestro. Chrysost. hom. 6. ad pop. *Semetipsum nobis miscuit, & corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus.* Proprium verò amantium esse unum. Quis nolit esse unum Christo? Jam antea unum desiderabat esse nobiscum, cùm dixit de discipulis Matth. 28. *Hæc est mater mea, hi sunt Fratres mei.* Lex est amoris majestatem exuere, exuit hodie dum lavat pedes. Jam præbet sangvinem, sicut aliquando aliqui conjurationem potu sangvinis firmârunt Cypr. de Cœna Dom. *Quàm præclarus iste*

calix, per quem cruciharemus, sanguinem sugimus, & intra ipsa Redemptoris vulnera figimus linguam? Isto actu nos planè jugulavit si non amemus. Sapientiæ 9. legimus. *Sapientia imolavit victimas suas.* Christus dedit nobis qui est victima pro nobis, ut nō solùm sit unum nobiscum, sed etiam pro nobis sit victima. Tertull. adu. Gnosticos cap. 7. ita legit. *Sapientia jugulavit filios suos.* Efficimur cum corpore Christi unum, jam monet Chrysost. hom. 24. in 1. Cor. 10. *Quando omnium Domini corpus purum & immaculatum videris, dic tecum, propter hoc corpus, non ampliùs, terra & cinis ego sum.* Agnosce tuam dignitatem, cum Christo es unum, sicut cera liquefacta alteri ceræ infusa, ut ait Cyrill. Sed ut Nyssen. in 6. Joan. *Qui carnem Christi amat jam non est suæ carnis amicus.* Ubi legimus Ps. 110. *Escam dedit timentibus se,* Heb. legit. *Evisceravit se,* Viscera charitatis & bonitatis explicuit. Aliqui corticem solùm charitatis amicis exponunt, Christus ipsa intima, nec enim potest major esse charitas quàm, non jam sua, sed seipsum donare, ut alter donato amico in commodum suum utatur. Et certè si vellemus Christo uti, quæ non bona per illum obtineremus? si in sua potestate pauper haberet Regem, si in sua venam auri, si arborem vitæ quæ erat in paradiso & comesta pellebat mortem. Certè in primitiva Ecclesia fuit ingens Christianorum in fide fervor sed ad hanc sacram mensam quotidie accedebant. Accedamus ut filii prodigi Luc. 15. sed priùs siliquæ porcorum sunt relinquendæ, priùs pacis recipiendum osculum, priùs stola candida assumenda, priùs annulus sumendus, Pater amplexandus, priùs denique etsi totus fueris lotus, cum Petro lavandi pedes. De ignotis nobis peccatis sollicitudo habenda non est, nam hic cibus illa consumet. Alioqui, si nobis conscii peccati gravis non expiati accesserimus, judicium manducabimds. Audi enim serm. de lapsis. *Dùm indignè sumitur,*

mitur, vis infertur corpori & ſangvini, & ore ac manibus in Dominum delinquitur. Audi Ambr. in 10. Hebr. *Hoc ſacrilegii peccato conculcatur corpus Domini.* Audi S. Chryſoſt. homil. 83. in Matth. *Indignaris contra eos qui ipſum crucifixerunt, conſidera ne tu quoq; ſis reus corporis & ſangvinis Domini.* Audi Aug. ſerm. de Euchariſt. *Magis peccant qui tradunt Chriſtum peccatoribus membris, quàm qui tradiderunt eum crucifixoribus.* Expendens illa verba 1. Cor. 11. Pacianus Epiſc. Barcinonen. *Ideò inter vos infirmi, & dormiunt multi.* Sic fatur. *Intellige hinc quantùm ſceleris admittat, qui ad altare venit indignus, cui remedio computatur, cùm aut morbis laborat, aut morte diſſolvitur.* Legimus apud S. Cypr. ſerm. de lapſis, cùm unus exiſtens in peccato ſumeret Euchariſtiam, in cinerem eſſe verſam, alteri verſam eſſe in ignem. Figuræ ſolùm fuerunt hujus Sacramenti placétæ, & ecce in quanto honore. Refert Turrianus de Euch. cap. 30. Judæos in expiatione Jeruſalem duas placentas quas ſequebantur Sacerdotes Pſalmos Davidis canendo inter tubarum clangores, popul⁹ verò laudes & gratias DEO reddebat donec in templum inferrentur. Idipſum eſt Eſdræ c. 12. *Statuit duos choros laudantium magnos.* Hebr. lectio, *duas placentas magnas.* Quanto nos cultu rem ipſam in templum pectoris noſtri inferre debemus! Gloſſa in l. c. *Per hanc oblationem ſignificatur oblatio Euchariſtiæ, quæ duo ſacrificia, cruentum ſcilicet in cruce, & incruentum in altari comprehendit.*

CONCIO LI.

Pro Cœna Domini, Altera Concio.

Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Joan. 13.

COmmuniter amorem comparant igni. Rationem dat S. Dionyſ. *Amor habet virtutem transformativam, vellet*

ſe in

se in rem amatam transformare, & ideò igni confertur, qui omnia in se vertit. Habet etiam hoc ignis, ut quo est in densiore subjecto, sit ipse vehementior, unde durioris ligni magis urit ignis. Ita, in nobis est amor, velut ignis in stramine, in DEO velut in auro candente, videamus vim illius.

Cùm dilexisset suos in finem dilexit eos. Ut ostenderet quanto erga nos arderet amore t. Advocavit mortem ut in suorum gratiam moreretur. Abac. 3. *Cornua in manibus suis.* Omnes, per hæc cornua, intelligunt crucis brachia. Sed quomodo hæc in manibus, si manus illis affixæ? sunt in manibus, quia *potestatem habet animam suam ponendi.* Sed neque id priùs, quàm arte mirabili se vivum apud suos deposuerit. Magna hæc sunt, sed scitis quando facta? respondet 1. Cor. 11. *Dominus JEsus in qua nocte tradebatur accepit panem &c. Botrus Cyprii dilectus meus.* Alii legunt, *Racemus Cephar seu Camphoris.* Camphora ardet in aqua. Quid si adhuc sibi complaceat, glorietur? Isai. 46. *Dabo in Sion salutem, & in Jerusalem gloriam meam.* Quæ in Jerusalem gloria Christi? mori, ita explicat S. Cyrill. Et ut hanc gloriam faceret sibi apud nos perpetuam instituit Sacramentum sub speciebus panis & vini, ut quoties in manus sumimus panem, toties in mentem veniat Sacramentum, & quoties hoc venit, toties gloria ejus in Jerusalem, hoc est mori. Nam Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Sed adhuc ampliùs facit, nos in se transformat, & ut hoc efficiat, mutat nos in se, & ideò se in cibum vivum, nam nos in nos mortuos cibos vertimus. Joan. 6. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Et quia horror esset comedere carnem, eam sub panis specie abscondit Joan. 6. *Verba quæ ego locutus sum* (de hoc pane) *Spiritus & vita sunt. Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest.* quidquam Spiritualiter verba mea intelligite: sicut in vobis anima vera est & vos vivificat, sine illa se corpus non moveret, &

vobis nihil prodesset: quia tamen vestra anima est spiritus, nullo sensu attingitur, ita meum corpus sub specie panis verè erit. Sed nullus sensus illud tanget. Aug. in Ps. 98. *Spiritualiter intelligite quæ locutus sum, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum sangvinem quem effusuri sunt qui me crucifigent.* Hoc est ut explicat S. Augustinum S.Th.in 4. dist. 9. q. 2. a. 1. *Non intendit veritatem corporis negare.* S. Augußt. *Sed tantùm quod non sub propria specie, sed sub aliena, esset manducandus, non ut bubula caro sed ut Divina quæ in Sacramento occultatur.* Species panis frangimus sed carnem Christi dentes non frangunt, quia ut spiritus ibi est, sicut dum caro nostra vulneratur non vulneratur anima. 2. Cor. 11. *Captivantes intellectum in obsequium fidei.* Instituunt hic bellum contra fidem nostri sensus Duce intellectu: Sed sensus veluti gregarii milites occidantur, Dux eorum intellectus captivetur. Nam videmus, non tangimus Christi corpus, neque animam nostram tangimus, & tamen est, non sit pro sensibus intellectus, sed teneatur, captivus sit, Fidei serviat. Christus dixit, *Hoc eſt corpus meum.* Itaque est corpus, si est corpus vivens, itaque est & anima, licet hoc Christus expreſsè non dixerit. Si est anima sub specie panis, etiam sangvis est, neque enim sine sangvine potest esse corpus vivens. Atq; ita totus Christus est sub specie panis, & totus sub specie vini, & totum Christum sumit Sacerdos, totum laicus. Hoc corpus nostræ animæ & cibus est & medicina. Utuntur hâc arte Parentes, aliquando infirmatur, infans, medicinam non reciperet, dant medicinam nutrici, hâc medicina lac imbuitur: lactatur infans & sic medicinam sumit cum lacte. Ita Christus suum corpus sub specie panis abscondit ut medicina sub lacte, & nos sanat Oseæ 2. Describit animam, quæ lamentatur se fame perire in domo DEI. Et tandem DEus. *Ego, ego lactabo eam & loquar ad cor ejus.*

LXX. legunt lactabo, *seducam*. Sicut infans seducitur cùm in lacte modo dicto sumit medicinam. Cant. *Ordinavit in me charitatem* Hebr. legit. *Erexit in me vexillum amoris*. Dum urbe captâ victor erigit vexillum cives debent arma deponere. Erigit Christus vexillum amoris dum Sacramentum instituit. *Cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos*. Deponant arma sensus.

Ampliùs procedit Christus, quia etiam gratias agit, quando facit hæc pro nobis. *Desiderio desideravit* hanc horam, venit hora, gratias agit. Quid nos vicissim huic amori? mutat nos in se ut ab ipso non possimus dignosci, sicuti si *duæ ceræ liquefactæ secum misceantur* ut Cyrill. Alex. lib. 10. in Joan. scripsit. Donat nobis sua merita Alb. M. de offic. Missæ part. 2. cap. 3. *Quando quis dignè communicat, fit particeps bonorum omnium quæ Christus operatus est*. Dat se in *pignus futuræ gloriæ*. Et adhuc gratias agit.

CONCIO LII.

Pro Parasceves Feria Sexta, Prima Concio.

Si non esset hic malefactor non tibi tradissemus eum.

ORabat I. Reg. 15. Saul Samuelem. *Porta quæso peccatum meum*. Non portavit Samuel, Christus in se omnium peccata suscepit, & pro illis pœnitentiam agit. Homo peccator dum pœnitet ad se redit, Christus à se recedit Isai. 53. *Quasi absconditus factus est vultus ejus, & forma ejus ingloria inter filios hominum*. Quærit Aug. in lib. 50. homil. Quid est homo pœnitens? & respondet. *Iratus sibi*. Quia ut per peccatum à DEO & seipso recesserat, ita per pœnitentiam dum se accedit & se turpem videt, non potest non irasci sibi. Christus è contra in pœnis placet sibi. Videamus hanc ejus pœnitentiam pro nobis.

Observatum est quoties DEUS à se dicitur exire, vel quasi foras prodire, jam de mundo malè agi. Mich. 1. *Ecce egredietur Dominus de loco suo, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis.* Hieron. in hunc locum. *DEUS de loco suo recedit cùm oblitus misericordiæ castigat & punit peccatores.* Sicut Pater jam quiescens, excitatus insolentiâ filiorum, dum se è lecto proripit. Videbat DEUS & audiebat Sodomitarum peccata Gen. 13. Sed quasi dormiebat, sed ubi Gen. 18. Clamor factus magnus. *Descendam & videbo, utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint.* Et misit sulfur & ignem in Sodomam. Hic verò abit à te DEUS, & videtur quidpiam horridum nobis imminere sicut si de cœlo ignis descenderet, cùm dicitur. *Nisi hic malefactor esset.* Sed illi soli hoc malum ingruit Isai. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus. Et Salvator velut lampas accendatur.* Lampas non in malum domûs accenditur, dissipat tenebras, recreat oculos, adjuvat labores. Erit tamen hic recessus DEI sive descensus ominosus, scindatur vallis pulcherrima, consumetur unus mons eminentissimus: lampas nobis serviet sed ipsa consumetur. Dicetur Isai. 53. *Vidimus eum & non erat ei aspectus.*

Fuit formosissimus Christus. *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Viderat, qui hoc dixit, David Jonathan. 2. Reg. 10. *Decorum nimis.* Viderat Absolonem cujus capilli vendebantur ad pondus. Viderat Adoniam cujus desiderabatur aspectus, ambo erant sui filii. *Speciosus præ filiis hominum* Christus, ipse Ethnicus Lentulus ita illum describit ad Tiberium Cæsarem ut aspectu & facie suâ corda raperet omnium. Speciosissimum agnoscunt S. Th. Hieron. Chrysost. Ambr. & ratio est. *Quia perfectissimæ animæ perfectissimum debebatur corpus.* Tam pretiosa gemma vili metallo

non debuit includi. Et ecce. *Nisi hic malefactor esset.* Isai. 53. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum, langvores nostros ipse tulit, dolores nostros ipse portavit.* vel ut 1. Pet. 2. *Peccata nostra ipse pertulit.* Vel ut horridiùs Paulus 2. Cor. 5. *Pro nobis factus est peccatum.* Gal. 3. *Pro nobis factus est maledictum.* Totus plagis concisus, totus livor, & vulnus, &c. Hieron. in Isai. 53. *Quod pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus.* Ille est victima in quam omnia deponebantur vituperia, quæ debebantur populo, & quanta non debebatur nobis? nobis homicidis, &c. Dat aliquando amator suam imaginem amatæ, quid si depingatur veluti amore ejus langvens? quidsi ipsemet illam depingat? diceris quod iste nimis amet. Chrysost. hom. 22. ad pop. *Non sic insanus amator dilectam suam amat, ut DEUS animam.* Donat sui imaginem, quomodo illum depinxit Synagoga. *Nisi hic malefactor esset.* Poterat se depingere vel cum Regibus ad suos pedes jacentibus, vel in monte Thabor, vel faciens miracula, vel imperans ventis, vel super aquas ambulans, vel infernum in catena ducens. Non ista pinxit pro eo discipulus quem diligebat, *Nisi hic malefactor esset*, atque, *Non erat illi aspectus.* Hæc est gloria ejus pati pro nobis. Gloria fortium vicisse hostes, leones, ursos. FZelinus gloriabatur quia unâ die duodecem occidit millia, viginti millia Lucullus, Sylla 24. millia, Mithridates Romanorum 70. millia, Noster Redemptor, quia pro millibus millium unâ die pœnitentiam agit & tot in vita servat, hoc denotat imago. *Nisi hic malefactor esset.* Numerate quot hic sunt inflicta vulnera. hic nemo potest exaggerare, explicare conati sunt Prophetæ hanc imaginem. *Intraverunt aquæ usq; ad animam meam, veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Ps. 68. quomodo si ipsa anima vulneribus conficeretur Ps. 41. *Fluctus tui super me transierunt.* Thren. *Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi,*

perii. Et supra omnes Jonas. *Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt, circumdederunt me aquæ usq; ad animam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* In aliis hominibus dolores sicut fluvioli, fluvii, in Christum confluxerunt ut in mare, & tamen ipse Christus hos dolores vocat baptisma, sive lavacrum. *Baptismo habeo baptisari, & quomodo coarctor donec veniat?* Vocat calicem, *Potestis bibere calicem quem ego biturus sum. Calix quem mihi dedit Pater non vis ut bibam illum?* acsi illud mare dolorum non esset nisi poculum unius haustûs. Hic, si doleretis videndo Isaacum sub cultro, magis condolete hic; si Paulum decollari, si aliquem Martyrem raptari, plus hîc est. Ita à se exiit.

Quid est pœnitens? *Iratus sibi.* Ita Publicanus velut iratus sibi, *percutiebat pectus.* Iram malam bonâ irâ compensat. Describit Job 15. Eliphaz peccatorem. *Tetendit adversus manum suam, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Bellum agit contra DEum. Hunc ubi pœnitet, vertit hanc contra se iram, inde Ps. 37. *In flagella paratus sum.* Flagellabo me, annue DEUS, nutum expecto. *Et dolor meus in cōspectu meo semper.* Dolor meus, video quæ sum merit⁹. Ecce De⁹ & prim⁹ hominū, malefactor iratus sibi, in catenis, flagris. Micheæ 7. *Irā Domini, portabo, quia peccavi ei, donec causam meā judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ej⁹.* Iram Patris pro nobis portat. Iram DEI olim qui portabant, caid est, pœnitentiam agebant, sacco induebantur, cinerem capici & pani aspergebant, fune cingebant collum, caput & barbā radebāt in pulvere volutabantur, super cinerē jacebāt, aquam fundebant ex vase & lacrymas ex oculis. Apud Hebræos verò insuper jejunabant, caput intra genua condendo se instar circuli contorquebant, clamoribus DEum invocabant. In primitiva Ecclesia, ut patet ex Concil. Toletano tertio cap. 11. Pœnitentes diversum gestabant habitum, cinerem capiti aspergebant,

gebant, sordes fuerunt toto corpore, caput detonsum, barba rasa. Agathense Concil. c. 9. refert. Publicè pœnitentes initio quadragesimæ debebant ante fores templi comparere Episcopo, sacco induti, nudis pedibus, vultu dejecto, se proclamantes reos. Tum ad Ecclesiam inducebantur, & Psalmi pœnitentiales super illos decantabantur, manus super illos imponebantur, aqua benedicta spargebatur, cilicium capiti imponebatur, ac demum dicebatur, sicut Adam de paradiso ejectus est, ita vos de Ecclesia abjiciemini, atque ita pellebantur de templo. Quid noster Dominus de hac pœnitentia omisit? imò quid non addidit?

Ecce quò res devenit? tradidit se manibus hominum ut eum pro peccatis hominum castigarent, & id exsecuti sunt usque ad mortem crudelissimam. Hæc merces laborum tuorum Domine quos pro hominibus suscepisti, spinæ, flagella, crux? occidimus non sacerdotem, sed summum Pontificem, non Regem sed Regem Regum, non Patrem sed DEUM invitavimus ad nos. *Utinam disrumperes cœlos*, &c. Et ecce, *Si hic malefactor non esset*? Proferte malefacta, mortuos excitavit, ægros sanavit, viam cœli aperuit; hæc ejus malefacta. Et tamen, *Nos habemus legem & secundùm legem debet mori.* Secundùm quam DEUS moritur? Invitavimus ut Absolon fratrem Amon, sed ut occideretur. Osculati sumus ut Joab Amasam & in latere pugionem defiximus. *Debet mori.* Mirantur multi quomodo Christus tamdiu vivere potuerit & non fuerit consumptus dolore, videbat & quidem clarissimè jam à sua conceptione quæ passurus erat. *Dolor meus in conspectu meo semper.* Audiebat continuò clamores, *si hic malefrctor non esset* &c. Audiebat *debet mori.* Ansel. *Quia Deus fuit, omnia quæ pati debuit præscivit*, & clarissimè, ut Deus. 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest DEus, si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* Num Angeli? at isti scelus detestantur. *Quis orabit?* Ipsemet

qui à nobis occidtur. O amor! ô corda nostra saxea si saltem compatiantur & facto à se sceleri non indoleant! Levi. 23. *Offeratis holocaustum* expiationis, *omnis anima quæ afflicta non fuerit, peribit de populo.* Etiam pro hoc peccato ipse præbet se victimam, & videte qualem.

Certum est, quò est perfectiùs alicujus corpus, perfectiores etiam sensus, ac præcipuè tactus qui est toto corpore diffusus. Nullius corpus ita perfectum atque Christi, quia Spiritus S. operâ fabricatum, DEI verò perfectum est opus: & quidem de purissimo Virginis sangvine, itaque percipiebat quæ alii non sentiunt & quidem acerrimè, unde si alteri flagellum grave est, tali corpori gravissimum. Jam verò si tali corpori atrocia inferantur, quis deniq; dolor? Ps. 53. *Fortes quæsierunt animam.* Fortes carnifices, fortes spinæ, clavi, &c. *quæsierunt*, sicut captâ civitate diligentissimè Rex latens quæritur. *quæsierunt animam* in carne, venis, ossibus, per omnia membra. Unde Isai. 1. *A planta pedis ad verticem non est sanitas in eo.* Quo anima nobilior magis intelligit suos contemptus. & ecce. *Vermis non homo abjectio populi,* Calumniis obrutus. *Si non esset hic malefactor.* Pedibus obtritus ut vermis. *Effusus est ut aqua.* Dum oleum effunditur manet aliquid, dum vinum manet saltem odor. Hic nihil relictum de honore, sanitate &c. *ut aqua.* Nihil mansit. Qui expertus bona, graviùs tolerat mala. Expertus Dominus felicitatem cœlestem, quia in terra magis videbat & fruebatur DEO quam ullus sanctus in cœlo. Accessit dignitas; adorabant Reges, Angeli, accessit summa innocentia hæc omnia dolorem augebant. Insuper pœna fuit non circumscripta, cui placuit illudere, conspuere, percutere &c. facit. Traditus fuit Job Satanæ sed circumscripto, hic nulli positi limites. *Hæc est hora & potestas tenebrarum. Tradetur filius hominis in manus peccatorum* ad libitum ad voluntatem,

tem, omnibus, unde omnes in eum, omnis status conspirat, ut Ps. 2. dixerit. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Ab omnibus desertus Ps. 141. *Considerabam ad dexteram.* Numerat; nemo adjuvans, nemo protegens, nemo consolator. *Et videbam, & non erat qui cognosceret.* Omni dolo contra Christum usi ps. 93. *Captabant in animam justi.* Ex mera malitia Matth. 27. *Sciebat enim Pilatus quod per invidiam tradidissent eum.* Provocabat nos Ecclesia ad pœnitendum variis modis per quadragesimam. Primâ Dominicâ ad jejunandum exemplo Christi. Secundâ ostenso præmio in transfiguratione. Tertiâ, pœnâ atroci peccatoris, quod in eum dæmon, si ille redit ad peccata, cum septem nequioribus redeat. Quartâ, Beneficiis DEI. Sextâ Aliquibus quæ pro nobis Christus passus. Hodie denique acsi diceret, non prosunt vobis exempla, non beneficia &c. saltem videte pœnitentem, ante vos, quasi corpus Christi conscissum ante nos projiceret, sangvinem funderet. Hâc istâ patientiâ scissæ sunt portæ, monumenta aperta saltem id vos permoveat. Sed veniamus ad ordinem pœnitentiæ Christi, & videamus si non veluti sibi iratus illam peregerit.

Inprimis vendidit nos Adam pro pomo velut ignarus quid valeremus, vendidit hostis, vendidit Judas. Conquire mater sancta nummos, repone pretium. Vendit quasi rem vilissimam. *Quid mihi dabitis?* quasi diceret, quod vultis dare, O Juda, vende DEO Patri, plus dabit, sed non emet Pater. *Sic DEUS dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret.* Jam venditus vadit trans torrentem Cedron. Hic est torrens 2. Paral. 30. in quem projecta sunt omnia in quibus adolebatur incensum idolis, Hic est torrens 2. Paral. 30. in quem *omnem immunditiam quam repererunt in domo Domini* injecerunt. Transi torrentem hunc Domine, in te hæc peccata, ut pro illis luas.

lis suas. Heu quantus pudor erit coram cœlo in his comparere! præ pudore sunt quidam mortui, sed mox & tu sangvinem sudabis. Redimes populum captivum & ille te contemnet, videbis quàm paucis hæc tua proderit pœnitentia! Ingreditur hortum, & ecce nomine Patris accedit Angelus. Vel tu bibe hunc calicem iræ Domini, vel illum effundam in terram. Procidit in terram veluti Mater filium complectendo & pro illo se percutienti exponendo. O si liceret hunc calicem inspicere, vidissemus quisque nostra peccata & pœnas illis paratas! Vidit in calice Christus tunc impudicitiam, furta, &c. Projicit se in terram ut abhinc nonnisi eo calcato peccare possis. Tunc veluti epoto calice factus est. *Ecce Adam tanquam unus ex nobis.* Jam Pater incipit percutere, lue quod in te suscepisti. At ille ad nos versus, *Attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus*, dolor quem mihi inflixisti. *Cæpit pavere tædere*, sangvinem sudare velut olla igne circumdata ebullit. Procidit in terram velut iratus sibi, velut Publicanus non ausus in cœlum attollere oculos, sicut mulier in adulterio deprehensa, pudet illum alienorum scelerum, Ps. 41. *Totâ die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Ruit ante Paternos pedes instar filii prodigi. Orat Patrem ne puniat terram. Parâsti Pater contra terram flagella, in me verte, *Ego in flagella paratus sum.* Quid agis Angele saltem tu consolare, ut es consolatus pueros in fornace Babylonica, ut Danielem in lacu Leonum, ut Eliam in deserto. Sed ecce. Calicem monstrat, confortat ad bibendum. Sed jam *Exurge Domine in requiem tuam.* Illa erit in manibus armatorum, quorum jam ignes conspiciuntur, & quidem ductore discipulo. Ad hocné in tua schola illum fovisti, ad Apostolatum promovisti? benè est, sed tradit, osculatur ut scorpius, turmæ accedunt; ad hæc Dominus. Ego sum non putate me aliquem pictum DEUM. Ego sum qui judico. Ego &c.

Ad

Ad nos verba hæc vertamus cùm nos peccatum sollicitat. Aspicit DEUS & dicit, *Ego sum*, qui specto, &c. Tum irruit turba, & impletur, Ps. 21. *Circumdederunt me canes multi, tauri pingves* petulantes *obsederunt me*, placari non possunt, invadunt canes ut feram, jactant cornu tauri deinde Ps. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.*

Ducitur inde ad Judices Annam, & Caipham fortasse melior causa erit. Sacerdotes hi nôrunt legem Dei &c. Thren. 3. *Quasi signum ad sagittam posuit me*, in quod varii jaculantur certando quis meliùs tanget metam. Ibi effusæ lingvarum sagittæ, ibi calumniæ, sputa. Ibi Thren. 2. *Opprobriis saturabitur.* Ibi Petrus abnegat. Ibi alapa infligitur. S. Chrysost. *Ab illa manu quam fecit, accipit alapam.* Quid hic agis Domine? pro vindicativis ago pœnitentiam. In domo cujus id fit? in domo Sacerdotis. 3. Reg. 13. Voluit Jeroboam Prophetæ alapam infligere, statim illi manus *exaruit*. Oza tetigit arcam, & juxta illam mortuus est. *Non est dolor sicut dolor meus.* Iratus est sibi noster pœnitens: prohibet ne quis illum tueatur. Jam ducitur ad forum sæculare, & quidem ad Pilatum. Quærit hic, *quid fecisti?* quære cæcos, claudos, &c. *Quid fecisti?* Cœlum, terram, &c. *Quid fecisti?* Veni ut salvem animas, non invideo Regibus in regno temporali. *Meum regnum non est de hoc mundo*: Quid fecisti? ago pro hominibus pœnitentiam, & ago velut mihi iratus. Solùm peccare non possum, omnia alia feci, Sed quid secutum inde? flagellari jussit. Detrahuntur vestes. *DEUS tu scis confusionem & reverentiam meam.* Hic vellem contraria, videre & non videre; non videre nuditatem, videre vulnera, Intellecto enim Judæi, quòd Pilatus vellet contentus esse flagris Christi, pecuniis corruperunt milites ut flagellando occiderent. O quæ ibi sævitia! Hieron. ait, duos cum virgis; duos cum loris, duos cum catenis ferreis sæviisse. O si daretur te Domine tegere. Felicior ille Luc 10. *Qui descendebat*

ſcendebat ab Jericho. Eò res deducta ut militum unus timore Pilati motus, reciderit funes quibus Dominus columnæ fuit alligatus, ne moreretur; ut eſt in Revel. S. Brig. Non permittunt nihilominùs veſtes reſumere Dominum, ut oſtendant Judæis milites quid in eo egerint. Et primò cohorti toti, id eſt 300, vel 555. viris producunt ad ſpectaculum. Addunt Coronam, de ſpinis ad ludibrium & dolorem, quaſi ipſe quæſiviſſet regnum, ſubintrârunt caput 72. ſpinæ, & tunc impletum Cant. 7. *Comæ Capitis Tui ſicut purpura Regis juncta canalibus.* Rubebāt capilli inſtar purpuræ, fluebat quaſi per canales ſangvis. Parum fuit ſpectaculum militum, ſic oſtenditur è loco ſuperiore populo, *Ecce homo.* Ad quem iſte homo ſpectat? Ad eremitas, eſt in ſpinis, ad Reges eſt in corona, ad pauperes eſt nudus, Ad nos? ad nos. Iſai. 52. *Attendite ad Abraham,* videte de qua ſimus exciſi petra. *Ecce homo,* niſi hoc additum fuiſſet, non ſciviſſemus, an eſſet homo, an fruſtum concreti ſangvinis, an ſtatua quæ ſigna doloris non edit. Ecce homo, vide homo, quam pœnitentiam pro te hic agat homo qui nunquam peccavit.

Dum vident adhuc viventem Judæi, clamant, *Crucifige.* Fertur crucis ſententia. Tum ut S. Leo. *In execrationem Judaici facinoris unam protulerunt elementa omnia ſententiam.* Sed ex illa à quatuor Judicibus damnatus, Anna, Caipha, Herode, Pilato. Luc. 23. *Tradidit eum* Pilatus *voluntati eorum.* Agnum lupis, canibus. Matth. 27. *Tunc ſuſceperunt JEſum & poſtquam illuſerunt ei &c.* Ducunt ad crucifigendum. Sap. *Morte peſſimâ condemnemus eum.* Et alibi ſcriptum. *Maledictus qui pendet in ligno.* damnatus, excommunicatus. S. Leo. *Crucifixi nomen non niſi cum maledicto memorabatur.* Tu Domine tot liberâſti à morte, & ipſe damnaris. *Ecce templum DEI profanatur.* 3. Reg. 6. Cùm templum extrueretur non audiebatur malleus aut ſecuris, hic utrumque auditur. Moritur Chriſtus, & jam, Thren. 2. *Occidit omne*

dit omne quod pulchrum fuit visu in tabernaculo filiæ Sion, effudit quasi ignem indignationem suam. Quid hîc B. Virgo? 1. Reg. 1. Heli auditâ morte filiorum, & ipse mortuus. Certè Ruth 1. *Non vocate me Noëmi.* Quid qui amâstis Christum? *Inebriavit me absynthio, replevit me amaritudinibus.* Thren. 3. Memorabant Judæi quòd de ligno Adam peccâsset, hujus maledictionem dicebant redundare in eum qui pendet in ligno. Pendet noster Dominus, pendet pœnitens iratus sibi.

Lex fuit Num. 25. Ut homicida ad mortem summi Sacerdotis maneret in civitate refugii. Ecce moritur hic Sacerdos illum occidimus, curramus, deprecemur. Simul cogitemus quid agamus peccatores dum peccamus, si ille tantam pro nobis egit pœnitentiam.

CONCIO LIII.

Pro Feria 6. in Parasceve, Secunda Concio.

Crucifixerunt eum.

Ecce prodit novus Adam sed ut in primo omnes peccârunt, ita in hoc omnes redimũtur: ex illo omne gen⁹ hominũ ad miseriam procesſit, ex hoc omnes Sancti ad beatitudinem: ille pugnavit contra Deum in ligno, iste placavit Deum in ligno: ex latere illius dormientis prodiit Eva, ex latere hujus mortui transfixo procesſit Ecclesia: ille postquam peccavit profugit ad ficum, iste postquam nostra in se recepit peccata, ivit in hortum olivàrum; illo peccante Cherub. cum gladio comparuit, isto orante Angelus cum calice: ille inductus in paradisum, hic in Ierusalem. Ecce novus Abel cujus sangvis non jam clamat vindictam, sed gratiam. Abel à fratribus occiditur. Offert sacrificium DEO placens. Ecce Samson qui duas columnas, duo ligna crucis apprehendit ut hostes deleat: qui &

leonis infernalis faucibꝰ mel extrahit:qui caudas colligat vulpiũ id est,Pharisæorum fraudes: cui velantur oculi atq; cæco. Ecce Isaac defert ligna holocausti: Ecce Moyses exaltat in deserto serpentẽ: apparet illi Deus in rubo accenso furoris Judaici: educit populum per mare rubrum sui sagvinis: pugnante Josue cum Amalec extendit manus: moritur jubente Deo. Ecce Noë qui facit quiescere Parentes suos à laboribus: cujus sacrificium DEUS odoratur: qui in ligno genus humanum salvat: qui columbam emittit.Ecce Job qui c. 16. dicit. *Concidit me vulnere super vulnus.* Qui dicit, *abstulit diadema de capite meo.* In quo verificatum cap. 19. *Venerunt super me latrones & obsederunt me in gyro.* Cujus *halitum exhorruit uxor* scilicet Synagoga, qui orat: *Fiat voluntas tua. Si bona suscepimus de manu DEI cur non mala?* In Job fuit data potestas dæmoni, hic dedit in se potestatem. *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.* Iste Job projectus in sterquilinium. Iste, cui est insultatum. Ecce Jonas in profundum abjectus. Iste supra quem sors cecidit & Barabbas dimittitur. Ecce David qui vincit Goliathum, qui ut stultus à Rege Achis, scilicet Herode rejectus, à quo profugit Achitophel, nempe Judas quando contra illum insurrexit filius qui princeps latronum. Ecce Joseph, qui reliquit pallium suum in manu adulteræ, scilicet corpus in manu synagogæ, qui venditus à Fratribus, qui calumnias passus, qui à manipulis adoratus, cujus virgæ fastigium adoramus, qui non ultus injuriam &c. Sed quid tandem secutum? *Crucifixerunt eum.* Quis ad hoc apparatus tam à parte illius quam inimicorum, videamus.

Apparat se ipse Christus cum ea lætitia quâ vix unquam hactenus usus. Canit enim. *Hymno dicto exierunt*, seu ut Græcus legit, *cùm cecinissent Hymnum DEO.* Juvencus Poëta, *Exit cantato*

cantato sanctis concentibus hymno. Ita progressus ad torrentem Cedron. Observat Hieron. in Micheæ 1. quoties DEUS dicitur in scriptura egredi, toties aliquod malum portendi. Ita enim Mich. l. c. *Egredietur Dominus de loco suo, & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur sicut cera à facie ignis.* Timeo Domine ne de tuo egressu sit hoc dictum. Conculcabunt te, consument te, omnes tuas perfectiones proferent ut montes, corpus innocens ut vallis aratro scindetur. Ps. 21. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Ipse torrens Cedron Jer. 31. *Vallis cadaverum & cineris regio mortis, & portæ equorum vicina.* Frater Joannis Ducis populi primus hunc torrentem transiit, & retulit vulnera 1. Machab. 16. In hoc torrente Asa 3. Reg. 15. Priapi simulachrum exustum mersit: in hoc Josias 4. Reg. 23. vasa Baal, in cinerem exusta sparsit. In hoc Ezechias 1. Paralip. 30. Altaria idolorum disjecit. Hunc David 2. Reg. 15. ut evaderet Absalonem, nudipes, plorans, capite operto, transiit. Et hunc Domine transgrederis, & quidem hymno dicto! Judas Machabæus 1. Mach. 16. Hunc torrentem transivit, & secutus eum exercitus, & te sequetur exercitus, sed latronum & dolorum. Jam Dominus hunc ingreditur & facit apparatum orationis, sequamur, nostra res agitur sed nostræ orationis potest esse imago illud animal quod Daniel cap. 7. vidit, nimirum leænam alatam grandem de mari ascendere, incipimus ut leænæ alatæ. Sed mox *avulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit.* Videamus exemplar orandi, procidit in faciem, per tres horas oravit, & quidẽ *non mea sed tua fiat voluntas* Et factus in agonia, hoc est lucta; ut Lyran, Hugo &c. quæ lucta? si filius raperetur à lupo, inclamaretq; opem Patris, & Pater, non defendam, opus est ut patiaris. Quæ lucta? Jonæ 2. Vide supra Jonam cadere, sortem & jam eum

in pelag⁹ dejici. *ergo abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum, circumdabunt me aquæ usq; ad animam, pelagus operiet caput meum, ad montium extrema deſcendam.* Sed quid hoc? Angelus confortat & Chriſtus ſangvinem ſudat, antequam veniat tortor ipſe, effundit ſangvinem. Refert Boſquier de Paſſione Domini in hoc loco in quo ſudavit, enatas fuiſſe plantas, in quarum foliis legebatur. *O mors quàm amara eſt memoria tui?* S. Tho. 3. p. q. 12. a. 4. ſcribit hunc ſudorem ab Angelo abſterſum. Hujus aquæ Angelicæ memor eſto homo dum ſudas in anguſtiis. Peccata noſtra hunc ſangvinem elicuerunt. Hæc ſunt ille ſerpens Africanus qui dum hominem mordet, non deſinit homo ſudare ſangvinem donec moriatur. Sentit Judam adventare, hic noſter unicornis, ſudat veluti præſente veneno. S. Hilar. de Angelo confortante, *Conſolabatur eum ad miram fortitudinem Domini ſui.* Sed quæ hæc fortitudo? Greg. Nazianz. *Mirabili fortitudine prædonum ſatellitum violentiam antevertit.* Dum ultro fundit ſangvinem, dum dicit *Ego ſum.* Pater cœleſtis vide quid agatur cum Filio tuo. Hic apparatus Chriſti ad crucem, videamus quis crucifigentium fuerit.

Incipit hunc apparatum Iſcarioth, & accepto milite, ut Cyrill. l. 2. in Joann. cap. 32. dum ſe adhuc in cœnaculo ſperat reperturum Dominum, à qua è cæna digreſſus fuerat, perſcrutatur; nec ibi eo reperto vadit in montem Olivarum, in quo ſciebat ſolere Dominum orare. Militibus fuerunt adjuncti Principes Sacerdotum, magiſtratus templi, ut patet ex Luc. 22. Major verò pars Sacerdotum apud Caipham expectabat. Caiphas idem eſt quod inveſtigator ſive venator, ita Rabanus Pſalmus 21. quem in cruce Chriſtus recitavit, inſcribitur pro cerva matutina, ſive pro cerva auroræ. Venatus hanc cervam Caiphas, immiſit canes, Iſcarioth ab oſculo invaſionem incipit. Gloſſa in 26. Matth. Apoſtoli cæteri qui manſerant in villa

Gethſe-

Gethſemani audito tumultu cucurrerunt in hortum, & in clivo latuerunt ut viderent rei exitum, qui deinde etiam fugerunt. Ligatur interim Dominus. Quid agitis Angeli? proceſſerat Num. 22. Balaam ut malediceret populum, & cohibuiſtis! Arcam irreverenter tetigit Oza Sacerdos 2. Reg. 6. Et puniviſtis! hic ſiletis. Non jam hic Joſephus ligatur, non arca DEI capitur à Philiſtæis, ſed & Joſeph evaſit, & arca reducta cum honore 1. Reg. 6. Videt S. Franciſca vitæ lib. 3. c. 10. Chriſtum in cœlo de cujus vulneribus catena in terram deſcendebat. Hâc nos in cœlum trahit quâ ligatur.

Alter apparatus contumeliarum, adductus ad Caipham examinatus, alapâ cæditur. Licet ſervulo in Chriſtum præſente Caiphâ quod non liceret in viliſſimum reum. Condemnatur ab omnibus. *Reus eſt mortis*. Tum verò omnibus contumeliis data eſt licentia, conſpuitur, velantur oculi, verberatur. Petrus negat, tota nox in blaſphemiis conſumitur, & manè ad Pilatum remittitur. Hic advertit innocentiam, & primò velut robuſta navis ſuſtinet fluctus, tandem ſuccumbit. Remittit ad Herodem, non ſucceſſit artificium. *Tunc ergò apprehendit Pilatus JEſum*. Unde iſtud *ergò*, ex quibus præmiſſis infertur hæc apprehenſio? Conſtituit apud ſe. Dandum eſſe aliquid populo ne oriatur ſeditio, Chriſtum non quidem occidi poſſe, ſed tamen in gratiam populi affligendum. *Ergo apprehendit JESUM* & flagellavit. Sed cur dicitur ipſe flagellâſſe cùm id per milites fecerit, & non dicitur ipſe crucifixiſſe! Quia propria illius fuit inventio flagellare, Judæorum verò fuit crucifigere, ideò dicitur. *Crucifixerunt eum*. Ait Pilatus, *emendatum dimittam eum*. Tune impie Judex Sanctiſſimum emendabis? Flagellatur; cadit denſa pluvia in vellus Gedeonis. Sed ipsâ manu ſuâ prior ad hoc veſtes deponit, & manus columnæ applicat, ut S. Birgittæ revel. lib. 1. cap. 10. Ligantur illæ manus,

volat fama, Prophetam illum magnum ad virgas damnatum, concurritur undique & fortaſſe non defuerunt qui dicerent, grande aliquod malum imminere quia propheta ſe nudat veſtibus. Fortaſſe non defuit, qui illud repeteret Deut. 32. *Haccine reddis D. DEO popule ſtulte?* Vidit Pater Luc. 15. Prodigum ad ſe malè veſtitum venientem ſtatim proferri jubet ſtolam. Nemo hic eſt qui tegat. Exuit ſe Jonathas ob amorem David veſte, ſed non omni. 2. Reg. 1. exuit ſe Chriſtus omni. S. Birg. lib. 4. cap, 70. Ita ad columnam cum impetu projectus ut concuſſo capite dentes colliderentur, & ad collum ac maxillam ita percuſſus ut ſonus audiretur. Addit Laur. Juſtin. de agonia cap. 14. & ſcapulas, & ventrem, & crura flagellis fuiſſe conciſa.

Fuerunt contumeliæ in domo Sacerdotum cum dolore; utrumque in flagellatione auctum, ſed in ſpinea corona ſuperauctum. Sic coronatum producit Judex populo, neq; illum flectit. Dat optionem ut eligant, Chriſtum vel Barabbam, eligunt Judæi ſceleratum, Beda in 18. Joan. *Reliquerunt Salvatorē & petiverunt latronem, ideò usq; hodie diabolus ſua latrocinia exercet in ipſos.* Rupertus in 5. Micheæ. *Vaſtaberis filia latronis, elegiſti magis Barabbam quàm JESUM.* O Sara, ſurge è tumulo vide quomodo cum Iſaac, hoc eſt JESU, ludat Iſmaël; excita Abrahamum, & ambo in montem Moria venite, videbitis arietem dimitti, Iſaacum occidi. Sed & nos audiamus Orig. in 27. Matt. *Qui malè agit ei ſolutus eſt Barabbas, & Chriſtus vinctus.* Denique traditur Judæis, Margarita porcis conculcanda. Interim præco in celebrioribus locis urbis proclamat, hic enim erat mos ut ſcribit Gretſer de Paſſione. *JESUM Nazarenum damnatum eſſe ad crucem.* Concurritur ad ſpectaculum. 1. Mach. 2. *Sancta in manu extraneorum facta ſunt, templum ejus ſicut homo ignobilis, vaſa gloriæ ejus captiva abducta ſunt.* Quid deinde factum? *Crucifixerunt eum.* Quem *eum*? Illum qui eſt Noë futuri

futuri sæculi, qui Isaac cœlestis Patris, qui Samson invictus. Crucifixerunt eum, itaque nudatus ut Noë, ut Isaac positus in ligno, alligatus funibus ut Samson. Manus & pedes ad clavorum loca pervenian tita tenduntur, ut dixerit Psaltes, *Dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ex quo secutus dolor atrocior quàm antea fuerit in tota passione, ut revelatum S. Birg. lib. 1. c. 10. venæ ac nervi illâ distensione sunt rupti, Manus altera priùs ut gravior esset dolor cruci affixa erat. Eckius de pass. c. 5. Erecta est crux, non ampliùs inundabant peccata. Scribit Bzovius in anno 821. quod fluvius Onoprictes fuisset cum magno damno solitus exundare, infixit crucem in ripa S. Theodorus Studita, & non ultra illam processit aqua. Provolemus in amplexum crucifixi, vel si id non possumus, abscondamus saltem nos in eo petræ foramine in quod crux est immissa. A lateribus agni, sunt etiam crucifixi lupi, ut loquitur S. Chrysost. hom. de Parasc, quorum unum mutavit in ovem. Duo sunt ursi Elisæi 4. Reg. 2. Quorum unus pugnat contra alium pro Domino. Duo cophini ficuum Jer. 24. Quorum unus valdè bonas ficus, alter malas continet.

Mos erat apud Romanos, ut Reis causa pœnæ apponeretur, apposuit eam Domino Pilatus, sed cur non etiam latronibus? Quia in eo titulo voluit ostendere se justè Christum damnâsse, & ut simul Judæis exprobraret. Quòd per invidiam tadidissent. Ita Chrysost. homil. 84. in Joann. & ideò non scripsit, *affectator Regni*, sed, *Rex Judæorum* nec mutare voluit. Tum miles in gratiam Judæorum, ut scribit Theophilus Patriarcha Antiochenus latus Christi lancea invadit, ita ut Birg. lib. 7. c. 15. partem utramque corporis pertransierit. Jam cum S. Leone serm. 13. de Passione. *Contremiscat in Redemptoris sui supplicio terrena substantia; rumpantur infidelium mentium petræ, & qui mortalitatis gravantur sepulchris discussâ obstaculorum mole prosiliant.* Appareant in civitate san-

te ſancta, in Eccleſia, futuræ reſurrectionis initia. Terra rupta eſt,terram iniquè collectam diſſipa per eleemoſynas. Monumenta aperta ſunt,os noſtrum ſit patens ſepulchrum in confesſione, cadavera projice in aures Sacerdotis. Greg. lib. 3. Dial. 31. *Cecidit granum frumenti & ſurrexerunt Sanctorum grana & manipuli* Aſſurge Chriſto ut manipulus, mutet ſe Chriſti mors in melius,quæ univerſitatem mutavit in ſtuporem.

CONCIO LIV.

Pro Paraſceves Feriâ Sexta Tertia Concio.

Adduxerunt eum ad Caipham, adduxerunt ad Pilatum &c.

O Amor, O dolor quid agitis? Moritur JESUS, quis in culpa, amor an dolor? Si amor, *Attendite & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Si dolor, *Quid ſunt plagæ iſtæ in manibus tuis? his plagatus ſum in domo eorum qui dilexerunt me.* Dolor ſpinas impoſuit ſed ſpinis ſagittarum cuſpides miſcuit amor. Dolor flagellavit, ſed amor chordam ſui arcûs inter flagra appoſuit. Dolor in horto ligavit, ſed amor tradidit. O ſeverus amor, ô durus dolor! Amor accendit lucernas ad hortum, detracto ex ſuis oculis velo Chriſti oculos velavit. Amor ut ipſe nudus eſt denudavit Dominum,cor operuit, caput morientis ut nos in ſuo pectore oſcularetur inclinavit, aflixit pedes Cruci ne à nobis ampliùs abeat: manus perfodit ne retineat quod nobis non det. Deduxit ad inferos, ut mortui ſuam felicitatem futuram conſpiciant. Sed etiam dolor in his non defuit &c. Quid feciſtis amor & dolor cum meo Domino? Amoris æſtu os areſcit,ut ſitim profiteatur; triumphat amor, triumphat dolor, uterque cor noſtrum configat. Non

pro

pro nobis dolet? *Attritus est propter scelera nostra.* Traditus per osculum amoris. Patiatur amor qui hoc ausus, patiatur dolor. Dolor per amorem puniatur & è contrà. Sed hæc causa non uno tribunali capi potest. Omnes concurrant, omnes clament *Crucifige.* O JESU sic tibi solvitur!

Sed quid video? in ipso ad tribunalia accessu, non fit citatio, sed venditio. *Quid vultis mihi dare ut eum vobis tradam?* Hæcciné justitia? emit Judex ut habeat quem puniat. Data venditori decima furti quod destinaverat dum Magdalenæ ungventum trecentis denariis æstimavit. O stulte mercator tantillo tibi emis infernum? Caruerunt né DEO quibus illum vendis? sed postquam emerint, habebunt né? Jam non tuus es sed venditus JESU. Et ita facit ut venditus, distribuit quæ habet. Eamus ad triclinium, sed opus aquâ, ne amoris nos vis exurat, quo Agnus innocens uritur. *Occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans.* Uritur, neque sustinet vestes, *depositis vestimentis.* Ad ulteriora inflammatur. *Sic autem comedetis Agnum, stantes, præcincti.* Projicit se ad pedes Judæ. Bonav. *Factus est non solùm servus servorum DEI, sed servus servorum diaboli.* Scimus quis & cui lavet, & superbimus! Lavat vobis discipuli pedes, sed lotis meliùs fugietis. Imponit tamen ille pedibus vestris manus suas ut compedes aureos Digni per hoc fiunt pedes Apostolorum, ut ad eos omnia sua bona projiciant Christiani Act. 4. Ego præeo ait Christus exemplo, omnia in manibus meis posuit, hæc prior ad pedes pono. Ablutis pedibus, procedit ad se dandum, & *quia sui eum non receperunt,* scit sine pane illos esse non posse, sub panis speciebus se recondit, ut moriturus remaneat in illis. *Hymno dicto* abit in hortum velut accinens hostibus ut se alacriores invadant. Discipulos cribrat Sathanas, illi dormiunt. Procidit ante Patrem qui parat calicem furoris effundere in terram. Ille Patri, in me con-

verte iras tuas, non transibit in terram ira tua nisi per me. Interim si *fieri potest transeat à me calix iste*, verumtamen &c. Sed quàm amarus calix! solùm eo viso sudat sangvinem Dominus. O quid de nobis fiet quando in nos fundetur? sed Christus, Funde interim in me Pater; *Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.* Ita Fili? *Bibe & tu calicem confusionis.* Suscipit Filius. *Torcular calcavi solus & non est vir de gentibus mecum.* Fortè & modò idem fit, fortè pro nobis in cœlo orat solus, non est qui jungat illi suas orationes, solus orat in templo. Et hic videte pondus peccati, cœlum portabat Christus, postquam in se recepit peccata procidit. *Iniquitates supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Zacharias peccatum vocat, *talentum plumbi.* Cœlum est robustissimum. *Fabricatus est cælos tanquam ære solidissimos*, tamē unicum Angelorum peccatum sustinere non potuerunt. Impone mihi pater peccata. *Ut jumentum factus sum apud te*, scio, sub hoc fasce cadam, sed tamen illum deferam ad montem Calvariæ. Tamen Pater es, Cur ita mecum durè agis? abscondit faciem, ne Pater visâ illâ misereatur. Non desistunt peccata, augere onus. *Supra dorsum meum fabricaverunt.* Jam ita illum presserunt ut de quolibet membro fluat sangvis. Quantus ardor pro nobis moriendi, cùm non expectato carnifice prorumpat ultrò sangvis? sed mi Domine, non propera, propè est tempus quo amor & dolor ad ultimam ex te guttulam elicient.

Posuit DEUS Adamum in paradiso ut operaretur illum. In pomum incidit noxium. *Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt.* Novus hortulanus spargit salubrem liquorem in terram, ut Adam non jam in suo sudore, sed in sangvine hujus, vescatur pane suo. Dum Christus se tradit amori dum illum Pater adjudicat Dolori: dum se Filius exuit potestate defendendi. *Hæc est hora vestra & potestas tenebra-*

nebra-

nebrarum. Discipuli dormiunt. Ita Domine tibi afflicto condolent, ut oculi eorum somno graventur. Tu sangvine manas, illi &c. Sed cùm sis ab illis *avulsus ad jactum lapidis*, quid mirum? quis sine te vigilabit? Sed tu es Pastor, tibi vigilia incumbit, oves quiescant; si lupus interea voluerit aliquam rapere, offeres animam tuam pro illa. Sed ut tua causa etiam in aliis tribunalibus judicetur, citat te Judas osculo. *Ave Rabbi.* Si Rabbi, si magister, hæccine te docuit? *Amice ad quid venisti?* ille respondet, acsi diceret. Non fraudes sed amorem te docui, videbis hoc in opere quod dixi, Malcho restituam aurem. Hic jam miror deesse verbo Christi effectum. Dixit *Fiat lux*, & facta est lux. Benedixit panes & multiplicati sunt &c. Vocat amicum & non fit amicus. Ita favet nostræ libertati, ut nihil circa nos nisi nobis consentientibus agat. Sed mi Domine, cur eum vocas amicum, utique est Sathanas? In mortali peccato recepit Judas Eucharistiam. Ita hoc grave Christo fuit ut sangvinem sudaverit. Et *cœpit pavere, tædere, & mæstus esse.* Mæror est de præsenti, quod malum præsens? non aliud. *Post buccellam intravit Sathanas in Judam.* Amicum vocat, quia osculatur ore Judas per quod Christus intravit. *Amice ad quid venisti?* quò devenisti? & spontè ad hoc venisti. Non erunt tibi solatio tui denarii, cõsidera, cõsidera! Ego vado pro te immolari, age pœnitentiam modò. Lapis citiùs moveretur. Hoc & nos sæpiùs nobiscum. *Ad quid venisti?* Osculatus Judam Dominus ut ab eo reciperet Spiritum S. Quem insufflaverat. Sed Domine, opportebit tuum os ablui felle & aceto, quia os attigit Judæ. Sed & anima Judæ non audebit per os à Domino attactum exire. Crepabit medius. Jam Domine ad tribunal traheris, Adsit aliquis qui testetur pro te. *Relicto illo fugerunt omnes.* Ita fit. Omnia postquam servi acceperunt à Domino, deserunt. A pisce didicerunt piscatores

non sequi hamum si in eo desit esca. Tuum calicem Christe inter omnes divisisti, datum tibi à Patre solus vis bibere. Petrus mittit manum ad gladium, sistas, Non debet hic hortus alio sangvine aspergi quàm Christi. Reddatur auris Malcho ut possit audire Spiritum S. in specie lingvæ venturum. Venerunt Sacerdotes cum militibus ad hortum, nunquid victimam quærunt? *Ego sum. Quem osculatus fuero ipse est.* His verbis omnes calumnias Judæorum complexus est Judas. Ipse est qui prohibet dare censum Cæsari, qui in Beelsebub &c. *Tenete eum cautè*? Non miscete colloquium, ne vos seducat. Prohibete loqui ne concitet turbas &c. *Injecerunt itaq; manus in JESUM, & ligaverunt eum*, & eò vehementiùs, quia paulò antè voce illius prostrati. Qui funes? Ps. 118. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Thren. 4. *Spiritus oris nostri captus est in peccatis nostris.* Noctu id factum scelus, quia sol illud spectare non potuisset. O spectaculum Agnus inter tot lupos Ps. 21. *Aperuerunt super me os suum sicut leo rugiens & rapiens.* Job 31. *Et dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus ut satiemur?* Quæ ibi comminationes, quæ blasphemiæ? Sanctus ligatur, æquitas conculcatur &c. Audite eum cum Job 17. *Non peccavi & in amaritudinibus moratur anima mea.* Capta est Arca, & non luget Israël. Captus Pater. Captus DEUS. Lugete Angeli; O dolor, ô amor quanta facitis!

Jam expectant in consessu Judices ut damnent innocentem. Vigilant qui sangvinem sitiunt. Sistitur ante Caipham ejus anni summum Sacerdotem, qui dum nihil in eo reperit, sua in eo damnat scelera. Ad quid deducet amor & dolor in hoc judicio Christum? Ad hoc ut sileat. Adjurabit Caiphas nomine DEI, sed os respondentis Christi pugno occludet miles. *Expedit ut unus moriatur*: sed est innocens. Constat quòd falsa contra illum afferantur. Sed quò, ait Cai-

phas,

phas, noſtri reditus? ſi ille vivet nos contemnemur. *Expedit.* Sit ſanctus, moriatur. Scimus ex miraculis & ſcripturis quæ in illum & non in alium cadunt, quôd ſit Meſſias, adiurabo ut id ipſe fateatur. Ob reverentiam DEI fatebitur, & habebimus cauſam mortis. Et ita evenit *Tu dixiſti.* Tu Caipha agnoſcis, quis ſim. Tui Sacerdotes remiſerunt Magos ad quærendum me in Bethleem. *Expedit.* Ratio ſtatûs requirit. O ſtatus quò devenies? *Lapis ſupra lapidem non remanebit* In DEO ſubſiſtunt non in arte humana regna. *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem.* IpſeCaiphas hoc prophetat, dum ſua veſtimenta lacerat, quòd peribit ſtatus qui talibus conſiliis agitur. Sed qualis Collator talis Sacerdos. Contulit Caiphæ Sacerdotium Herodes. Hoc meum aget negotium, &c. Sequitur Petrus, fortè atteſtabitur. *Hic eſt Filius DEI vivi.* Sed vix aulam ingreſſus, mentiri didicit. *Neſcio hominem.* Sed certè non novit. Si nôſſet non negâſſet, ſiccine Petre? noviſtiné eum qui dixit. *Prius quam gallus cantet ter me negabis*? Non noſti, ſed neque te noſti. Vocem ancillæ modò times: nonne tu es ille qui in horto cohortem gladio invaſiſti? Non es diſcipulus ejus, ille ad publicanos, pauperes, &c. ibat ſpontè, ad aulam nonniſi funibus tractus, ad quam tu ſpontè iviſti. Nec unde ſis, meminiſti; Galilæum te negas *Sequebatur à longè*! Qui ſecutus à longè devenit ad hoc ut etiam negaret. Ubi illa? *Etiam ſi me oportuerit mori tecum* &c. Sed Petrus in corde non negavit exauditus enim ſine dubio Chriſtus Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua.* Etiam verbis Chriſtum negare, cauſam ejus deſerere magnum crimen eſt. Sequamur Chriſtum ad alium Sacerdotem, ad Annam. Sed hic veluti famens lupus visâ ove, non cauſam, ſed ut plùs hauriat ſangvinis quærit: *Interrogabat de diſcipulis.* Videte malitiam hujus non Sacerdotis ſed idoli, interrogavit *de doctrina*, ita neſciebat quid

 in tem-

in templo ejus agebatur, siquidem Christus *in templo erat palam docens.* Jam ab uno damnatus Christus ex ratione statûs: ab hoc alio cur damnetur? neque causa apparet alia, nisi quia Judex nesciebat quid ageretur. Jam noctu Judices dant se quieti, fortè melior erit conditio rei ubi edormiverint. Sed non interim quies Reo conceditur, non quiescit amor, non quiescet dolor. Accipiunt Christum milites & velant oculos, ut ostendant se ita agere, atq; si DEUS non spectet. Fortè etiam veriti ne quem illorum suo intuitu ad pœnitentiam adduceret, sicut adduxit Petrum quando *respexit*, sed quid agunt? Nonne hæc est illa facies, quâ exhilarabantur afflicti, & dicebant. *Eamus ad Filium Mariæ.* Sed, *nunc est potestas tenebrarum.* Oportet tegere hæc duo lumina oculorum. Excæcati irâ non possunt alienos ferre oculos. *Prophetisa quis est qui te percutit.* Nec vult Dominus scire suos percussores, oculos sibi velari patitur ut illis ignoscat. Venit manè, ad tertium tribunal causa deveniet, sed in pseudopolitia cœpit, in eadem finietur, & itur contra rerum ordinem. Emerunt Agnum Sacerdotes ad immolandum, ducunt ad Ethnicum ut ipse immolet, jam potestatem suam deponunt, & suum perire Sacerdotium reipsâ fatentur. Quam tamen causam afferunt Pilato? primam Caiphas, *invenimus hunc gentem nostram subvertentem.* Sequitur illum populus. Adducunt testes, qui nec audiêrunt, nec viderunt, modò sint, & tot sint, Pondus habebit causa, si tot jurati testentur. Alia ratio Annæ, *Dixit se Filium DEI esse.* Sed probetur non esse. Si agitur de eo, an sit Filius DEI, cur stulti in hoc recurritis ad Ethnicum, qui Deos suos credit habere Filios, Nepotes &c.? An ille id putabit impossibile? Sed quidquid ille fecerit. Superest nobis ajunt Judæi unum contra Pilatum argumentum. Timet offensam Cæsaris, propter hoc sive Reum, sive innocentem occidet. *Non eris ami-*

ris amicus Cæsaris. Compassus Christus tot Judicum interitui, commemoravit Judicium extremum. *A modò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cœli.*

Quid agit Pilatus? videt quòd *per invidiam tradiderunt eum.* Videbat populi mutabilitatem, antè aliquot dies clamabant. *Osanna Filio David,* modò occidi petunt. Fiet, si occidero, clament, Prophetam nostrum occidisti. Orietur tumultus, offensam incurram Cæsaris: Sic ergo agendum. Offensus est mihi Herodes, est hîc præsens: Reus est Galilæus, quæ terra subest Herodi. Simulabo me hoc tribuere Herodis honori, si hominem illi subditum ad eum remisero. Et quidquid ille circa Reum agerit, incurret invidiam, & sic me etiam de illo vindicabo. *Erant enim inimici.* Interim cogitate cum quo furore insistunt Pilato Judæi ne moras trahat. Ubi estis ursi qui contumeliam Elisæi vindicâstis? Quærit Pilatus. *Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc?* &c. Sed & vos o Christiani quare illum ob peccatum mortale tam facilè deseritis? Clamant Judæi. *Si non esset hic malefactor,* &c. hiccine juris processus? &c. Sufficit quòd adduxerimus. Occide. Sed quare occidam? nos scimus, nos volumus. Nescis, quòd nos qui eum adduximus, simus summi Sacerdotes? Sed quid hoc ad causam, plurimùm apud timidum Judicem. Sed monstrate in quo sit malefactor. Quas leges violavit, utiq; infans circumcisus, mater purificata. &c. *Si non esset hic malefactor,* &c. An non pacificus? an Malchum in horto non sanavit, non cohibuit Petri gladium &c.? Malefactor scilicet qui cæcos & claudos sanavit? &c.

Ducitur ad quartum tribunal Christus ad Herodem, obmutuit Agnus coram lupo, expectat miraculum Herodes, majùs habere non potest quàm quòd DEI Verbum obmutescat. Ir-

ſcat. Irridetur. Regeste irridebunt ſemel Chriſte, tu illos per æternum. Habac. 2. *Et Reges ſeu tyranni ridiculi ejus erunt*. Irridet miles Herodis Chriſtum, quia Regis exemplum ſequuntur omnes. *Herodes & Pilatus facti ſunt amici.* Acceptat Herodes Pilati humanitatem, ſed tanquam Hoſpes Patrifamilias remittit jurisdictionem. Incidit pſeudopoliticus Pilatus in ſimilem. *Facti ſunt amici.* Similitudo morum conciliat amicitiam. Redit jam ad quintum tribunal Chriſtus, ad Pilatum. Sed quomodo iſte poteſt judicare, qui neque ſcit quid ſit veritas? ſed neque ſcire cupit. Nam poſtquam de ea, quid ſit? quæſivit: non expectato reſponſo ſtatim exivit. Pſeudopolitici dicunt ſe velle ſcire quid ſit veritas, nunquam quid ſit volunt diſcere. Quid Pilatus? *Accipite eum vos, & juxta legem veſtram judicate.* At illi quid? non quòd illis Pilatus permittebat, *judicate*: ſed quòd illi intendebant. *Nobis non licet occidere quenquam.* O Pilate, nunc loquere. Hora eſt hæc quâ te tibi lucrari poteris. *Nullam cauſam invenio, emendatum dimittam.* Quis iſta combinet? Incidiſti Chriſte in latrones, in ipſo tribunali veſtibus ſpoliaris, imò pluſquam latrones. Auditis flagella, videtis ſangvinem? Columnam apprehendit Samſon ut obruat Philiſtæos. In columna ducit populum ad terram promiſſionis novus Moyſes. Jam ceſſârunt flagellare, ut in nova tormenta ſupervivat. Facit Carnifex quod illi non imperatum, ſcit tamen Pilato non diſpliciturum. Spineam imponunt coronam. Hi ſcilicet radii decebant caput. Ut de ſpinis deinceps colligamus uvas, implantantur viti. Exanimatus es Domine ad columnam jam tibi laurea Magiſtralis imponitur. Jam coronatur victima. Triumpha Amor, triumpha Dolor. Pilatus ut ſibi, non Domino conſulat, oſtendit Judæis. *Ecce homo.* Timebat enim ne ille inconſtans populus mutaret mentem circa mortem Chriſti. Neſciremus

quòd

quòd sit homo nisi dixisses. Velut Elephanti viso sangvine efferati sunt Judæi. *Sangvis ejus super nos* se ut innoxium testetur Pilatus, ne dicant deinde Judæi, Tu occidisti nobis Prophetam. *Lavat manus*: Barabbam ostentat. Demum fert decretum. Aspiciamus JESUM, sed *non est ei aspectus*. Decretum non judex sed tumultuosa plebs præscribit. *Crucifige.* ubi leges? Jam damnatus. Jer. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* O Amor quid agis. o dolor quomodo triumphas!

Decreti insani detestabilis executio. *Susceperunt autem JESUM & eduxerunt* &c. O amor quid hoc est? peccavit mancipium, punitur Princeps. *Bajulat crucem*, juvemus, corruit. Jam pervenit, seu pertractus est in Calvariam, detrahitur vestis, renovantur vulnera, tegit sol tenebris Dominum, sed ille Ps. 68. *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Extendit manus in cruce, & affigi permittit ut etiam mortuus situm orantis pro nobis retineat. Coloss. 2. *Delens quod adversus nos erat chyrographum decreti affigens Cruci.* Ex fructu arboris profluxerat decretum, se alium fructum affigit arbori de quo *nisi manducaveritis* &c. Affixa est salus nostra cruci: *quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Demittit caput veluti osculum datur⁹ terræ. Ultimò nobis valedicit. Inspiraverat olim in hominē spiraculum vitæ, nunc spiritum suum in terram demittit. Omnia nobis dat, solam crucem sibi ut suam inscribit. *JESUS Nazarenus* &c. *consumatum est.* Hoc habes testimonium Amor & Dolor, vicistis. Fiunt tenebræ, ut volens nolens luctu induatur terra, miscentur omnia ut suo periculo intenta, non se de illis vindicent, pro quibus orat. *Nesciunt quid faciunt?* Pendet in cruce, neque cessat malitia. *Vah qui destruis templum DEI.* E contrà. *Dimitte illis.* Langvet Christus, sed ut dolor evigilet more Romano spongia imbuitur felle & aceto,

quâ priùs vulnera, deinde labia perfricentur. Negas aquam sitienti Christo, dabit ille tibi mox è suo latere. Imbuisti Judas sacra labra felle & aceto. Nihilominùs erunt *Favus distillans. Dimitte illis. Ecce Mater tua.* Clamat *Eloi Eloi* putabant vocari Eliam, sed ista labia sunt favus, Elias ignem demitteret. Aperit nobis miles cor Christi videamus ex quanto amore nostri hic fluxit dolor. Effluxit aqua, seu potiùs lachrymæ cordis, ut videamus quantoperè nostris malis compatiatur. Et quantum pro te cupias, qui etiam mortuus cor sibi pro te aperiri sinit. Sed nos hâc pœnâ digniores, nostræ manus affigendæ. Jam hic alii expectant miraculum, alii mirantur constantiam tam Filii quàm matris, alii rerum humanarum vices. Nos defleamus nos, digni omni planctu. Amittit tam carum, tam sanctum Filium mater, plorat; noli plorare nos crucifiximus. Aspicis Mater Filium, sed potesné, quis sit dignoscere? Illené est quem lactâsti &c. O amor, o dolor. Mortuus est, reliquit nos orphanos. Obediens usque ad mortem pro nostra inobedientia. Quis te ampliùs offendere volet o bone JESU? quis non malet mori quàm te iterum cruci affigere. Absconde nos in vulneribus tuis, absconde in tuo corde. Suscepisti mortem pro inimicis, quisque peccator est tuus inimicus, hoc nobis spem facit bonam: Ad dextram tuam est latro, & nos spectare possumus dextram. *Memento nostri &c.* Nec non meremur misericordiam. Sed meretur tuus sangvis.

CONCIO LV.

Pro Passione & de Captivitate Christi.

Sic DEUS dilexit mundum. &c.

QUis putaret? in consilio SS. Trinitatis conclusum est, *Vivat servulus, moriatur Filius* quid Pater æterne facis? *Moria-*

Moriatur Filius. Hæreditas ad quem spectabit? *Vivat servulus.* Nunquid Filium non amas? imò omnis voluptas tua, & beatitudo in Filio. Indicabiturné hoc decretum Filio? Imò. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Moriatur Filius, saltem decorâ morte. Imò pessimâ. Illâ. *Maledictus qui pendet in ligno.* Apud Judæos habetur pro maledicto qui moritur in ligno, quia peccavit Adam in ligno, ut nec memoria illius fieri debeat, hâc morte pereat: sed antequam id fiat flagellatur ad columnam publicam ut malefactor. Quis erit carnifex? quo nemo sævior: quis verò ille? idem servul⁹. Miserebitur? patebit oculis. quid agis o Pater? o amoris excess⁹? Videat, ait servul⁹, videat indignus quantum illum amē, Ac servulus. *Crucifige.* Morte turpissimâ condemnemus eum. Verè, Domine, Abac. 3. *Egressus es in salutem populi tui.* Non tantùm ex cœlo, sed ex te, ex mensura. Psal. 103. *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usq; ad vesperam.* Exivisti Domine per incarnationem, sed usque ad vesperam nostri intellectûs, qui obtenebrescit diem, tua opera meditatur. Gen. 24. Significata est Isaaco mors Saræ, exivit in agrum ad meditandum. Servuli mortem ut recogitet vadis ad Hortum, sed quid meditaberis? Peccata totius mundi & illorum medicinam. Deflebis peccata. S. Bern. serm. 3. de Ramis Palmarum. Sudabis sangvinem, *volens non solùm oculis, sed membris omnibus flere.* Meditabitur passionem quam suscipiet ex obedientia. Illi servit Prov. 15. *Mens Justi meditabitur obedientiam.*

Venit cohors, offert se Dominus. *Ego sum.* Me capite, sinite servulum abire: sed scitis qui sunt qui ligant Christum? nostra peccata. Ubi legimus. *Propter scelus populi mei percussi eum.* LXX. legunt. *Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.* Peregisti Juda negotium! ille tibi lavit pedes, tu eum pedibus militum subjicis &c. Quò te avaritia præcipitavit?

tavit? æstimâsti ungventum Magdalenæ denariis 300. modum reperisti quo illos reciperes Rupert. lib. 8. in Genes. *Argenteus quivis denarios decem valuit.* Hoc ipsum litera Tau seu crux ominabaturn am etiam 30. significat. Emisti Domino crucem, sed tibi funem. Sed & tu non nôsti tuam mercem neque emptor; nunquid tantillo venit Rex gloriæ? Judas se suspendit, ita *qui volunt divites fieri incidunt in laqueum diaboli.* Ducitur Dominus ut David cui maledicit Semei. Fugerunt discipuli qui ad mensam promittebant se non deserturos quis, Domino assistit? opprobrium, contemptus. Natus est Christus noctu propter servulum quid noctu illi reddit servulus? natus es Christe inter animalia, morieris inter latrones: sumpsisti fascias, vestibus spoliaberis. Duodennis stetisti inter Doctores, pro hoc te adducent in tribunalia. Prædicâsti in montibus cathedram sibi servulus eriget in Calvaria. Suscitâsti mortuos duceris ut moriaris. O quantum audes servule! O quantum amas Domine! O Non te vindicas, imò cum Jona dicis. *Mittite me in mare.* Vivat servulus moriatur Dominus. Mittite in mare malitiæ Judaicæ; in mare Paternæ iræ, in mare potestatis tenebrarum, concurrite monstra maris cum dentibus &c. Itane Ethnici tractant Deos suos? Jerem. 2. *Transite ad insulas Cethim, & in Cedar mittite, & considerate vehementer si factum est ejusmodi, & certè ipsi non sunt Dii.* Cethim est versùs occidentem, Cedar versùs orientem. Transite ab ortu ad occasum totum orbem. Cedareni barbarus populus nullas habent certas sedes. Non desunt inter Turcas qui sepulchro Mahometis viso ne quid postea aspiciant quasi profanum, oculos sibi effodiant. Puer Alexandri M. ne sacrificium turbaret exuri sibi passus manum. In Mexico triginta millia hominum quotannis Idolo immolabantur. Considerabat id S. Chrysost. qui in persona Christi ita loquitur hom. 24. in Matth.

Matth. 7. *Ego qui ob tuam salutem fieri servus elegi, qui palmis ora temeratus, qui faciem sputaminibus aspersus & servuli supplicio deputatus, qui ut te de morte redimerem* crúcis *ipse mortem sustinere ego à te ita inhonoratus sum, & diabolo ipso vilior æstimatus.* Sed quis ita vilipendit? Apparuit Christus S. Birgittæ totus sangvine perfusus, quæsitus quis ita illum tractavisset. Respondit, ab his id esse factum qui ejus amorem contemnerent. Nolo Domine contemnere. In pignus trado tibi cor meum. Procidam ut Magdalena ad pedes, sed ubi sunt lachrymæ? ubi, capilli sed jam pro capillis ligatus est funibus. Rogabo per hunc illum Patrem ut mihi parcat. &c.

CONCIO LVI.

De Calice Christi in Horto.

Sic DEUS dilexit mundum, &c.

Lex fuit num. 23. Ut qui confugisset ad civitatem refugii, in ea remaneret ad mortem summi Sacerdotis. Lætare peccator jam summus Sacerdos vadit ad mortem, perpetrâsti necem animæ tuæ. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Mansisti in civitate refugii, in hac vita, sed vide quis ad mortem hunc Sacerdotem præparat. Accidit alicubi ut mancipium attentarit occidere Regem: attentaverat idem facinus quidam Princeps. Sed subitò vivus in ignem projectus, quid fiet de mancipio? sed mancipium cùm non potuisset Regem, vulneravit seipsum. Omnes clamant, carcerem. Rex è contrà, sit liber, & sanetur. Medici ajunt non posse vulnus curari, quia est venenatum nisi quis exsuxerit. Rex ait, Filius unicus exsuget, & ejus hæreditatem accipiat mancipium. Peccator mancipium in Regem DEUM incurrerit, in quem etiam insurrexerat Lucifer, sed statim in infernum dejectus.

Letale sibi intulit vulnus, sanari non potest nisi per Christum. Hic est summus Sacerdos, hic se ad mortem accingit. Ut virus exsugat ex vulnere mancipii & sic ipse moriatur, accipit ab Angelo calicem. Calix plenus, est veneno, acceptus ab illa de de qua Apoc. 17. *Mulier in manu sua habens poculum aureum plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus, & in fronte ejus nomen scriptum, mysterium, Babylon magna mater fornicationum & abominationum terræ.* Fuerunt in eo calice & nostra venena &c. Illo conspectu sudat sangvinem ut gemma præsente veneno. Horret. *Si possibile est transfer à me.* Bibe JESU, non deerit qui affundat denovo. Bibit & *cœpit pavere.* Non timor sangvinem ejicit, imò & condensat, videt multis hunc suum actum non profuturum. Ecce fons sangvinis, ecce *irrigans universam terram, desiderat cervus ad fontem aquarum.* Hæc est piscina probatica quam commovit Angelus dum obtulit calicem. Jam de se Christus Jer. 23. *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino.* Inebriatus ut Noë, sed etiam à Filiis irrisus. *Sic DEUS dilexit &c.* Procidit in terram, itane mecum agis ô terra? Non hanc ego tibi vineam plantavi. Procidit, acsi excitaret, vide quid pro te facies? Quærit illos, qui *nomina sua scripserunt in terris suis.* Ubi es drachma perdita? Ego propter vos formam servi accepi, ego sum ille Pater qui dementes filios prodigos recipio. Ego sum Josephus Frater vester. Ego pro vobis calicem bibam. Sed quid video? Oves se jungunt lupis & Pastorem invadunt. O JESU, tu Samson, ego Dalila. Tu mihi das vitam, & tu caperis in peccatis meis. Tu cœlum tribuis, ego te mox vestibus spoliabo. Tu me in manibus gestas, ego tibi infigo pugionem. O quomodo tibi amor mei succedit? *Si alienus mihi maledixisset. &c.* Quamdiu pugnabimus cum hac bonitate? Bibo ait pro vobis qui me crucifigetis, fortâssè resipiscetis. Corda

nostra sunt adamantina, dimitte in eo guttam sangvinis ut frangantur &c.

CONCIO LVII.
De Christo Domino in Horto.

APeritur theatrum, in quo, & quanta sit iustitia, & quanta hominum malitia, spectabimus, utinam vel non fuissemus nos causa, vel saltem ab eo nunquam oculos divertamus? Spectavit illud Isai. 53. Et cum aliis ipsum enarraret, coactus exclamare. *Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est?* Revelatum hoc ipsum fuit Abacuc 3. & ille. *Domine audivi auditionem tuam & timui.* Auditionem, id est, illud quod voluisti me audire. Spectaculum hoc. *In medio annorum notum facies.* In medio veteris & novi testamenti. Nihil fuit respectu hujus illud, de quo 1. Cor. 4. *Spectaculum facti sumus, DEO, Angelis, & hominibus.* De calamitatibus suis loquitur. Ad præsens spectandum. Matth. 27. *Et terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierunt.* Quomodo id spectaculum describam? Utar verbis Job. 31. *Causa tua quasi impii judicata est.* Non totum prosequar, sed tantùm hortum.

Ipse de quo agitur Christus pro theatro assumit hortum. Matth. 26. *Hymno dicto exierunt in montem Oliveti.* De quo Chrysost. *Gratias egit Christus, & hymnum cecinit sui funeris cantor quasi cygnus.* Hæc avis cùm est in agone, sangvine puro ad cor concurrente, exhilaratur, & ideò cantat. Purissimus sangvis fuit Christi, sed non diu hymnus, mox. *Tristis est anima mea usq; ad mortem.* Sed cur tristaris? cum Patre est negotium, à quo etiam filius prodigus Luc. 15. recipitur. *Ibo ad Patrem meum.* Chysost. serm. 2. *Ibo, quâ spe, quâ fiduciâ, quâ*

quâ confidentiâ? Illâ, quâ Pater est. Hoc de prodigo. Quid tu Christe? dicit ille. Ibid. *Ego perdidi quod erat Filii, ille quod Patris est non amisit. Ibo ad Patrem reus, sed Pater viso Filio mox cooperiet reatum.* Et ita factum Luc. 15. *Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Cur ita facilè condonat? Chrysost. l. c. *Intus est in Patris pectore qui intervenit, & exorat affectus.* Nec minor DEI Patris erga Filium amor. In peccata maxima ceciderat Israël, & cùm fortè dubitaret de remissione, ipse DEUS vocat illum ad spem. Jer. 3 *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Ergò saltem à modo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Audi hoc peccator. S. Bern. de septem verbis cap. 8. *Pater nomen est charitatis.* Quidsi addatur, *meus*? Nihilominùs DEI Filius coram Patre sudat, timet, procidit in terram. Impletur de illo Thren. 3. *Ponat in pulvere os suum.* Quia posita super eum nostra superbia. Ps. 72. *Posuerunt in cœlum os suum.* Nos sumus illi de quibus Job 22. *Quis est omnipotens ut serviamus ei?* Nos in sacro irreverentes &c. Præcipit DEUS &c. Quare in corde Christi luctabatur totus orbis pugnando peccatis contra DEUM, detinebat Justitiam DEI Christus attrahebat misericordiam, ex hoc labore sudavit. Videbat etiam multos quibus hic labor suus non erat profuturus. His affectibus instar boni compressus sudat. Cant. 1. *Botrus Cypri Dilectus meus in vineis Engaddi.* Alii legunt apud Cornel. *Botrus prælii*, vel *Botrus expiationis.* Engaddi, explicatur, *Fons*, sive, *oculus scissuræ.* Videt jam scissuras sui mox venturas, Quare ut S. Bern. serm. 3. de quinque process. *Non solùm oculis, sed quasi membris omnibus flet.* Cur nos non flemus? O Pater cœlestis, jam orat Filius. *Si possibile transeat iste calix à me.* Filius de quo dixisti. *Hic est Filius meus in quo mihi complacui.* Hic

Filius qui Joann. 4. *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Hic est de quo Ps. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ps. 109. *In splendoribus ante Luciferum genui te.* Non exaudis Pater? jam & Filius. Ps. 21. *Longè à salute mea* verba *delictorum meorum.* Non recepta à DEO qui est salus. Quia *delictorum;* nam *longè à peccatoribus salus.* de Christo Isai. 53. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus oravit.* Induit omnium peccata, pro illis oravit quare Pater non ut Pater, sed ut Judex procedit? Quare causa Christi *quasi causa impii judicata?* sed audite homines. Quid Job subjiciat his verbis. *Causam judiciumq; recipies.* Qui modò est velut Reus, erit Judex. Ps. 109. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Dicetur illi, *sede à dextris meis.* Clamabis homo, Christe Pater mi, at ille, neque ego Pater vester neque vos Filii. *Pater Abraham miserere mei.* Luc 16. At ille. *Magnum chaos inter nos & vos firmatum est.* Tunc Pater Ps. 109. Ponet *inimicos* Filii *scabellum pedum ejus.* Et Filius Abac. 3. *In fremitu conculcabit terram, & in furore obstupefaciet gentes.* Tunc Ps. 109. *Conquassabit in terra capita multorum.*

Ita egit scenam Pater cum Filio, sed neque homines aliter. Ipse Filius dicit. Ps. 68. *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Egerunt homines cum Christo sicut maxima tempestas cum navi. Quare tristis facta est anima ejus usq; ad mortem, sufficiens erat tempestas ut illi mortem inferret. Jure queritur Isai. 1. *Filios enutrivi & ipsi spreverunt me.* Plus est, obruerunt. In Ps. 21. Describit David passionem Christi, & Psalmo huic juxta lectionem S. Hieron. dat titulum *Pro cerva matutina.* Quia in manè passionis seu initio quod factum est in horto, sic egerunt cum Christo, ut venatores cum deprehenso cervo. Ivit ad torrentem Cedron ut cervus, Ps. 41, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Jam factum

est ut cum Jobo c. 16. Qui ita de se. *Ego ille quondam opulentus, repentè contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me & posuit me quasi in signum.* Incidit Agnus in lupos. Daniel missus ad leones. Querebatur olim Jerem. c. 2. *Nunquid servus est Israël aut vernaculus*) *Quare ergò factus est in prædam? super eum rugierunt leo.* Interrogabo ego hominem. Quid in te deliquit Christus? non est Israël aut Jacob quem pedibus teris: DEUS est. Injicitis catenam collo &c.

Sed jam ad Christum, quomodo in semetipso hanc scenam exhibeat. Hortus fuit locus voluptatis homini primo è terra formato, jam est locus sangvinis homini è pura Virgine nato. Cant. 6. *Descendi in hortum meum ut viderem poma convallium, nescivi, anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab.* quid Christe nescivisti? an contra te molitiones? utique scriptum est Joan. 13. *Sciens JEsus quia venit hora ejus ut transiret ad Patrem.* Utique post lotos pedes Apostolis. *Elevatis in cœlum oculis* dixisti. *Pater venit hora.* Sed in magnis affectibus dicimur nescire quid facimus. Præ amore ivit ad hortum quasi nesciens quid in illo ipsi eventurum esset. Quadrigæ Aminadab sunt quatuor affectus. Aminadab Dux fuit de tribu Juda qui primus insiliit in mare divisum à Moyse ut scribit Cornel. De eadem tribu Christus, insiliit in mare rubrum: quadrigæ sunt tristitia, timor, tædium, dolor. Jam dicit. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus*? Amisit paradisum Adam, doluit; plus dolet Christus. Timuit Susanna in horto, magis Christus. Doluit Magdalena de sua amissa anima magis; de nostra Christus. S. Th. 3. p. q. 46. a. 5. *In patientibus mitigatur tristitia interior ex aliqua consideratione rationis.* Hoc modo mitigabat Adam, spe Messiæ. S Th. l. c. *Quod in Christo patiente non fuit: quia unicuiq; virorũ permisit agere quod est sibi proprium.* Ut veluti amisso loro quadrigæ currerent. Tristitia aliquando in

do in

do in morbos & mortem deducit. Nulla fuit major quàm in Christo. Idem de dolore & tædio. Timuit mortem Susanna. *Angustiæ sunt mihi undiq;*, timuit mortem sed non tam crudelem ut erat futura Christi. S. Th. l. c. de vita Christi ait. *De cujus amissione etiam ad horam, magis esset dolendum, quàm de amissione vitæ alterius hominis ad quodcunq; tempus.* Dolebat Magdalena de amissione animæ suæ, sed major dolor est Christi de amissione unius animæ, quàm cujuscunque hominis. Nemo enim ita animam amat atque Christus. De tot verò doluit, quot amavit, id est, de innumeris quæ erant perituræ. Dolebat præterea pro peccatis omnium, quia omnium gessit Personam. Dolor potest mortem adducere, ut patet in aliquibus pœnitentibus, & in illa Puella de qua Stengel lib. de Judiciis Divinis. Hæc post multa scelera, etiam cum Patre lapsa in incestum, ac desperabunda, in omne vitium. Accessit casu de misericordia DEI concionantem. Quærit abeuntem ex cathedra, & inquirit, an ita sentiret ut dicebat, affirmat concionator, confitetur puella deliberat de imponenda pœnitentia confessor. Illa suspicata est, illum de suorum peccatorum remissione dubitare, instruit confessor de eo quod in re erat, & quòd constituerit se illi in pœnitentiam daturum ut cras concioni interesset. Lapsa in lachrymas, & statim in mortem. Hoc dolor fecit, quantus hic fuit in Christo! pro omnibus non pro uno doluit. Quid ad hæc illi qui de propriis non dolent? Ezech. 24. *Nimio labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo ejus neq; per ignem. Malitia tua execrabilis quia mundare te volui & non es mundata à sordibus tuis.*

CONCIO LVIII.

De Comprehensione Christi.

POstquam suorum lavit pedes, postquam se in Sacramento illis tradidit, aliam ejus traditionem exorsus est Judas. Ita Christo ejus bonitas solvitur. Aug. tr. 55. in Joann. *Passurus exitia præmisit obsequia, non solùm iis pro quibus erat subiturus mortem, sed & illi qui eum erat traditurus ad mortem.* Cur Domine Judam non percutis leprâ Giezi? Cur à terra non absorbetur ut Abiron? magis iste reus. Sed jam vadit Dominus in hortum ut etiam pro Juda oret, vadit Judas ut Dominum tradat, consideremus utrumque.

Revelatum B. Agathæ à S. Cruce Ord. Prædic. quòd orando in horto Christus ter sudorem fuderit. 1. Frigidum velut agonizans. 2. Tenuem sangvineum. 3. Guttas sangvinis. S. Bern. serm. 27. in Cant. *Quantùm anima Christi charitatis igne in intimis bulliendo ferveret, scaturitie sangvinis clarius manifestat.* Ita ferventer orat. Sed Judas accedit ut tradat August. tr. 112. in Joann. *DEUS latebat in carne, & sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis & facibus quæreretur occidendus à tenebris.* Venit ergò Judas cum facibus. Sed quid agis? ah quid affectus nostri non agunt dum sibi permittuntur! voce. *Ego sum*, ad terram prosternuntur, nec se recolligunt, quis non cogitaret, DEUM esse, cujus duo verba tantùm possunt? Ego sum, sine quo nihil potestis. Ego sum qui qui sum, & cùm hæc diceret Christus, ait S. Hieron. epist. 104. quòd lux mira quædam de facie illius micuerit, quæ retrò egit Judæos. O quis daret nobis lumen, ut Majestatem DEI apprehenderemus! Accedit Judas statura pusillus erat, ut propterea ad illum Christus petentem osculum, se inclinaverit, ut est 4. Revel. S. Brigit. cap. 64. Pharisæus miratur quòd Christus

ſtus Magdalenam ad ſuos pedes admiſerit, jam Judam ad oſculum admittit! Clem. Alex. lib. 2. Pædag. 9. *Eſt quoddam oſculum inceſtum, veneno plenum, ſanctitatem ſimulans. An neſcis, quòd phalangia ſi tantùm ore tangunt graves dolores hominibus afferant?* Fuit oſculum Judæ *inceſtum*, quia plusquam Patri contumeliam intulit. &c. Quare Judas poteſt dici araneus phalangius. Non repulit hunc araneum Chriſtus à labiis. *Amice*, ut nemo deſperet. Arabicus textus legit. *Amice, heu ad quid veniſti?* heu tradis me carnificibus. Non cogitas quo devenies? Non infectum cor Domini amaro ore Judæ. Dulcis es Domine, maledictus amor qui non tendit in te. *Juda oſculo tradis.* De quo Ambr. in Luc. *Oſtendiſti Domine quem proderet, dum occulta manifeſtas; oſtendiſti quem traderet, dum dicis, filium hominis.* Sed quid? *Illud tamen confutat plùs ingratum, quòd eum tradiderit, qui cùm eſſet Filius DEI, propter nos Filius hominis eſſe voluiſſet. Quaſi diceret. Propter te ſuſcepi ingratè quod tradis.* Quot & modò ingrati? gratiam DEI contra DEUM vertunt dona, talenta, &c. Quare Iſai. 45. queritur. *Servire me feciſti in peccatis tuis.* Gratiis à me datis contra me abuſus es. Jam lictores ipſe provocat. Luc. 22. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Me vobis trado. David audito quod Abſalon appropinquaret, 2. Reg 15. ait. *Surgite fugiamus.* Chriſtus verò adveniente Judâ, *Surgite eamus.* Joann. 18. *Sciens quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit.* Dubios interrogat, *Quem quæritis? Ego ſum.* Tum milites & illum exerunt furorem quo imbuti fuerunt à Sacerdotibus, & eum quem conceperunt, tum in terram prociderunt: tum quia ſpectabant principales qui illos adduxerant. Sic agitur cùm aliqua domus per tumultum capitur unus per alium ruit. &c. Job. 30. *Quaſi rupto muro & apertâ januâ irruerunt ſuper me.* Quare credibile eſt illum ad terram illiſum, conculcatum. Cum Joſve victos Reges è caverna

verna extraxisset, jussit milites ut eorum capita calcarent, & fuit summus contemptus. Hic calcatur cui Pater promisit. *Ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Grave est subjici inimico, & dicimus, nunquam obtinebit à me ut illum venerer. Tale cor hìc damnat Christus. Ligantur post tergum manus, & quidem arctissimè, dum metuunt ne evadat. Quid facis o nove Samson. Jud. 16. *Philistini super te.* Sed Christum jam antea vinxerat amor. Gen. 22. describitur Isaac immolatio. *Cùmq́, alligâsset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.* Cur alligavit? Nam Aug. & Ambr. asserunt, quòd Isaac postquam cognovit DEUM velle ut immolaretur, etiam ipse idem voluit. Respondet Rupert. lib. 6. in Genes. *Et DEus Pater suum colligavit Filium, verùm non imbecillitatis vinculis, sed magnæ charitatis imperio.* Id figurabat Isaac. S. Bern. de Passione c. 4. *Video mentis oculis te Domine JESU tam duris nexibus adstrictum tanquam latronem trahi ad judicium Principum Sacerdotum. Video, & perhorresco & admiror, & admirando deficerem, nisi quòd langvidè cognosco, te priùs, in corde charitatis nexu fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leniter attrahere potuit.* O amor! Leo V. Papa ut scribit Platina, cùm videret se dolosè vinctum à suo domestico, præ dolore mortuus. Idem accidit Bonifacio XII. cùm à quodam rebelli fuisset ligatus. De quo Fulgor. lib. 4. At Christus &c. De providentia DEI circa Joseph vinctum scribitur Sap. 10. Hæc *justum venditum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum, descenditq́, cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.* At justissimus Christus est quasi derelictus. &c. Certè Ambr. lib. de Joseph. c. 5. *Non turbentur innocentes cùm falsis criminibus appetuntur, cùm oppressâ justitiâ traduntur in carcerem. Visitat DEUS & in carcere suos, & ideò ibi est plus auxilii, ubi est plus periculi.* Non liberatus Christus ut Joseph; Planè factum est

quod

quod Pſ. 70. *Qui cuſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in unum, dicentes, DEUS dereliquit eum, perſequimini, comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* Non tranſibit ampliùs per medium eorum, ceſſârunt miracula, &c. Sunt etiam vincula in quibus hæret peccator. Rumpe. Prov. 5. *Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.* Sed tu Domine rupiſti, niſi nobis ipſi de novo illa paremus. S. Bern. de paſſione c. 4. *Gratia ſit vinculis tuis bone JESU quæ noſtra tam potenter diruperunt.* Id. ibid. c. 44. *Confortare nunc & elevare anima mea miſera & infirma, & alis fidei ac ſpei ad hunc hortum charitatis enitere.* Tradidit ſe Chriſtus propter me. Non exauditus à Patre propter me. 1. Cor. 5. *Eum qui non noverat peccatum, fecit peccatum pro nobis.* Induit eum velut Jacobum pellibus hædorum. Gen. 27. de quo S. Aug. lib. contra mendacium c. 10. *Per hædinas pelles peccatum, per eum verò qui eis ſe operuit, ille ſignificatus eſt, qui non ſua ſed aliena peccata portavit.* Confuſus eſt ut caſtiſſimus adoleſcens ſi quid illi turpe impingatur. Et tu homo, & tu peccator confundere, cogita in quibus es funibus. *Gratiam Fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam.*

CONCIO LIX.

De nocte Chriſti apud Annam & Caipham.

DUcitur ad Sacerdotes Chriſtus in catena veluti latro. compatior. Humilio me ſub hac humilitate, humiliare & vos ſub præceptis Domini. Significaviſſet aliquis Matri DEI, quid ageretur de Filio, & ſine dubio innotuit illi, O quis dolor! ſed Chriſti contemplemur dolorem.

Ducitur Chriſtus ad Annam, fortaſſe hic Princeps juxta æquitatem judicabit, Videt modeſtum Chriſtum. Interrogat de doctrina, utique Chriſtus per triennium docuit, quomodo

modo ejus doctrina potuit ignorari? Joann. 18. *Ego palàm locutus sum mundo.* Et ecce alapa impingitur. Cur Angele non detines manum qui dextram Abrahæ detinuisti? Cur non auditur vox Pauli ad Annam se colaphizantem? Act. 23. *Percutiet te DEUS paries dealbate.* Verè Annas juxta nomen suum, *affligens* vel *humilians*. S. Chrysost. dum hanc considerat alapam in Joann. hom. 10 Sic exclamat. *Exhorrescat cælum, & contremiscat terra. O Angeli qui hæc intuemini quomodo siletis? quomodo manus vestras continere potestis? An hoc ita facitis quòd attonitos vos faciat tanta insolentia?* Isai. 5. Cherubim non poterant intueri faciem DEI. Sed etiam hoc ipsum hodie factum præ stupore. S. Ephrem serm. 3. de Passione. *Angeli, Archangeli, obstupuerunt: Gabriel & Michaël vultum suum contexerunt, quando ille impietatis minister alapam dedit Domino Majestatis.*

Malchi hoc fuit opus ut scribit Chrysost. & Euthim. Malitiam suam palliare voluit hic impius, quando dixit. *Sic respondes Pontifici?* Sed hoc dicit post inflictam alapam, & caussam post factum. Ita faciunt illi qui DEUM blasphemant, de quibus Salvian. Si *æstus est, de arriditate causamur; si pluvia, de inundatione conquerimur: si infæcundior annus est, incusamus sterilitatem; si fæcundior, vilitatem. Adipisci abundantiam cupimus, & tandem adepti accusamus. Quid dici hâc re improbius, quid contumeliosius potest?* Dedit alapam Malchus, sequuti alii ut signum. Dixit Petrus Cellensis. *Quàm pulchras & decoras novit formas fingere dilectio!* Ecce quàm tristem fingit in Christi facie? effinguntur digiti in vultu, livor, sputa. Veteres Rabbin. ut scribit S. Hieron. dum legerent in Prophetia futuras Christi calamitates, dicebant. *Veniat Messias, sed nos non videamus eum.* Facies in quam Angeli desiderant prospicere, deturpatur Aug. *Si cogitemus quis alapam acceperit, nonnè vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terrâ*

debi-

dehiscente absorberi, aut correptum dæmonio volutari. Quid autem horum per potentiam jubere non potuisset per quem mundus factus est, nisi nos patientiam docere voluisset, & nisi nos diligendo, semetipsum pro nobis tradidisset? Sed quare Domine tunc non ostendisti tuam manum? Orabat olim David. *Exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus.* Sed dum sustinet Christus, oritur clamor. *Reus est mortis.*

Jam apud Caipham Dominus. Judices memineritis doctrinæ S. Ambr. in Ps. 118. *Nihil fiat ex proprio arbitrio, sed juxta leges, & jura pronunciet, nihil paratum & meditatum domo adfert sed sicut audit ita judicat, obsequitur legibus non adversatus, examinat merita causæ non mutat.* Nox omnia mutavit, de qua S. Hieron. *Funesta illa nox nunquam nisi in die judicii aperiatur.* Quid Arcæ Domini & Dago? Ducitur Christus ad Caipham, sed nunquid sub illo accenditur sella sicut sub Valente Imp. Cùm noluit assurgere S. Basilio; de quo Theodoret. lib. 4. Adjuvat Christum, fateatur an sit filius DEI? Fatetur propter reverentiam nominis DEI. *Tu dixisti. Ego sum.* Damnatur, *blasphemavit.* Quid agis Caipha? Interroga tot sanctos, an non dicent Filium DEI? Quære ex Lazaro paulò antè suscitato. Sed Caiphas totus in hoc. *Blasphemavit, reus est mortis.* Dixisset potiùs, *Reus est amoris.* Amor coëgit ut se Filium DEI fateretur. *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis ceciderunt* &c. De quo Tertull. lib. de patientia cap. 8 *Taceo quòd figitur, in hoc enim venerat: nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despicitur, verberatur, irridetur.* Fassus se DEI filium omnia videntis, at illi percutiebant oculis ligatis, *Prophetisa quis te percussit?* Faciebant alia quæ sunt contra divinitatem. B. Laur. Justinian. de triumpho Christi c. 14. *Mirabantur planè cœli, mirabantur Angeli, omniumq; cœlestium spi-*

rituum legiones, videntes verbum per quod facta sunt omnia, contemni à perfidis. Sapientiam, hominum super se socordissima sputa recipere: undiq; DEI Filium attritum despectum, agitatum, illusum. Et paulò post. *Obtexit cruor defluens imaginem vultûs, sputa humanam deturpavêre formam, sicq; factus est opprobrium hominum,* Petrus illum non agnoscit. *Non novi hominem.* Caiphas idem est, quòd, *Vomens ore,* vel *Vomitus oris,* evomuit in Christum. *Reus est mortis.* Dixisse debuerat, Reus est venerationis, quia adjuratus, etsi cum suo periculo, non tacuit se esse Filium DEI ob reverentiam juramenti corrigamus Caipham, veneremur, amemus Christum, nec à veritate recedamus etiam metu mortis. Detraxit Caiphas sanctificati. Nos Christo cum Seraphinis canamus. *Sanctus.* &c. Detraxit Omnipotentiæ, nos timeamus Omniscientiæ, nos tanquam si eum non cotemplãtem videremus, agamus, agnoscamus præcipuè bonitatem, hanc offuscare cum suis satellititibus non potuit Caiphas, cùm cœtera attributa Divina voluisset extingvere. De nemine se vindicavit, nulli se opposuit. In verba Jerem. 18. *Foderunt foveam animæ meæ.* S. Bern. serm. in feria 4. S. Hebdom. *Planè foderunt impatientiæ foveam, occasiones indignationis plurimas & permaximas ministrantes, sed horum fovea ad abyssum mansuetudinis tuæ terminata, retribuentes mala pro bonis, foderunt foveam, sed charitas non irritatur, non præcipitatur, non excidit.* Sciat peccator cùm irritat bonitatem DEI, Matth. 26. quòd, *A modo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis DEI, & venientem in nubibus cæli.* Sanctitatem agnosces, cùm videbis sedentem à dextris DEI: Omnipotentiam, cùm *à dextris virtutis:* Sapientiam, cùm Judicem. Leo serm. 1. *Quid jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* uno verbo, *Ego sum,* prostravit cohortem. Judæi pro alapa Christo inflicta, ut scribit Orig. apud

Cornel. *Æternam alapam acceperunt* dati in opprobrium toti mundo. Qui sunt ex progenie eorum qui Christum conspuerunt, non possunt spuere nisi in suam faciem. Caveamus & nos spuere in Christum, & colaphisare. August.lib.11.qq. in Evang. *Quod dictum est, spuerunt in faciem ejus, significavit eos qui ejus præsentiam gratiæ respuunt. Item colaphis eum cædunt, qui honores suos illi præferũt.* Et in alio loco dum idẽ quærit, an adhuc sint qui Christo illudãt, respondet. *Utinam* unus *esset, utinam duo, utinam numerari possint! Hoc vobiscum gemere volo.* Sed etiam idẽ in Ps. 21. *Satis est de ludo, res seriò agitur, Christus Judex est.* Satis perjure &c. Christus judicat, & puniet quomodo hos apud Caipham irrisores suos, de quibus teste Hugone Cardin. Ps. 34. *Avertantur retrorsum, fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos.* Cadunt retrorsum ut non videant quò cadunt, nec facilè surgant. Ut *pulvis* in vento tentationum. *Angelus coarctans* per remorsum conscientiæ, in tenebris velut per glaciem lubricam incedunt, & Angelus impellit. Quare, pœnitentiam agamus. *Satis est de ludo res seriò agitur, Christus Judex est.* Imitemur Petrum qui etiam tunc corruit, sed surrexit. Gratias agamus quòd cum pœna non properet Christus.

CONCIO LX.

De Christi Denudatione.

CUm Christus denudatus, quis oculos in cœlum attollet? nos causa hujus confusionis. Tenebræ sunt optandæ Ægyptiæ quæ Dominum operiant, quæ nos tegant. Cùm Abner Dux Saulis profligatus fugeret Joab Ducem Davidis, illique acriter insisteret frater Joabi Asaël, dixit Abner. *Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem*

ciem meam ad Joab fratrem tuum. Quid nos? Christum expoliavimus. Cum Aug. in soliloq. clamare debemus. *Ira omnipotentis DEI ne irruas super me, quia non potero sustinere te.* Gen. 37. *Jacob cognitâ morte Joseph indutus est cilicio lugens filium suum, per multum tempus.* Hoc est, ut Pererius scribit, per annos 23. & ita luxit, ut Philo dicat. *Dolore turbatus obmutuit longo tempore, nec caput quidem volens attollere supra tantam calamitatem.* Quid verò modò, & quàm justa sit luctûs causa, aperiam.

Quantùm doluit hæc Christo denudatio dum alligandus esset columnæ, ipse ostendit apud Jerem. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.* Nemo paupecior quàm omnibus nudatus. Duo dicit Jerem. Et virga flagellationis, & nuditatem. Cùm quis diversis morbis affligitur, de illo magis queritur à quo magis torquetur. Christus quasi non curaret flagella queritur de nuditate. *Videns paupertatem meam.* Syrus legit, pro, *Ego vir videns.* Ita. *Ego DEUS videns.* Videte quid mecum agatur, in foro Jerosolymæ denudor ego qui tego floribus terram &c. Mihi hanc reservo confusionem, vos non capitis *Ego videns.* Confusio magis affligit quò magis agnoscitur. *Ego DEUS videns.* Quod unus non æstimat, alter plurimi facit. Anima Christi habuit scientiam supernaturalem, habuit & naturalem quàm in ullo homine perfectiorem. Quare meliùs hanc confusionem ex denudatione quàm ullus alius penetravit. Quare Isai. 53. Postquam crudelem descripsit flagellationem. *Vidimus eum & non erat ei aspectus, & desideravimus eum despectum, & novissimum virorum*, addit *scientem infirmitatem.* Satis fuerat dixisse. *Non erat ei aspectus*, Cur addit *scientem* &c. quia cognitio mali quod quis patitur aggravat. Sed cur Domine hanc paupertatem dicis *tuam*? an quia omnia in nos expendisti? an quia in te

in te nostram suscepisti pauperiem? sed insuper quia illa denudatio fuit tua propria pœna. Nemo Martyrum SS. nudatus ita suam confusionem cognovit, proinde nemo ita confusus. Omnium impudicitiarum sustinuisti confusiones. Jacob. Gen. 28. Licet haberet in proximo amicam civitatem, noluit in eam descendere, sed in saxo quievit in campo. Quia ut Burgensis. *Pauper exierat ex domo Patris.* Tantum valuit pudor. Noverant Patrem illius, qui erat dives. Et tu Domine? illum puduit comparere coram civibus Bethel, & tu coram Jerosolyma? Primi peccatores Adam & Eva non sustinentes confusionem quando se cognoverunt nudos, sub arborem confugerunt. Tunc verè 1. Reg. 5. *Facta est confusio mortis*, æqualis morti. Indutus veste hostium DEI. Ps. 108. *Induantur sicut diploide confusione sua.* Ubi est Sem & Japhet qui tegant Patris nuditatem? Omnes sunt Cham, irrident, cadet super illos maledictio. *Maledictus Chanaan, servus servorum erit.* Quid nos? Vestis Christi castitas est in omni statu. Apoc. 16. *Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne ambulet nudus.* Nudus coram DEO quem non vestit virtus. Sustinet hanc nuditatem Christus. Theodoretus dum considerat 2. Reg. 6. Davidem coram arca saltantem & irrisum à Michol uxore, ait. *Nesciebat Michol Divini amoris stimulos quibus Rex urgebatur ut omni modo laudaret Dominum.* Non noverant Judæi vim in Christo amoris. Revelatum S. Birgittæ. *Ad columnam alligatus nihil omninò operimenti habebat, sed sicut natus est sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ.* Jussa est S. Agnes denudari sed capilli subitò in tantum excreverunt, ut eam totam texerint. At Christus, *sicut natus est sic stabat*, Vidit seminudum Filium prodigum Pater, & statim exclamavit Luc. 15. *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* De quo Chrysost. serm. 3. *Sustinuit filii crimina qui non sustinuit nuditatem.* At Christus

patitur quod dictum ad Niniven Nahum 3. *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam. Et projiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.* Pudet impudicum confiteri, pudet homines. Propter te Christus datus in exemplum. Sed faciet tecum DEUS quod cum illo, de quo 2. Reg. 12. *Tu fecisti in abscondito, ego autem faciam verbum istud in conspectu Israël, & in conspectu solis.* Lamentatur modò Christus Jer. 20. *Quare de vulva egressus sum ut viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei.* Ecce novus Job 1. *Nudus egressus sum de utero matris meæ nudus revertar.* Novus Adam, sed qui non peccavit, confunditur. Impuri Dominum spoliârunt. Væ illis. Avari spoliârunt. &c.

CONCIO LXI.

De Christi Flagellatione.

QUod Angelicus capere non potuit intellectus, Verbum caro factum est, tanta gratia facta est homini! *Dilexit nos,* Ephes. 5. Et quid ampliùs præter incarnationem? *Tradidit semetipsum pro nobis.* S. Th. de Villanova Conc. 3. in Natali D. sic alloquitur Christum. *Quis, ne dicam hominum, sed neq; Angelorum qui à seculo vident te, amoris tui immensum pondus & ardentissimam vim cognoscere posset, quòd sic amares, ita diligeres, ut teipsum cruci, & morti exponeres. Excedit, exuperat modum hæc charitas Domine, quàm in nostra redemptione monstrâsti, omnem scientiam & omnem sensum.* Cui creaturæ id factum? Sed quid illi reposuit creatura? omissis aliis in præsens, de sola flagellatione loquar. Prodidit Samsonem Dalila, prodidit Christum Synagoga hostibus. Poterat veluti Nabothum lapidare. Pilatus dicit. *Nullam causam invenio in eo.* Sed Ambr. serm. de Susanna, *Quid prodest testimonium perhibuisse innocentiæ,*

centiæ, & velut reum addixisse nequitiæ? Damnatur ad columnam ut furcifer, denudatur coram impudicis. Pateris hæc Pater? nos rei. Texisti nube populum in mari rubro, non teges Filium? Texisti Moysen & Aaron contra rebelles. Unicus iste est tuus. Tabernaculum tuum nube gloriæ contexisti. Ad flagella, ad virgas damnatur Filius! ligatur ad columnam, & ut in Revel. dixit B. Virgo S. Birgittæ, *Brevi tempore filius meus tanquam leprosus apparuit.* Totus unum vulnus. Docet S. Vinc. Primò fuisse Christum cæsum virgis, deinde spinis, cum aculeatis catenis. Dion. Carthus. de agone c. 14. Ait ita cæsum ut ossa paterent. Sed & Ps. ait. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Sicut pro fabrica fecerunt fossas. S. Amb. legit. *Araverunt peccatores.* S. Virgo Gen. 67. *Vide utrum tunica filii tui sit an non*? Hoccine est corpus quod de te accepit? Fera pessima devoravit filium tuum. Certè Judæi cùm advertissent quód Pilatus voluisset servare Christum, egerunt ut intra flagra moreretur. Cùm templum Salomonis extrueretur, non auditus est malleus &c. cùm templum, id est Christi corpus destruitur non auditur ulla querela. Psalm. *Te decet hymnus DEus in Sion.* Alii legunt, *Te decet silentium.* Et hæc fiunt propter nos Ps. 45. *Propter te sustinui opprobrium, confusio operuit faciem meam.* De quo August. *Nihil magnum est, quod dicitur, sustinui opprobrium, sed quòd dicitur. Propter te sustinui hoc valdè magnum,* propter nos, &c. *Jam venite & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram.* Quæ prodigia? Respondit S. Bern. serm. 4. in S. Hebdom. *Flagellis cæsus est filius DEI.* O prodigium amoris! amemus & nos. Religatur à columna corruit Christus, ut est apud S. Birgit. 4. Revel. 7. Sed pedibus in terra conculcatus, & factus est Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus meus.* Instar botri pedibus pressus. Ampliùs. Aug. serm. de passio. *Postquam solutus fuit à columna, illum in terram prostra-*

proſtraverunt, & humi jacentem acerrimè flagellârunt. Exclamamat Laur. Juſtinianus. *O charitas quàm magnum vinculum tuum, quo DEUS ad columnam, ligari potuit? Nullum vinculum DEI Filium ad columnam ligare potuiſſet ſi charitatis vinculum defuiſſet.* Dum prædicat Scriptura 2. Reg. 18. amorem Jonathæ erga Davidem, dicit. *Diligebat eum ſicut animam ſuam. Expoliavit ſe Jonathas tunicâ quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta ſua, usq; ad gladium ſuum, & arcum, & baltheum.* Sed Chriſtus nos inimicos dilexit, ſpoliavit ſe gladio, id eſt, potenciâ. Omnes veſtes abjecit, cæſus. Bonav. medit. de paſſ. c. 76. *Divinus ſangvis ſaltavit per aëra, caro illa innocentisſima, tenerrima, flosq; omnis carnis & naturæ humanæ repleta fracturis, & ſpiſſatus livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam.* Juxta Iſai. 10. *A planta pedis usq; ad verticem capitis non fuit ſanitas in eo.* Sed etiam ipſa B. Virgo ita revelavit Birgittæ. *Vidi corpus ejus perforatum usq; ad coſtas, ita ut coſtæ ejus paterent.* Quid per hæc foramina videbimus? peccata noſtra, pœnas impurorum. Romanus Juvenis quidam Julius nomine impurus dum has plagas fuiſſet intuitus, non reſipuit quare in agone ſuo jactantem Chriſtum in ſe ſangvinem, & dicentem audivit: *Sangvis meus ſit tibi in perditionem.* Hortenſia verò complex vitæ Julii, reſipuit. Caveamus, Aug. Manual. c. 20. *Per foramina corporis patent arcana cordis.* Patet miſericordia, accedamus. Videamus quomodo nos dilexit, & ipſi diligamus. Non prætereamus hanc columnam tanquam viatores. *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus?* Quidquid cogitaveritis dolorum, non eſt ſicut dolor Chriſti. Ne queratur. *Suſtinui qui mecum contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur, & non inveni.*

CON-

CONCIO LXII.

De CHRISTI Corona spinea.

VIx à columna solutus Christus, vix vestem assumpsit, & ecce de novo spoliatur, & quâdam purpurâ ad ludibrium induitur. Quis hoc fieri jussit? O Domine, *Causa tua quasi impii judicata est*, veluti affectatorem regni illudunt, & quis illusiones illas enarrabit? Laur. Justin. de agone c. 24. *Mirabantur planè cœli, mirabantur Angeli, omniumq́; cœlestium spirituum legiones, videntes per quod facta sunt omnia, contemni à perfidis: sapientiam hominum super se sordidissima sputa recipere, undiq́; DEI Filium despectum, agitatum.* Sed quasi parum sit inflictum vulnerum, nova illusionibus miscentur. Coronatur spinis. Hoc consideremus.

Spinis coronatur Dominus. Quid agis Pilate? ubi Romana justitia? cur insontem non protegis? omnium manu flagellâsti, omnium manu coronas. Facis ipse dum non prohibes, quod teneris prohibere. Ambr. in Luc. 23. Nihil per hanc coronam lucrati estis milites nisi quia & ipsi confessi estis Christum esse Regem. *Salutatur ut Rex, coronatur ut victor, quasi DEUS & Dominus adoratur.* Data est & arundo in manus. *Ut humana fragilitas jam non sicut arundo à vento moveatur.* Mirabilior es Christe in his spinis quàm in rubo Moysis. Recepisti peccata terræ. Gen. 4. *Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi.* Recepisti in te maledictionem nostram. Infelices qui te non agnoverunt, cùm te coronatum ostenderet Judex. *Ecce homo.* O verè Cant. 20. *Caput ejus aurum optimum.* Fodinam fecerunt. Jam impletur Exod. 2. *Caput ejus cum intestinis vorabitis.* Caveant superbi quorum opus est ista coronatio. Ps. 68. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, spinas post flagra; *Appone iniquitatem super iniquitatem eo-*

rum, & non intrent in justitiam tuam. Sciverat dæmon quòd planta hominis erat caput ejus contritura, Gen. 3. Præoccupare voluit conterendo spinis caput Filii hominis, sed caput hoc Ps. 17. factum *in caput gentium*, dum ita vulneratur; & caput dæmonis est contritum. Advertant ad hoc superbi. Data est arundo illi, cui dixit Pater. Ps. 2. *Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli confringes eos.* Pater cœlestis Isai. 22. *Coronans coronavit eum tribulationibus*, ut nos coronaret miserationibus. Et nos in hoc mundo volumus coronari solatiis! Judic. 9. In parabola refertur quòd arbores voluerint sibi creare Regem. Miserunt ad Oleam, respondit. *Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusq; suavissimos?* Invitârunt vitem ad coronam, at illa. *Nunquid possum deserere vinum meum?* Miserunt demum ad rhamnum, at ille. *Si verè me Regem elegistis, venite, & sub umbra mea requiescite: Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Jam regnat in Christi capite rhamnus. Jam Christi hostes Ps. 17. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Sed spinæ Judaicæ sunt consumptæ, & reliquæ Christianis subjectæ. Lactant. lib. 4. c. 16. de vera Sap. *Corona spinea capiti ejus imposita, declarabat fore ut Divinam sibi plebem de nocentibus aggregaret. Nos autem qui ante DEI cognitionem fuimus injusti; spina, id est, mali, & nocentes eramus, Ejecti ergo ex dumis & sentibus, sanctum DEI caput cingimus, quia convocati ab ipso & circumfusi undiq; ad eum, Magistro ac Doctori DEO assistimus, Regemq; illum mundo, & omnium viventium Dominum coronamus.* Velut *corona populi.* Ecce quid spinæ effecerunt? Hieron. in Marc. 13. *Coronâ spineâ capitis ejus nos regnum adepti sumus.* Non fugiamus interim pati spinas. Non jungamur illis, qui continuò canunt. *Venite coronemus nos rosis.* Potiùs auscultemus S. Bernardo. serm. de omnibus SS. *Pudeat sub spinoso capite membrum esse delicatum.* Dedit hujus rei ex-
emplum

emplum miles. De quo Tertull. lib. de corona. Cùm tempore Severi & Aurelii Imp. Alii milites uti victores coronati incederent, prædictus in manu illam tulit, & causam facti dedit. *A ratione alienum est, ut qui audierimus Dominum spinis coronatum fuisse, ipsi, venerabili Domini passionis per ludum insultantes, habeamus redimita floribus capita.* Consideremus quæ Dominus patitur, livet facies, nigrescunt labia &c. Ipse Pilatus conspectu illius putavit posse mitigari plebem. *Ecce homo.* Id solùm ipsi remanserat quòd esset homo. Si fuit spectaculum unquam flebilius? 2. Reg. 15. Dum excederet Jerosolymis David fugiendo filium. *Flebant omnes voce magna.* Causam dat Abulen. *Totus populus flebat sicut videbat flere David.* Lachrymæ Davidis id poterant, quid Christi? Auditâ Jobi calamitate cap. 2. Amici, *Exclamantes ploraverunt, Scissisq; vestibus sparserunt pulverem super caput suum*: Et tamen Reges erant, quid Christus? 3. Reg. 20. Victus Benadad Rex Syriæ misit Legatos ad Regem Achab vestitos sacco, fune injecto collis, visis illis Achab impius, misertus, vitam donavit, Regem eorum in amicitiam recepit. Mirabilior hodie Christus, non compatiemur? Genes. 48. *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.* Si homines ad spinas non attendunt, quis attendet? An DEUS Pater? hic iratus. An Mater? de illa Amedeus homil. 5. *Torquebatur magis quàm si torqueretur in se, quia supra se incomparabiliter diligebat id, unde dolebat.* Vos attendite homines. *Ecce homo* Nec nisi propter te homo, propter te passibilis. Ecce homo *minoratus paulò ab Angelis*, cæterùm illis major. Homo qui veniet *ut unicuiq; reddat secundùm opera ejus.* Hic est homo, quem ubi conspexerint mali clamabunt. Apoc. 6. Montes, *Cadite super nos & abscondite nos à facie sedentis super thronum & ab ira Agni.* Modò est Agnus, tonsus à Judæis. Isai. 53. *Tanquam agnus coram tondente se obmu-*

obmutuit. Dum agnus in spinis, videamus hanc visionem magnam, magnam præ dolore, sed satis dolorum, utere Domine potentiâ. Ps. 71. *Convertatur dolor ejus in caput ejus & in verticē ejus iniquitas ej⁹ descendat* Quando jussu Antonini Imp. S. Potito M. caput clavo transfixum dolor vers⁹ est in caput Cæsaris ut clamare cogeretur. *Miserere mei serve DEI Potite, miserere mei.* Descendit dolor spinarum in caput impii. Abac. 3. *Egressus es in salutem populi tui, egressus es in salutem cum Christo tuo.* Hoc in ista fit vita sed postea. *Percussisti caput de domo impii, denudâsti fundamentum ejus usq; ad collum. Maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus venientibus ut turbo ad dispergendum me,* Domus impii Annæ, Caiphæ, &c. capita populi, percussi, ex fundamento thronus evulsus, bellatores veniebant ut turbo, dispersi ut arena. Videte quid eveniat illis qui caput Christi spinis coronant. Tardè, sed graviter punit. Sed Eccles. 5. *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi triste accidit? Deus enim patiens retributor est.*

CONCIO LXIII.

De Christi ad Crucem condemnatione.

NEc apud Herodem voluit Christus facere miraculum ut se liberaret, nec apud Pilatum suam jactantem potentiam dissimulavit unde illam haberet. *Non haberes potestatem ullam nisi tibi datum esset desuper.* Non habuisset Pilatus sed Christus *dilexit nos, & tradidit semetipsum.* Damnatur ad crucem, seipsum tradidit. Cantic. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, medium charitate constravit.* Ecce Christus in throno. Libanus idem quod candidus, de candido affectu erga genus humanum. Columnæ argenteæ, clavi. Reclinatorium aureum charitate, ascensus purpureus præ sangvine, S. Bern. *O bone JESU quid tibi & morti? nos debitores*

sumus:

sumus, & tu solvis, nos peccavimus & tu luis Sed ante illum Aug. Medit. 8. *Quid comisisti dulcissime Puer ut sic judicareris? Quid comisisti amantissime Juvenis, ut sic tractareris? Ego iniquè egi tu pœná mulctaris, ego facinus amisi, tu ultione plecteris: ego crimen peregi, tu torturæ subjiceris?* Dilexit nos. In hac dilectione figamus oculos.

Amor sine dubio Christum Cruci affixit. Sed Bonav. in stimulo amoris quærit. *O bone Jesu quid fecisti quòd me ita amâsti? quare Domine? quare? quis ego sum?* Dilexit ad omnia quæ passus non aliud respondebo. S. Macarius Abbas Philadelph. orat. de exalt. Crucis. *Nihil est ex omnibus rebus creatis, quod nobis modo tam admirando, & tam perspicuè benevolentiam & humanitatem Christi proponat quàm Crux.* Redamemus Bonav. p. 2. stimuli c. 2. *O cor plus quàm lapideum! O cor non cor! cur non accenderis amore? O cor nequissimum, cor immanissimum, cor infidelissimum!* Debemus hunc amorem, Ambr. de Virgin. in Ps[29. *Quæ utilitas in sangvine meo dum descendo in corruptionem?* Ita loquitur. *Venit D. Jesus, suum sangvinem pro nobis obtulit: bonus servus deberet pretium reparare Domino suo, & sangvinem reddere. Sed si non potest reddere, vel hoc faciat ne pretio videatur indignus, ergo & tu dignum te gere tali pretio, ne veniat Christus qui te mundavit qui te redemit, & si te in peccato invenerit, dicat tibi. Quæ utilitas in sangvine meo?* Sed acriùs & æquè benè S. Aug. serm. 25. de temp. *Quanta iniquitas est, & quam lugenda perversitas, ut animam quàm Christus suo sangvine redemit, luxuriosus quisq; pro momenti delectatione diabolo vendat? Verè nimiùm plangenda & miseranda conditio!* Et rursus. *Qui Deum non amat quia ab eo creatus est dignus est inferno: qui verò non amat quia ab hominibus tormenta passus est, dignus est ut novus crearetur infernus.*

Promiserat Pilatus se post flagella Christum dimissu-

rum, flagellatus vel à tota cohorte, vel etiam à tota legione Bonav. Medit. de Pass. Christi. *Heu dulcissime Domine, mihi mihi debebantur flagella æternæ afflictionis, tu pro me flagellari voluisti ut me ab illis erueres. Heu dulcis Domine quomodo decor ille speciosissimus de sacratissimo corpore tuo abiit? Exitus aquarum deducant oculi mei, quia qui speciosus erat præ filiis hominum nunc totus efficitur deformatus.* Dixit Pilatus, *Emendatum dimittam,* Sed an fecit? Ex flagellatione ait Tertull. *Corpus Dominicum in terram dilapsum tanquam pilam pedibus sacrilegis exagitabant.* Hocne flexit populum? Spinis coronatus, an mota est misericordia? Ezech. 21. *Iniquitatem, iniquitatem ponam eam.* Præfertur Barabbas. Clamant crucifige. Justin. de agone cap. 15. *O spectaculum! O divinæ miserationis ineffabile signum! Videte Dei Filium, Angelorum gaudium, & cœlestis Jerusalem inextingvibile lumen, solem scilicet justitiæ, totum cruentatum, & squallidum astare coram universa Judæorum plebe. Tunc Prophetæ vaticinium completum quod in persona Domini pronunciatum sic. Ego sum vermis & non homo, opprobrium & abjectio plebis.* Paraphrasis Chald. *Sterquilinium Adæ, & infimæ plebis.* Ita de illo sentit Pilatus. Jam Chrysost. serm. 3. de myst. passionis. *Quid agis Synagoga damnabilis? justum sangvinem ducis ad victimam, & absolvi manifestum postulas homicidam, latronem judicas innocentem, & innocentem poscis ad crucem. Ille qui te occidit, tuo suffragio morti subtrahitur; & qui mortuos ab inferis suscitavit, te insiliente damnatur. Reus fit qui reus non fuit, & indemnis evadit qui olim damnari debuit. In utroque rea teneris, & exitio innocentis & absolutione latronis.* Ita sæpè DEO proponuntur nostri affectus, imaginationes, &c. Unde ipse Isai. 46. *Cui assimilâstis me, aut adæquâstis me, & comparâstis me, & fecistis similem?* Imò quid non præferimus DEO? præferimus nummos, vindictam, &c. Rom. 1. *Servientes creaturæ potiùs quàm Creatori.* Ita & Pilatus

Pilatus præfert gratiam Cæsaris etsi Christum affirmaret innocentem. Audivit regnum ejus non esse de hoc mundo, nihilominùs condemnat, Potes dicere Domine *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylva, dedit contra me vocem suam.* In lege Lev. 16. duo pro peccato offerebantur animalia, in unū deponebantur peccata populi, & in sylvam pellebatur, aliud imolabatur. Et ecce Barabbas, ut Hieron. in 15. Marc. *Cùm peccato populi in deserto inferni absolutus dimittitur, alter pro peccatis absolutorum tanquam agnus occiditur.* Absolvuntur & modò aliqui ut Barabbas. Ecce Esau & Jacob Gen. 25. Rursus prodeunt duo animalia Petrus & Judas. Petrus absolvitur, Judas perit. Prodit in eodem incendio scintilla lucens, & fuligo denigrans. Cave peccator, potes fieri Petrus, potes & Judas. Dictum Judæ. *Tu videris*, tu qualiter contractus fecisti &c. Sed damnatur Christus, Ambr. de Cœna Dom. serm. 3. *Consiste mecum in hac actione cominùs Judæa, dic mihi litis tuæ titulum, accusationis genus, crimen denuntia. Ecce in facto prædicata est traditoris, actor tuus confugit ad laqueum, pependit inter cælum terramq; medius vago funere suffocatus.* Clamant *crucifigatur.* Sed nos hoc ipsum protulimus. Clamavit nostra superbia, luxuria &c. clamârunt Sap. 2. *Contrarius est operibus nostris.* Quando Heliodorus 2. Mach. 3. direpturus erat templum Hierosolymis, cucurrerunt ad templum *virgines quæ conclusæ erant*, concurrerunt viduæ in cilicio. *Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni Sacerdotis in agone constituti expectatio.* Ecce modò templum DEI damnatur ad direptionem, traditur gentibus. Ubi estis S. Virgines? &c.

CONCIO LXIV.

De Christi Crucifixione.

VEnit tempus quo nobis Christus valedicet, o quantus dolor! Pater à nobis abibit & quidem in crucem. Hancne Chri-

né Chriſte labore annorum 33. emiſti? Hic omnipotentia evacuabitur &c. hic manus &c. Heu nos miſeros! hæc noſtra gratitudo? O utinam & DEI bonitatem & noſtram malitiam vobis ita poſſem depingere, ut hujus factâ deteſtatione illam amplecteremur!

Latum eſt mortis decretum. Joan. 19. *Bajulans crucem ſibi exivit.* Bajulat vulneratus, totus ſangvine ita perrfuſus ut agnoſci à populo non potuiſſet, niſi propriam induiſſet veſtem, nos ſimul cum cruce in humeros accipit Iſai. 63. *Indignatio mea ipſa mihi auxiliata eſt.* Quæ? quâ peccatis indignabar. Tigurina verſio, *Æſtus meus me fulciebat.* Amor. Volunt flere fæminæ prohibet. *Nolite flere ſuper me.* Sed quomodo id cohæret cum Pſ. 68. *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur & non fuit, & qui conſolaretur me & non inveni.* Reſpondet in hunc Aug. *Qui ſimul contriſtaretur, hoc eſt, ex eadem cauſa.* Mulieres, quia videbant vulnera: Chriſtus propter noſtra peccata, non flebant illæ ſuper filios ſuos malum patrantes. Venit in Calvariam, quia in ea ſepultus Adam idque ſimili die, ut ſcripſit Tertull. lib. 2. Carm. ſuper Marci 4. eâdem horâ ut Procop. in Geneſ. *Chriſtus amaram paſſiouem paſſus eſt, ipſis horis quibus Adam edit, ſcilicet ab hora ſexta.* Hoc eſt, incipiendo à meridie, nam poſt meridiem ad auram deambulabat DEUS, quærendo, *Adam ubi es?* Quis crederet? *Et crucifixerunt eum.* Ibi Deut. 31. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, aſſumpſit & portavit humeris ſuis.* Scribit Aggellius in Exod. 19. Quòd aquila cùm docet pullos volare, ponit eos ſupra alas ſuas, ut ſi quis velit ad eos jaculari, potiùs parentem configat. Ita Chriſtus. Impetebant lingvæ. *Si Filius Dei eſt deſcendat de cruce.* &c. Recepit hos ictus ne ad nos pervenirent. Percuſſus lanceâ, nos non dimiſit. clavi &c. Videbat hæc Mater. S. Bern. de lament. B. V. *Quod in carne Chriſti agebant*

gebant clavi, hoc in mente ejus compassio. Et rursùs. *Ipsius planè non attigit animum crudelis illa lancea, sed tuam virgo penetravit.* Damasc. 2. de Fide 15. *Quos in partu dolores effugerat, passionis tempore sustinuit.* Richard. de S. Victore in Luc. 6. *Sicut non fuit amor sicut amor ejus: non fuit dolor similis dolori ejus.* S. Bernardin. tom. 1. serm. 61. a. 3. *Tantus fuit dolor virginis, quòd, si in omnes creaturas quæ dolorem pati possunt, divideretur, omnes subitò interirent.* S. Aug. serm. de Passione. *Erant duæ mysticæ cytharæ, quarum unâ sonante resonat & altera nullo etiam pulsante. JESU dolente dolet & Maria, Christo Crucifixo crucifigitur & Maria.*

Ipse Christus suos dolores enarrat. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Sed quod est ampliùs addit. *Ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me.* Alii legunt. *Inspexerunt in me* Ps. 21. Capta est à Bethsamitis. Reg. 6. arca. *Percussit* DEUS *de viris Bethsamitibus eo quòd vidissent arcam Domini, & percussit de Principibus septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Viderant, obtulerant sacrificium, quid mali? legunt alii. *Viderunt in arcam Domini*, aperuerunt. Viderunt in Christum per vulnera. Ambr. in Luc. 23. *Nudum in cruce video, talis enim ascendit qui sæculum in cruce vincere parat, ut sæculi adjumenta non quærat. Victus est Adam qui vestimenta quæsivit, vicit ille qui tegumenta deposuit.* Sonuit feralis tuba, sonuit decretum, concurrit tota civitas, allata mortis instrumenta in montem, scalæ, funes, &c. Adsunt Sacerdotes &c. Adsunt latrones. Deponitur humi crux, & illam Christus osculatur, se Patri offert. Acurrite Prophetæ MM. &c. Tenebras sol parat quibus Domini tegat nuditatem. Affixæ jam manus, tenduntur & pedes. Clamemus. Non ultrà peccabimus. Nam si *hæc in viridi quid fiet in arido*? O Dei justitia! Timete impuri. Jer. 1. Vidit *virgam* primò *vigilantem*, postea *ollam succensam*, vigilat supra peccatores & virga & olla. Timete superbi, egredietur ignis de rhamno, de spinea corona, & vos devorabit.

Timete immisericordes, qui non reputatis alios homines, pro vobis Christus factus ut vermis. Sistetur quisq; ex vobis coram Judice Christo, & dicetur, Ecce homo. At ille non agnoscet. Invidi, qui prætulistis Barabbam, quid ad hoc? Ps. 111. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Timete omnes, quia omnes crucifixionis causa estis. Job 36. *Causa judiciumq; recipiet.* Jam te ô homo citat ad judicium cruciatus Christi, tu fecisti, responde, clamârunt Judæi, *sangvis ejus super nos* & super te. Cecidit hic sangvis super eos, ubi templum? ubi regnum? &c. Cadat supra te in æternum. Jam sol obtenebrescens promittit quod peccatori non lucebit, terra aperitur ut devoret. Hieron. epist. 16. *Locus in quo crucifixus est Dominus noster Calvariæ appellatur, scilicet quòd ibi sit antiqui hominis calvaria, ut secundus Adam & sangvis de cruce stillans, primi Adam & jacentis protoplasti peccata dilueret, & tunc sermo ille Apostoli impletus. Exsurge qui dormis à mortuis, & illuminabit te Christus.* Adamum vivificavit, & nos si pœnitentiam egerimus. Orat. *Pater ignosce illis.* Terra, cœlum, &c. clamant, vindica: ille, *ignosce*, & in hoc à Patre exauditum se testatur, cùm latroni promittit cœlum. Sed tamen in vicino est vallis Josaphat, locus futuri judicii. O Domine, Ps. 118. *Memor esto verbi tui in quo mihi spem dedisti.* Quid illud? Joann. 12. *Cum exaltatus fuero omnia traham ad me.* Avelle nos ab affectibus terrenis, S. Bern. in salut. Vuln. *Cruci tuæ me aptare vellem JESU, tu scis quare.* Extulit nos secum in montem, ut legit Athanas. 1. Petr. 2. *Efferens peccata nostra in cruce cum corpore suo.* Non resiliamus à cruce. S. Theodorus M. jussù Licinii affixus cruci, & in ea sagittis confixus plurimis, exclamavit. *DEUS meus, DEUS meus, qui te mihi adstiturum promiseras, ut quid dereliquisti me?* Et ecce dum crederetur mortuus, per Angelum de cruce depositus & sanatus. Plura per-

ra per-

ra perpessus Christus. 2. Cor. 4. Factus est spectaculum DEO, Angelis, & hominibus. Nihil in eo fuit nisi dolor. In vulneribus pendet, à cruce imprimuntur spinæ capiti. S. Bern. *O Anima volve & revolve corpus Dominicum, & ubiq; invenies dolorem & cruorem. Verè tam miserabiliter pendebat Rex gloriæ, tam pœnaliter Judex vivorum & mortuorum, ut solo aspectu ejus moveri possent corda lapidea.* Sed ipsemet Dominus describit suos dolores Ps. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingva mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem deduxisti me.* Foderunt manus, sed thesauros in illis latentes non sibi effoderunt. *Ossa dinumeraverunt.* S. Bern. in persona Christi. *Tantùm scilicet distens⁹ sum dextrorsum & sinistrorsum & à summo deorsum, ut corpore nudo in modum tympaniticæ pellis distenso facilè possent omnia ossa dinumerari.* Ampli⁹. *Dispersa sunt ossa mea.* Hieron. legit, *separata.* Campēsis, *dissociata.* Ampliùs, *in pulverem mortis* &c. Nō tantùm arui, sed quasi in pulverem redactus sum, & fuisset redactus nisi De⁹ specialiter detinuisset. Quid ad hoc impatientes? Gal. 6. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JESU Christi.* De quo Aug. serm. 20. de verbis Apost. *Poterat Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret. Poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret, sed dixit, in cruce. Ubi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum invenit, ut qui gloriatur in Domino glorietur, quo Domino? Christo crucifixo.* Non fugiamus crucem. In cruce Christus deridetur, ô quantus dolor! Ps. 21. *Canes multi circumdederunt me.* Et alibi. *Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis & moverunt caput, speravit in Domino eripiat eum, salvum faciat eum quoniam vult eum.* Loco, deriserunt me. Tertull. legit. *Naso irridebant me.* Loco locuti

ſunt labiis. Hieron. *Demiſerunt labia.* Et JuſtinusM.apudLorin. hìc. *Labia diſtorquebant, & narium inflexionibus inter ſe certantes loquebantur irridentes.* Luc. 24. Et hoc non ſolùm Judæi ſed etiam milites. Quomodo hinc auctus dolor? Hos dolores meditemur.

CONCIO LXV.

De Chriſti morte.

MOritur Dominus, ſed ſponte. Joann. 11. Dum ad ſuſcitandum iret Lazarum, dicunt ei. *Rabbi nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Reſpondit. *Nonne duodecem ſunt horæ diei?* Rupert. apud Barrad. hìc. *Nemo efficere poterit ut ſol occidat ante horam duodecimam. Ego ſum Sol. Nemo efficere poteſt ut antequam hora mea veniat, moriar. Cùm voluero tum è vita mea migrabo.* Sed clariùs ipſemet Joann. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam illam. Nemo tollet eam à me, ſed ego pono eam à meipſo.* Voluntariè mortuus, & quidem pro nobis. Quare monet S. Bern. ſerm. 28. in Cant. *Vide quid de DEO tuo ſentias, vide quantùm de eo præſumas. Vide quis brachiis vicariæ charitatis amandus & amplectendus ſit?* Hunc amorem ut accendam, mortem ejus deſcribam.

Inclinato imprimis *capite tradidit ſpiritum.* In quo advertit Chryſoſt. homil. 10. Quòd homines cùm moriuntur vel caput ſurſum atque oculos obtorquent, vel gyrant, & tandem mortui caput demittunt. Chriſtus poſt ſermones cum variis habitos, caput demittit Theophilact. *Nos priùs expiramus, deinde inclinamus caput, ille autem priùs inclinavit caput, deinde expiravit, ex quibus omnibus conſtat illum fuiſſe Dominum mortis.* Scribit S. Joann. *JESUS ergò ex itinere fatigatus ſedebat ſic.* In quæ verba Rupert. lib. 4. in Joan: *Quomodo in fonte ſubjecto relucet ſolis imago, ſic iſta D. JESU fatigatio fatigationem*

tionem alteram spectat, quam ipse in arcano Divinitatis suæ meditabatur consilio. Quam ergo fatigationem sui meditabatur? Jesus ipse ex itinere suæ humanitatis, verâ passione, veris doloribus, & verâ morte erat fatigandus. Laboravit totâ vitâ, jam hodie deficit, quia ut S. Th. 3. p. q. 46. *Omnes omnium hominum passiones in genere & simul pertulit.* Ps. 68. *Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* Mare amoris & doloris. Mare, post tot dolores tam durus lectus. Ubi est illud Ps. 90. *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo?* Laboravit pro nobis totâ vitâ Ecli, 13. *Servum inclinant operationes assiduæ.* Inclinat jam caput. At de nobis Jer. 1. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, dixisti, non serviam.* Servit ille vobis, & jubet servire suas creaturas. At homo: *Non serviam.* Etsi propter meum bonum, quare Isai. 49. queritur. *Invanum laboravi sine causa & vanè consumpsi fortitudinem meam.* Non fiat hoc in me Domine. Inclinat caput Patri ut mori se ex obedientia testetur. Inclinat Origen. in 23. Matth.. *Inclinavit Christus caput, & quasi supra Patris gremium repausans exiit.* Ad hunc ipsum finem Patri commendat spiritum. Quis potest dicere, *Pater commendo*, fortasse, Judex. Inclinat caput ut dicat matri, vel Joanni, discipulis, ad illos post triduum rediturus. Dicit vale æternũ Pharisæis &c. Valete & qui eos imitamini. Inclinat caput, quia in lymbum properat, sed Cain relinquetur Ps. 8. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Videbis alios ad cœlum euntes avare &c. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Inclinat caput ut nos doceat humilitatem. Inclinat versùs terram, ut Matth. 23. negotiator quærens margaritam. Inclinat ut in suo pectore indicet Longino latere thesaurum, est ibi aqua quæ leprosum potest mundare Naaman. Est sangvis Apoc. 7. *Laverũt stolas suas in sanguine agni.* Ibi spes nostra. Aug. in Ps. 102. *Redẽpta est uita tua de corruptione; jam secur⁹ esto. Init⁹ est bona fidei cõtract⁹, nemo fallet Redemptorẽ tuũ, nemo circumueniet, nemo pre-*

mo premet. Ego hic commercium, jam pretium solvit, sangvinem fudit, sangvinem inquam fudit unicus DEI Filius pro nobis. O anima erige te, tanti vales. Inclinat caput Christus ut ostendat quid pro tua dederit anima. Quid nos pro hoc amore? non deerunt Hebr. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes.* Sed quomodo, crucifigentes? hoc ipsũ. Malach 3. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me* Et rursus. *Me vos configitis, gens tota. Et dixistis, in quo configimus? In decimis & primitiis.* Idem de aliis peccatis Aug. serm. 181. *Cur me graviori criminum tuorum cruci, quàm illa, in qua quondam pependeram, affixisti? Gravior enim apud me peccatorum crux est, in qua vitiis pendeo, quàm illa, in qua, tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi.* Petamus ne nos permittat labi, ne ab eo recedamus. *Væ eis cùm à me recesserint, & væ cùm recessero ab eis.* Quid in hoc suo agone clam solatii habet Christus? Matth. 27. Derelictus est à Patre. Nova interna afflictio. Videbant hoc *Angeli pacis & amarè flebant.* Audivit terra & mota est. Homines riserunt. *Eliam iste vocat, videamus an veniat Elias.* Sed quomodo derelictus à DEO? non soluta unio hypostatica, non oblata visio beatifica, non gratia sanctificans. Dereliquit DEUS, Quia non dedit Christo assistentiam specialem, liberando à malis, consolando, confortando. Nam Ps. 10. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.* Unde etiam Ps. 93. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Leo magnus de verbis illis, DEUS meus ut quid dereliquisti me? *Vox ista non querela sed doctrina est.* Narrat quid patiatur. Docet quomodo pati debemus. Claudit suas Pater aures ad vocem Filii. Doluit fratri filii prodigi, quia id Pater illi non præstitit quod prodigo quomodo Christo non doluit cùm Pater id illi non præstaret quod præstat peccatori: Ille Luc. 15. *Ecce tot annis servivi tibi & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum*

dum ut cum amicis meis epularer: sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. In quo te Christe, Pater dereliquit? *Longè à salute mea verba delictorum meorum, Deus meus clamabo per diem & noctem, & non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas laus Israël. In te speraverunt Patres nostri, & liberâsti eos. Ad te clamaverunt & salvi facti sunt, in te speraverunt & non sunt confusi.* Oratio mea non impetrat, & hoc facit DEUS, qui semper fuit meus, & hoc facit justus, sanctus. Et hoc facit qui Patres exaudiebat. Per orationem Daniel à leonibus liberatus. David à gladio Saul, Ezechias à morte &c. At ego non exaudior, derelictus? Moritur jam Christus, sed, qualis? vidit illum Isai. 53. & dixit. *Vidimus eum & non erat aspectus.* Et 52. *Quemadmodum obstupescant super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus tuus, & forma tua à filiis hominum.* Compatiamur illi, sed etiam nobis, ut tollamus à nobis? quod illum affligit, qui non aufert peccata, ita Christo compatitur sicut carnifex qui simul homini condolet & simul illum lacerat. Pater dereliquit & data est potestas tenebris. De hac die dictum est Zach. 14. *Erit dies una, quæ nota est Domino, non dies neq; nox.* Ipse Dominus explicare potest qualis hæc dies Christi fuerit. Hâc nocte inter bestias relictus est, relictus ut noctu in tempestate. Job 27. *Nocte opprimet eum tempestas.* Non est qui adjuvet. Tradidit Christus Patri spiritum. Tradamus nos modò Christo animas nostras ejus voluntatem faciendo, recipiet illas in morte & tradet Patri, quod precemur per ejus mortem amaram.

CONCIO LXVI.

Pro Passione Christi.

PRoposueram ad S. Matrem recurrere ut suas nobis imperti-

retur

retur hodie lachrymas: Proposueram ad Prophetas, præcipuè Jeremiam lamentantem. *Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum?* Sed præstat ire ad Angelos, qui hodie in assumptis corporibus planxerunt, sive in defixa in passionem Christi cogitatione Isai. 33. *Angeli pacis amarè flebant.* Quomodo enim matrem accedet petendo ab illa lachrymas qui ejus filium occidit? Quomodo Prophetam, qui fontes lachrymarum deposcit ob eversa altaria, templum à Chaldæis direptum, fratres occisos, Principes in captivitatem abductos &c. Lachrymæ hic illius non sufficiunt. Vos Angeli statim in horto propinâstis iniquitates nostras Domino, vos propinate lachrymas: vos rupistis moriente Domino saxa, vos reserâstis monumēta, vos solem texistis, velū scidistis, omnia ad luctū concitâstis, vos lachrymas in nostris oculis commovete &c.

S. Th. p. 3. q. 46. a. 5. Ita de passione Christi sentit. *Passus est omnem passionem humanam non quidem quoad speciem, sed secundùm genus.* Hoc est. Passus ab Ethnicis, Judæis: Sacerdotibus, laicis: viris, fœminis: nobilibus, ignobilibus. &c. Ps. 2. *Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania, adstiterunt Reges terræ &c.* Passus in amicis quia deseruerunt, in fama, in honore. Passus in anima, tristitiam, tœdium, agoniam. In rebus, quibus omnibus spoliatus. In corpore quidam numerant plura quàm quinque millia vulnerum: ictus flagrorum 6666. uno verbo Isai. 1. *A planta pedis usq; ad verticem non est sanitas in eo.* Passus in omni sensu, visu auditu, gustu &c. In omni parte corporis ut dixerit Thren. 1. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Nullum corpus fuit quod habuerit tam perfectum sensum doloris. Conculcata sanctitas &c. Et hæc pro homine hoste, & quem sciebat fore ingratum. Hæc DEUS. Et quis capiet, quid sit DEUS? Hæc à peccatoribus, & quis explicabit peccatoris vilitatem? & videte

dete quid eum ad hoc impulit. Insinuat hoc S. Bern. *Ludebam ego foris in platea, & contra me ferebatur mortis decretum in palatio.* Ludebamus, peccata cumulabamus. Urgebat justitia, Quàmdiu Deus cum hoc improbissimo dissimulabis? nos interim ludebamus. Offert se pro nobis Unigenitus DEI, ut quod in nos cadere debuit decretum, in illum recideret. Proponit justitia. Si vis pro homine pati, tanta &c. Sunt tibi ferenda: at Filius, volo ampliùs. Sed quare &c. Non est amicus. Volo. O nos saxa si non movemur! imò non saxa: quia hodie saxa rumpuntur. Levit. 12. *Anima quæ in hâc nocte afflicta non fuerit, delebitur de populo meo.* Sed progrediamur ad hortum inprimis, ad quem invitaverat olim sponsa. Cant. 5. *Descendat dilectus meus in hortum suum & comedat fructum pomorum suorum.* Descendit, sed, in cujusnam ex nobis incidit pomum, quo gustato sangvinem sudat? Pomum hoc est aliquod Sodomorum. Comedit Dominus, affert post cibum Angelus poculum. Sed *transeat à me calix iste.* Quare? continet peccata nostra, tantus verò est horror illorum ut si DEus mori posset, illo solo conficeretur. *Ave Rabbi.* Nosné illius discipuli? Istané agimus quæ ab illo didicimus? Habet hìc non unum condiscipulum Iscarioth. Sed *quod facis fac citiùs.* Cyrill. lib. 9. in Joann. 17. Velociùs ad ea currere *diabolum quæ præparavit jubet.* Sed quæ illi ex hoc damnatio jam antea proposuerat. *Bonum ei si natus non fuisset* &c.

Jam ligatur. Tui sunt funes ô Dalila, tui Rahab. Ducitur in domum Caiphæ & Annæ, & ab eodem cujus auriculam in horto sanaverat, ut asserit Chrysost. homil. 82. in Joann. alapam recipit. Quid vobis hæc gratitudo videtur? insurrexerant olim Core Dathan & Abiron contra Moysen, & vivos terra deglutiit. Hic nemo pro Domino! Quid ulteriùs actum cum Domino? certè non aliud quàm quod cum homi-

ne inter dracones projecto. Pſ. 139. *Acuerunt lingvas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Alii ſputis venenatis &c. ſibilis, *Prophetiſa quis te percusſit.* Sic venatores ſi feram reti concluſerant cui diu inſidiati. Nemo parcit &c. Dedit ſupra ſe poteſtatem tenebris. *Hæc eſt hora & poteſtas tenebrarum &c.* Pſ. 54. *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Quid apud Pilatum? quid apud Herodem? Præfertur illi Barabbas, ô quoties hoc ipſum modo accidit! Stat ex una parte caſtitas cum DEO, ex altera impudicitia cum dæmone. Non hunc ſed Barabbam. Avaritia cum gehenna, juſtitia cum cœlo &c. Sed agite qui ſic eligitis, jam Chriſtus à vobis repulſus ad columnam ligatur, veſtra impuritas cùm denudat, veſtra avaritia flagris lacerat. *Canes obſederunt me.* Petulantiſſima cohors hominum 666. & ad vexandos Judæos miſſa, vocata Canes. Lex fuit Deut. 25. *Juxta menſuram delicti erit plagarum modus.* Quàm vaſta menſura delictorum noſtrorum quæ in te ſuſcepiſti Domine, quis erit plagarum modus? *Vidimus eum & non erat ei aſpectus.* Quærit & ſuperbia ut ſæviat, imponuntur ſpinæ capiti. Quæ verba ſuppetunt? &c. Mortuus jam hic fuiſſet, niſi mortem ſæpiùs experiri maluiſſent. Videant relabentes in peccata. Sed jam fortè precatur. Libenter ô homo pro te iſta fero, ſed an iſta promerui? vis augere meas ſpinas, & ſupra dolorem vulnerum meorum addere? ſed erit qui dicat. *Sangvis ejus ſuper nos.* Peccare non deſiſtam. *Crucifigatur.* O quàm juſtè hic Domine quereris Jer. 12. *Facta eſt mihi hæreditas mea tanquam leo in ſylvæ, dedit contra me vocem ſuam.* Illa hæreditas de qua ad te Pater. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Sed jam crucem amplectitur, jam bajulat, & veluti ſceleratiſſimus in medio duorum latronum appenditur. Sed, quid jam loquar? clamat ſangvis de terra, aures acclinate. Sed fortè non eſt qui audiat.

audiat, Pf. 141. *Considerabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognosceret me.* Job. 2. *Jobum videntes afflictum, non cognorunt eum, & clamantes ploraverunt, scissisq; vestibus sparserunt pulverem super caput suum.* Et id fuit Job solatio. Origen. quia quasi dicebant *quod fecisti ô Job hoc fecimus.* Detestatur Christus peccata, & in suo corpore punit, & nos puniamus &c.

CONCIO LXVII.

De B. Virginis Compassione.

Stabat Mater dolorosa.

AN magis gaudebat, an magis dolebat Virgo S. sub cruce Filii stando, pro utraque parte sunt argumenta, etsi res videatur paradoxa. Inprimis, dum videret Filium tam æquanimiter ferre crucem, & ipsam se ad æquanimitatem composuisse certum videtur. Greg. epist. 1. *Nihil adeò grave quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio ad memoriam reducatur.* Quid verò si spectetur. Certè magis sancta quàm Abraham, qui cum gaudio Filium in strue lignorum deposuit. Zeno Veronen. serm. 1. de Abraham. *Ecce sub oculis jacet Filius vinculis adstrictus, ubi sunt lachrymæ? ubi dolor? in tantis filii casibus lætatur & gaudet.* Et hoc ipsum innuit Joan. 8. *Exultavit Abraham ut videret diem illum, vidit & gavisus est.* Prosper, *Gavisus est quia vidit diem Filii DEI in suo filio figuratum,* Sed sicut Christus seposuit omne gaudium ut ex omni parte doleret, ita S. Virgo. Itaque dolor ejus maximus, & hunc conabor explicare.

Seposuit Christus omne gaudium, ergò & B. Virgo quò enim aliquis humilior eò se magis DEO conformat. B Virgine nemo humilior, itaque cùm videret Filium summè velle dolere, & ipsa idem voluit, Gen. 28. Vidit Jacob scalam

Et *Angelos ascendentes & descendentes.* S. Zeno l. c. *Scala proprio nomine crux vocatur.* Sed ubi Angeli? *Magni consilii Angelus est* Christus, ascendit ad Patrem, *DEUS meus quid me dereliquisti?* Descendit. *Infixus sum in limo profundi.* B. V. Regina Angelorum, ascendit *Excelsa super sydera.* Descendit cùm veluti mulier Sareptana. 3. Reg. 17. Lignum crucis complectitur, in cujus persona Rupert. lib. 5. de Trinit. cap. 7. *En colligo duo ligna & consolor meam inopiam amplectens crucis ligna.* Ubi nos legimus Genes. 3. *Creatus est homo ad similitudinem DEI.* Hebræi legunt *Ad umbram DEI.* Nemo erat magis umbra DEI quàm B. Virgo, quia *virtus Altissimi obumbravit ei.* Igitur flagellatur Christus, sicut & umbra in Virgine S. apparebant flagella: spinis coronabatur, apparebant spinæ sicut in umbra &c. Et quia hæc umbra vivens, sentiens, omnia in corde sentiebat quæ Christus in corpore. Cant. 5. *Anima mea liquefacta est ut locutus est dilectus.* In liquida cera omnia facilè imprimuntur, imprimebatur crux. &c. Anselm, de passione. *Per singula momenta dolor vitam B. Virginis extingvere sufficiens erat nisi ex speciali miraculo divinitùs conservaretur.* Hailgrio in Cant. *Liquefacta est, ut sicut metallum formam acciperet.* Vidistis plumbum solvi, accipit formam quam vult artifex. Voluit B. Virgo hoc totum pati quod Filius, & passa est. Hinc cogitate quantus dolor esset, si flagella quæ sunt Christo inflicta, spinæ &c. alicui infligerentur, etsi nullum appareret vulnus, ita factum est in B. Virgine; & sicut dolor Christi cœpit ab ejus conceptione, *Dolor meus in conspectu meo semper.* Ita B. Virginis à Nativitate Christi, cujus dolores semper meditabatur. Audite enim S. Vincent. Conc. de Purific. *Quando vidit puerum JESUM natum & nudum, cogitavit in corde suo dicens. O verè sic Filius meus nudus erit in cruce. Deinde pannis eum involvit, cogitans quòd sic ejus corpus involverent sindone in ejus sepultura.*

Deinde

Deinde posuit eum in præsepio in medio duorum animalium, cogitans quòd sic suspenderetur in medio duorum latronum. Non auditur interim clamor, non ululatus, stat generosissima Heroina sub cruce, non cadit in deliquium. Chrysol. serm. 23. *Tacet qui volens patitur, clamat qui laniatur invitus.* Hic unum mysterium intelligemus Matth. 1. *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Cur duos nominat cùm unum sufficiebat, sicut aliàs ponit Evangelium? Ambr. in Luc. 3. dat causam. Quia ut est Gen. 39. Uterque volebat prior nasci & de hoc secum certabant in utero cùm essent gemelli. Certabat B. Virgo cum Christo volens ejus in se dolores transumere, & vicissim ille B. Virginis, & quia fuit liquefacta, & hic dolor quem habebat de illa Filius in cor ejus transibat. Quòd si Aug. Matrem Machabæorum vocavit septies Martyrem, quia septem Filiis cum occiderentur, compassa est, cùm Christus de se verè dicat. *Non est dolor sicut meus.* Et illa potest dicere. *Non est dolor sicut dolor meus.* Et quod in 2. Cor. 11. Chrysost. dicit de S. Pauli verbis *In mortibus frequenter.* Inquiens. *Non mortis experientia sed propositio.* Hec de B. Virgine in morte Filii continuò.

Sed istos dolores acuebat amor. Aug. *Dolor est sicut amor.* Nulla mater ita amavit Filium, nulla itaque doluit æquè. Amavit plùs quàm si omnium amores in unum conferrentur, Quia Filium habuit meliorem, quàm si omnium filiorum bonitas in unum conferretur, itaque doluit magis quàm si omnium dolores in cor unum congererentur. Et quia simul fuit & Pater & Mater Filii, plus doluit quàm omnes Patres & Matres dolere possunt. Jam si verum est quod dicit Chrysost. hom. 29. in Gen. *Graviùs est Patribus videre filios suppliciis affici, quàm si ipsi iis essent obnoxii.* Magna est velut mare contritio tua ô S. Virgo, Matres aliquæ emoriuntur dum vident filios

ſuos mori, maximè crudeli ſupplicio. Quomodo non millies moreris ô S. Virgo. Gravior eſt tuus dolor quàm ut ipſa mors illi mederi poſſit. Mortuæ illæ, & ante mortem lachrymatæ & partem doloris per lacrymas egeſſerunt. Vis etiam iſto carere levamento, ut tot⁹ intra te dolor maneat, & magis bulliat intra te cor tuum veluti in olla abſque ſpiraculo concluſum. Ambr. epiſt. 28. de S. Virgine. ſic loquitur. *Stantem ſub cruce lego, flentem non lego.* O dolor cùm in te redis quantus es? noluit flere. S. Bern. ſerm. 26. in Cant. *Suppreſſus dolor eò altiùs introrſus radicavit quò non eſt exire permiſſus.* Non plorat, non vocem emittit. Et ſilentio velut operculo premit. Cùm pulvis pyrius intra globum cavum ferreum (granatam ſeu bombum vocant) accenditur, non ſuſtinet ferrum, diſſilit, diſcerpitur: accendit amor in corde S Virginis dolorem, manet cor integrum, o miraculum! S. Th. 3. p. q. 46. a. 6. Dolor Chriſti fuit major omnibus doloribus. Et hic dolor in corde B. Virginis. Præterea dolor Chriſti cùm fuit mortuus jam non fuit in Chriſto, fuit verò in S. Virgine. S. Bern. ſerm. Signum magnum, *Chriſti anima jam ibi non erat,* in corpore mortui, ideò nec corpus lanceæ ictum ſentiebat. *Sed B. Virginis planè nequibat avelli.* Cur ergò lancea non rupit cor S. Virginis ut aliquid effflueret doloris, & levaretur? imò hæc lancea magis conſtrinxit & ſolidavit ſicut æs denſius fit ictu malleorum. Quare meritò affirmat S. Bernardin. ſerm. 61. a. 3. c. 1. *Tantus fuit dolor Virginis in paſſione Chriſti, quòd ſi in omnes creaturas quæ pati poſſunt divideretur, omnes ſubitò interirent.* Quis cauſa hujus doloris? Nos, peccata noſtra, & illa augemus & non compatimur? Scim⁹ quod S. Brigittæ & aliis comparuerit Chriſt⁹, quaſi modò plagis affectus, & queſtus eſt, quòd peccantes illum ita crudeliter tractâſſent. Compatitur ergò ſimili modò & S. Virgo & nos addimus dolores, ſi amamus S. Virginem, ſi nos ejus

ſervos

ſervos appellamus, parcamus, ne dicat de nobis. *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt mihi.*

CONCIO LXVIII.

Stabat juxta Crucem.

ABiit Agar ne videret morientem filium Iſmaëlem: Auditâ morte filiorum Job non ivit ad eos videndos, ſed ſcidit veſtimenta, idem de Davide reſpectu Abſalonis, quia ſe impares dolori fatebantur. At B. V. ſtetit juxta crucem, ſpectavit, &c. O cor ingens, o dolor! dum illa Filium, nos illam contemplemur.

Pro maxima ſecuritate in obſides ſumuntur Filii ab hoſtibus, quia ſciunt quantùm eos ament Patres. Unde Abſalon cùm ſtrueret in Patrem bellum, 2. Reg. 18. erexit coloſſum cum inſcrip. *Non habeo Filium.* Acſi diceret, audacter mihi adhærete contra Patrem, nihil habeo quod capere poſſit Pater & eo capto me retrahere à conſilio. Tobias de filio Ut *quid miſimus te peregrinari baculum ſenectutis noſtræ, lumen oculorum noſtrorum?* Major tamen eſt amor, ſi Filius ſit unicus. Hinc Jer. 20. ubi docet quomodo peccata debeamus deplorare. *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Obſtinatus Pharao cùm plagis aliis non moveretur. Exod. 3 Occiſo filio eſt mot⁹. Abrahæ virtutem in filio unigenito DEUS exploravit. Sed etiam in hoc caſu major ſolet eſſe dolor Matris quàm Patris. Iſai. 49. *Nunquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ita ut non miſereatur filio uteri ſui?* Colligamus jam in unam perſonam dolorem Patris & Matris quantus erit? B. Virgo & Mater erat, & Pater deerat Chriſto in terris, uterque in illa dolor fuit, & filius fuit illi ſponſus. Et impletum Iſai. 49. *Venient tibi hæc duo ſubitò in die una, ſterilitas & viduitas.* Non erat unquam paritura alium. Quid inſuper audit à Filio? Videt plagas: audit.

Dum Unicus filius maior amor

Maior dolor matris quam Patris.

audit. *Deus Deus me⁹ ut quid me &c.* Quot hic dolores! audit insultantes moribundo, acetum &c. Cant. 8. *Pone me ut signaculum super cor tuum.* In cera exprimitur sigillum, ita amor exprimit in corde amicum. Summus amor fuit in B. Virgine, itaque summè expressit in corde ejus clavos &c. Christi, itaque idem dolor per compassionem. Itaque dicere potest & illa. *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Thren. 2. *Cui comparabo te, aut cui assimilabo te filia Jerusalem? Cui coæquabo & consolabor te virgo Filia Sion? Magna est velut mare contritio tua.* Magna &c. Planctus hic est supra Jerusalem captam ab hoste. Cogitate qui planctus dum magna urbs capitur, sit hic totus in uno corde, est in corde B. Virginis. Hic templum captum, altare eversum &c. in Christo. *Magna velut mare &c.* Et quia Christus infinitè melior quâvis urbe. Hinc multò major dolor. O homines nos hoc templum diruimus, nos doloris causa. &c. Et libebit adhuc idem iterare? *Sicut mare.* Quis exhauriet mare? si in unum cor mare compingeretur quantum in eo esset salsedinis? compactum est. Quot in hoc corde bestiæ maris, Judæi, Romani, carnifices? Gen. 1. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum.* Congregatæ. Insuper Filius addit sagittas. Thren. 3. *Posuit me quasi signum ad sagittam, immisit in renibus meis filias pharatræ suæ.* Dum dicit, *Ecce filius tuus.* Hæcne commutatio? Hic est ille gladius Luc. 1. Simeonis. Vale mater, nudus morior. *Volucres cœli habent nidum &c.* Ego in cruce. *Consummatum est*, consummatus dolor in corde matris, nihil ei addi potest. Cùm filius alicujus moritur, saltem est qui consoletur, saltem &c. Hic omnia adversa. Fugerunt discipuli, &c. Latro insultat, in medio pendet ut latronum maximus. *Consummatum*, currebant ab initio mundi instar fluminis dolores, in B. Virginis corde ut in stagno stiterunt. Hic dolor quem habuit Eva de occiso

ciso Abele, hic quem de malitia Cain: hic quem habuit de immolando Isaaco Abraham &c. Omnes illi umbra hujus, hic est ipse verus. Compatiamur. Sed non addamus vulnus supra vulnus per novam crucifixionem.

CONCIO LXIX.

De Compassione Beatæ Virginis.

QUantus dolor S. Matris hujus dum filium pœnis affligi videret, saxum nobis dicere potest: Bzovius anno 1202. n. 9. Fuit in Francia in Abbatia Dolensi, imago lapidea Beat. Virginis CHRISTUM puerum tenentis. Coram ista quandam pauperculam orantem cùm inveniunt duo Brabantini, ipsam ludibriis, statuam blasphemiis onerant, & unus eorum jacto lapide brachium Christo puero confringit, ex quo vulnere statim fluxit sangvis, & sacrilegus homo corruens mortuus, quem dum socius erigit, & ipse à diro dæmone corripitur à quo postridie occisus. Die sequenti frequens populus ad evulgatum concurrit spectaculum, vidit in S. Puero sangvinem, sed in Matre S. licet lapidea doloris viva indicia. Nam saxea monile in se rupit saxeum. Vestem usque ad mamillas scidit. Hoc fecit lapidea, quid viva? Certum est ex Ambr. lib. de instit. Virg. c. 7. quòd illa has pœnas quas Filius patiebatur, perpeti ipsa maluisset. Ut *nòn degeneri mater esset spectaculo quæ non metuerit peremptorem, pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat.* Et ex Bonav. in 1. dist. 84. q. 2. S. Virgo *Miro modo laudari debet & amari, quòd adeò compassa est, ut si fieri potuisset, omnia tormenta quæ filius pertulit ipsa libentiùs sustinuisset. Et ut Anselm. de excell. B. V. c. 5. Quidquid crudelitatis corporibus Martyrum inflictum fuit leve aut nihil ratione hujus compassionis.* Matres aliæ ut suum dolorem leniant, nolunt spectare supplicia filiorum ut Agar Gen. 21. Ne videret puerum morientem, recessit. &c. Hæc S. Virgo stetit sub cruce, &c. Guillelm. 7. in Cant. *Stabat juxta crucem JESU mater*

ejus. Planè ille foris, illa intùs patiebatur. Stabat illa juxta crucem sui JESU, atq; ipsa quodammodo erat in crucem erecta stando juxta crucem, ipsa sibi per officium maternum erat quodammodo crux. Augebat dolorem, quia videbat filium ab iis pati, quibus benefecerat, ad quos salvandos venerat, videbat in multis periturum sangvinis fructum &c. Arnold. tract. de Virg. laud. Aspiciebat filium quomodo hæc ipse sustineret, & videndo ejus amarorem & ipsa amarescebat. *Fugientibus Apostolis in faciem filii sui se opposuerat mater, & gladio doloris animæ ejus infixo vulnerabatur spiritu & crucifigebatur affectu & quod in carne Christi agebant clavi & lancea, hoc in ejus mente compassio naturalis & affectionis maternæ angustiæ.* Ereò usque hi dolores pervenerunt, ut dixerit Amedeus hom. 5. de S. Virgine Maria *vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem: torquebatur enim magis quàm si torqueretur ex se.* Hic dolor in B. Virgine etiam post mortem Christi durabat, & cùm lanceam Christus non sentiret, illa sentiebat, dolor verò tantus fuit, ut sufficeret ad eam occidendam quolibet momento, itaque tot mortes subiit quot momentis in eo dolore duravit. Cogitemus iam quempiam atrocissimis doloribus occidi, & rursum resuscitari, & rursum similibus doloribus occidi, & iterum resuscitari, & hoc repeti centies, quantùm illum hominem putabimus pati? Hinc Arnold. Carnoten. tract. de laud. B Virginis. Sub cruce B. Virginis, in cruce Christi, *omninò tunc una erat Christi & Mariæ voluntas. holocaustum pariter ambo offerebant DEO, hæc in sangvine cordis, ille in sangvine carnis.* Quia verò ut Christus statim ab instanti Conceptionis suæ sciebat se moriturum, ita B. Virgo hoc ipsum revelante DEO didicit. Degustabat jam Christus ab tempore dolores suos juxta illud Ps. *Dolor meus in conspectu meo semper.* Degustabat & B. Virgo, & totâ vitâ fuit in compassione, sicut matres compatiuntur cùm intelligunt latum esse decretum mortis contra Filium. Ad hunc dolorem ultrò se ipsa explicabat.

cabat. *Quia* ut Arnold. l. c. *in morte filii sui intelligebat redemptionem mundi, etiam suâ ipsâ morte se aliquid æstimabat publico muneri addituram.* Non quod ipsa partem redemptionis aliquam faceret, sed sicut fecit Angelus in horto dum Christum confortabat, ita illa offerendo Christi passionem DEO Patri, & ipsi Christo compatiendo. In quem sensum S. Bern. serm. 3. de Purific. illum alloquitur. *Venit tempus quando non in templum offeres Mater, nec in brachiis Simeonis, sed extra civitatem intra brachia crucis, illud erit sacrificium vespertinum hoc est matutinum.* Explicat hunc dolorem Simeon. *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, sicut Josephi *animam ferrum pertransivit*, dum toties è carcere se ad mortem jam putaret educi.

CONCIO LXX.

De Beatæ Virginis doloribus.

CUm DEus voluit ædificare Arcam, adhibuit duos artifices Beseleel & Oliab. Beseleel significat *in umbra Deus* S. Virginem virtus Altissimi obumbravit. Oliab idē est ac *Protectio Patris*, misit DEus filium suum. Arca est imago B. Virginis, opera in Virgine S. sunt expressa Patris & Spiritûs S. videamus quomodo illa expresserit opus Filii. Solus Adam potuit nos perdere, tamen accessit Eva. S. Bern. serm. de Assumpt. *Congruū magis erat ut adesset nostræ reparationi uterq; sexus quorum corruptioni neuter defuisset.* Occupaverat mundum Tyrannus, opus erat illum expugnare, B. Virgo ad hanc pugnam porrexit Christo gladium. Richard. à S. Laur. *Christus cum diabolo pugnaturus pro exhæredata sponsa, in utero Virginis velut in tabernaculo armaturā humanæ carnis induit.* Hic jam cum Aug. serm. de Ass. B. V. *Te Deus omnipotens voto supplici exoro, ut quid dicam, jubeas: quid proferā, præbeas: ad quid sermonē dirigā, aperias: venerabile est mihi, ex præcordiis meis reverendissimū de matre Filii tui loqui, sed ejus dignitatis & gratiæ effectum, nec cor concipere, nec lingva valet exprimere.* Pater æternus Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro omnibus* tradi-

tradidit illum Idem fecit S. Mater. S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 20. §11. *Quod dicitur de Patre æterno, ita de ejus matre temporali dici potest Rom. 8. Proprio Filio suo* &c. *Tradidit illum voluntate & affectu.* Nã licet Christus *oblatus est quia ipse voluit.* Tamen etiam à Patre accepit moriendi præceptum: & si Angelo licuit confortare in horto Christũ, cur non & B. Virgini? Confortatio ista his fortè verbis Isai. 51. fiebat. *Consurge, consurge, induere fortitudinem Brachium Domini. Nunquid tu percussisti superbum & vulnerâsti draconem? nunquid non tu siccâsti mare aquã abyssi vehementis? Quis es tu ut timeas ab homine mortali? Elevare, elevare, consurge Jerusalẽ, quia bibistis de manu Domini calicem iræ ejus.* Certè Rich. à S. Laur. *Mater misericordiæ, Patrem misericordiarum adjuvit in opere nostræ salutis.* Habet hic novus Adã adjutorium simile sibi Bonav. stimuli p. 1. c. 3. *In cruce cum filio ò Domina crucifixa eras. Sed hoc distat quia ipse in corpore, tu in corde. Ibi lanceatum est cor tuum.* &c. Ecclesia verò Græca in Menæis 6. Junii verba quibus S. Virgo filium consolabatur, hæc ponit. *O lumen óculorum meorum, nihilominùs propter nos homines cruciatum istum lubens ac volens accepta, sustine clavos, crucem, spongiam, hastam, per quæ passionis instrumenta largiris talem vitam hominibus.* Hinc Bernardin. tom. 1. f. 51. c. 4. *O mira circa nos utriusq; Parentis dignatio, ô inæstimabilis Dei & Virginis dilectio charitatis, qui ut servum redimerent communem Filium tradiderunt, propter nimiam charitatem, quâ Deus & Virgo nos homines dilexerunt.* Filius hanc passionem licet suscepit lubens, non sine maximo dolore sustinuit, idem est de S. Matre. Niceph. l. 1. cap. 30. Virgo sangvinem & aquam de latere Christi fluentem vasculo quodam excepit, ac Deo Patri obtulit. Unde sicut offerebat cùm jam Christus mortuus offerre desierat, ita & dolebat. Videtur id totum descriptum fuisse 2. Reg. 21. *Respha tollens sibi cilicium substravit supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos de cælo.* B. Virgo ab initio messis nostræ salutis erat cum Christo, sed petra Calvariæ substravit cilicium. Hoc est ut Vatabus legit, *ex cilicio fecit tentorium*, hoc est carnem dedit Christo in qua ibi passus, dedit dolorem qualis decebat talis Filii Matrem.



*** *** ***

BREVIARII CONCIONATORII PARS III.

De Dominicis Æstivalibus.

Pro Dominica Paschæ.

Surrexit, Marci 16.

NUlli dubium eſt, quod ſine fide ſalvari non poſſumus. Et quidem ſine vera, nam falſa fides non eſt magis fides quàm ſtatua eſt Homo. Hebr. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO.* Et ita ſi moriatur vir bonus ſed infidelis, & contendat ſe debere admitti in cœlum, fit ipſi ut illi famulo bono & fideli, qui poſt mortem Domini expoſtulavit hæreditatem, nunquam egi perfidè, nunquam ſum inebriatus &c. Peto ſim hæres ut Filius. Reſponſum illi pro tuis virtutibus recepiſti bona, habuiſti benè &c. Sed non es Filius non accipies hæreditatem. Soli credentes ſunt Filii. *Qui non credit in Filium DEI jam condemnatus eſt*, Sed ſi quærerem quis articulus Fidei eſt, ſine quo inanis eſſet fides noſtra, ſtulti eſſent Martyres ignavi Confeſſores &c. Non quisque fortè reſponderet, reſpondebo.

Triplex eſt ſtatus mundi. Naturæ, legis, & gratiæ. In natura ſufficiebat ad ſalutem credere, quòd ſit DEUS, & quòd ſit re-

ſit remunerator bonorum ac malorum. In lege ſcripta oportebat inſuper credere quòd DEUS Filium ſuum miſſurus eſſet Meſſiam. In lege gratiæ ſupra iſta, quòd oportet credere Chriſtum & S. S. Trinitatem. Poſtea ex præcepto obligatur quisque ſcire ſymbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, Præcepta Eccleſiæ, Sacramenta præcipuè quæ quisque ſumit, ut ſunt, Baptiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, & alia quæ quis præter hæc accedit. Attamen quis eſt articulus qui in his omnibus pro fundamento ſupponitur, & quis niſi crederetur, inania eſſent iſta omnia? Reſp. Reſurrectio Chriſti, quia ſi ille non reſurrexiſſet, neq; nos ſpem reſurrectionis haberemus. 1. Cor. 15. *Si Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra.* Fruſtra Martyres paſſi, doctores docuerunt, Apoſtoli prædicârunt. &c. In hac enim vita paſſi non receperunt mercedem, imò afflicti ſunt &c. Fruſtra ſe abſtinuerunt & non juxta Epicurum vixerunt. Non juxta Machiovellum, ſi omnia bona ſunt in hac vita, neque tamen illorum præmium recipitur. &c. Reſurrectio mortuorum ſemper ſupponebatur & nos ſolatur. Neque ullum articulum ita Chriſtus roboravit. Apparuit poſt mortem imprimis Matri, ſed hoc non ſcripſerunt Evangeliſtæ, quia maternum de hac re non valuiſſet apud Judæos teſtimonium. Apparuit deinde Petro tanquam ſuo ſucceſſori. 3. Apparuit Magdalenæ, cujus teſtimonium valebat, quia fuit peccatrix, & nobilis omnibus nota. 4. Mariæ Jacobi, cujus habebatur filius Jacobus tam ſanctus, ut illi in Sancta Sanctorum liceret ingredi. MARIAE SALOME fœminæ ſimpliciſſimæ. Tum Euntibus in Emaus, deinde plusquam quingentis Fratribus, ut eſt 1. Cor. 15. 5. Diſcipulis absque Thoma. 6. Diſcipulis cum Thoma. 7. Diſcipulis ad mare Galileæ. Et omnibus in Aſcenſione. Comedit. Dixit: Palpate *Manus meas & pedes meos. Mitte manum tuam in latus meum, ſpiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videtis habere.*

Si igi-

Si igitur resurgemus, sumus immortales, non enim resurgit nisi quod cecidit, & ut resurgat, debet hoc ipsum resurgere. Quãtùm hinc gaudium nostrum! Hinc enim si in hac vita sum mendicus, possum in altera sperare me fore parem Regibus. Sum æger, non sentiam dolorem per æternitatem. Hîc contemnam bona, habebo ibi meliora. Hâc spe ducebatur Thomas Morus Angliæ Cancellarius, cùm illum in carcere uxor Aloysia accessisset cum prolibus. Assentire Conjux Regi, jura non esse caput aliud Ecclesiæ quàm Regem, te & nos liberabis à calamitate, & proles à mendicitate, in gratiam Regis recipieris, opibus florebis. Ille è contrà quamdiu mea Aloysia his bonis frui poterimus? illa, saltèm viginti annis. Tum Morus. *Stulta mercatrix es mea Aloysia.* Pro annis incertis viginti vendam æternitatem? & factum est quod Arnoldus de Job dixit. *Irrisit mens solida nugas uxorias, & modestissimâ increpatione præsumptionem muliebrem virili dignitate coërcuit.* Quis non dabit eleemosynam, cùm sciat centies in altera vita pro illa recepturum? quis non affliget corpus &c. Si *seminatur animale resurget spirituale.* Hâc spe idem Morus, cùm esset podagrâ coactùs uti scipione, eundo ad supplicium abjecit scipionem. *Eja pedes.* Recipiemus hæc omnia cum fœnore. Hâc spe mater Melithonis unius è quadraginta MM. tulit filium ad rogum, hâc mater Machabæorum. &c.

Sed hic advertamus quid dicat S. Paulus. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur,* In quo hæc mutatio? *Similes ei erimus.* In illa vita similes DEO erunt, qui in hac vita similes Christo fuerunt. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filii ejus.* Hic labor est Christiani conformem se Christo reddere. *Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat*, sic fuit sobrius, pudicus, &c. Sicut Pictor aspiciamus sæpè prototypum, veniet tempus quando juxta hoc proto-

totypum examinabimur, talis fuit Christus, esne tu talis, qui te dicis Christianum? si non es, non immutaberis, nam mutatio quæ fit per mortem non respicitur, sic enim enim omnes immutabuntur dum fiet é corpore cinis. Sed mutatio ab Adam vetere ad novum, inspicietur, an sis Christo similis. Si Pictor volens Regem exprimere, pingeret pro oculis basiliscos pro manibus harpyas, &c. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* De quo multus fœtor exit, in quo oratorum fama sepelitur. Ita multi dicunt se imitari Christum, hinc non ad similitudinem Christi resurgent, erant sicut Job ulceribus obsiti, sicut Lazarus, sicut canis in ignem projectus, & hoc in perpetuum, non est hæc mutatio, quâ *similes ei erimus.* Eligite. Hic carcer fœtidus, ibi Palatium: hîc Pater, ibi carnifices, hîc &c. Isid. Palusiota. *Cur potiùs vultis ad momentum esse fucati, quàm in æternum beati: ad horam libidinosi, quàm in æternum gloriosi?* veniet tempus, quando quod fecerunt Vandali Cartaginiensibus Christianis, liber Evangeliorum contra nos proferetur. Credidistis resurrectionem itane vos confirmâstis Christo in vita, ut perveniretis ad conformationem cum illo post mortem? ita enim de sua Cartagine Salvianus. *Nam cum armis nos atq; auxiliis superbiremus, à parte hostium nobis liber divinæ legis occurrit. Non timidi sed prudentes Vandali librum legis contra Christianos tulêre quam non servabant, nullum telum contra ipsos fortiùs putantes legè neglectâ.* Conformamus nos potiùs mundo. Ps. 13. *Omnes declinaverunt* Isai. 5. *Dilatavit infernus animam suam.* Ad similitudinem inferni se multi componunt, similes illi erunt. Salvianus. Ethnicis *vitâ moribus deteriores sumus, lege enim Catholicâ sine comparatione meliores. Sed illud considerandum est, quia quòd lex bona est & vestrum non est: quòd autem malè vivimus nostrum est.*

Pro

Pro secundo Die Paschatis,

Finxit se longiùs ire. Lucæ 24.

NOn est mirum quod se junxit Christus euntibus in Emaus: quia Ecli. 13. *Omnis homo simili sibi sociabitur.* Miles militi, doctus docto, &c. Christus fuit *in terra peregrinus*, Isai. Peregrinis se sociat. Sed hoc mirum quòd ab iis se ostendat velle dividere. *Finxit se longiùs ire.* Scrutemur hoc mysterium.

Salomon appellavit Filium DEI *speculum*, quia & Patrem & nos exprimit. Accedit quis ad speculum & imago in speculo ad eum accedit; recedit quis, & imago recedit. Opponit se sol speculo, speculum reddit solem: opponit se basiliscus in basiliscum virus redit & eum mactat. *Cum Sancto Sanctus eris, cum perverso perverteris.* Recedit quis à Deo & DEus ab illo: & quia sine DEO omnia nihil, statim omnia abeunt in nihil. *DEus dereliquit eum persequimini & comprehendite.* Nihili fecisti, ô homo præcepta DEI, sis ipse nihil. Venite Barbari in nihilum reducite hoc regnum, quod pro nihilo me habet. Oseæ. *Væ eis cùm recessero ab eis.* Recessit à Saule 1. Reg. 28. Quid factum de eo? Venite Mahometani destruite regna, &c. Ecli. 10. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias, & contumelias & diversos dolos.* Ipse Attila sentiebat se impelli ad destruendas civitates, *DEUS dereliquit eum.* Nimirum ipsa peccata advocant vindictam, sicut occisi cadaver prodit homicidam præsente illo stillando sanguinem. Oseæ 6. *Galaad civitas operantium idolum supplantata sanguine.* Clariùs id ipsum patet ex Lect. Hebr. *Investigata sanguine.* Sicut cum homicidia volens abscondere cadaver trahit in locum occultum proditur vestigio sanguinis per hæc vestigia prodimur Barbaris, dum eos advo-

cant noſtra peccata. *Deus dereliquit eam, perſequimini.* Ex altera parte obedit Moyſes Deo obediunt Moyſi omnes creaturæ. Iſta eſt cauſa cur coram diſcipulis, *Finxit ſe longiùs ire.* Greg. hom. 23. *Saltem ſe illis exhibebat in corpore, qualis erat in illorum mente* illi ab eo recedebant. *Nos putabamus.* Cæperunt ad illum redire, hoſpitalitatem exercendo. Ille etiam ad illos acceſſit. *Nos putabamus*, Pſalm. 68. *Extraneus factus ſum Fratribus meis, & peregrinus Filiis Matris meæ.* Labores mei in vita fuerunt peregrinatio Iſai 38. *Peregrinum eſt opus ejus ab eo.* Jam finivi redemptionem, jam peregrinationem, & vos putatis me illam nondum peregiſſe Oſeæ 12. *Ego locutus ſum per Prophetas, & ego viſionem multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum.* Nonne Prophetæ prædixerunt, non aliter me redempturum Iſraël quàm per mortem? nonne hoc ipſum variis figuris explicuerunt? recordemini quòd ceſſavit tempeſtas quando Jonas in mare miſſus. Obnoxii morti expectant ſupremam diem ſummi Sacerdotis, &c. Fefellitne aliquod verbum Prophetarum? & me Prophetam reputatis. Nonne prædixi? *Filius hominis tradetur, &c. tertiâ die reſurget.* Habeor apud vos peregrinus, peregrinum ſpectate. Agapitus Diacon. ad Juſtinianum Imp. *Sicut exquiſita ſpecula tales monſtrant vultuum apparentias, qualia ipſa archetypa: eodem pacto noſtris actionibus DEI judicium aſſimilatur.*

Agnoverunt diſcipuli Dominum, ſed ſimul oſtenderunt modos quibus peccator poſſet recuperare Chriſtum. Eſt verò modus, pie loqui, & opera charitatis exercere. *Cùm fabularentur* in via. Dicebat unus alteri, v. gr. Quid tibi videtur de Chriſto? ego putabam DEum, cum tanta miracula facientem viderem. Sed ſi DEUS eſt, quomodo in cruce dixiſſet, *Deus, Deus meus &c.* Sed ſi fuiſſet etiam merè homo quomodo Lazarum ſuſcitaviſſet? Oravit in horto ne moreretur, ſed ſponte

ſpontè ivit in Jeruſalm, ut moreretur, &c. Illi Verba DEI loquebantur, accesſit ad illos Verbum Dei. Habent hoc Electi ut etiamſi labantur in peccata, ſicut Filius Regis in ſervitutem, tamen indoles, mores, ſermo, in illis remaneat diverſus ab aliis mancipiis. Loquuntur & hi ſermonem Filiorum Dei, appetunt ex peccato liberari. Origen. hom. 11. in Exod. *Qui pleniorem DEI ſcientiam accipiunt, etiamſi malum facient, in conſpectu ejus facient, ſicut qui dixit Tibi ſoli peccavi & malum coram te feci: hi continuò pænitent & dicunt, peccavi.* Prohibuit Deus Levit 11. Ne comederent piſcem, qui non habet ſquamam & pinnulas, rationem dat Lyranus. Quia tales piſces in ſacrificiis ſuis adhibebant Ethnici. Sed aliam & altiorem Gregor. Mag. *Saliunt ad cœleſtem contemplationem ex aquis qui habent pinnulas licet interdum mari mergantur.*

Alterum eſt, opera Charitatis facere. Calor elevat materias etiam craſſas, vapores, &c. Parum eſt ſolent bona verba dare. Oſæe, *Vitis frondoſa Iſrael, vitis frondoſa.* Sola folia habes, dicis: Amo te DEus, & fame, frigore moritur, qui poterat vivere ex his quæ in canes alendos, ſaxa in parentibus tegenda, expendis. Cur Deus Jeroſolymam rejecit? Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum & dabitur genti facienti fructus ejus.* Nos iſta monent, Iſa. 30. *Donec relinquamini quaſi ſignum ſupra collem, & quaſi malus navis in vertice mortis.* Confracta eſt ea velut navis in mari ſubmerſa eſt Jeruſalem. Dum in aliquo loco naves franguntur, erigitur in vicino colle aut monte malus, ut cæteræ naves ſibi caveant. Sed nos multa proponimus, promittimus, pauca facimus, Bernard. lib. 5. ad Eugen. *Docuerunt linguam ſuam grandia loqui cùm operentur exigua.* Sed tales ſunt imbecilles. Thomas dixit: *Eamus & nos moriamur cum illo.* De hoc Chryſoſt. hom. 61. in Joan. *Imbecillior erat cæteris.* Petrus ſimiliter. *Etſi omnes ſcandaliſſati*

fuerint, &c. Chrysost. hom. 31. ad Pop. *Nihil turpius quàm in lingua potentiam habere.* Imò hoc est signum quòd tales succumbent, & certè Petrus negavit: Thomas pertinacior fuit in infidelitate. Prodit Goliath in campum, declamat: *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestiis terræ.* Sed hoc pro omine victoriæ fuit Davidi, Basil. Seleus. Orat. 15. *Maledicam illam Philistæi linguam victoriæ pignus teneo.* Sed è contra Electi ut Oleaster in Gen. 18. *Plura Justi semper ex bonis exhibent quàm promittunt.* Invitavit Angelos Abraham pro bucella panis, apposuit vitulum. Cypr. de potentia: *Philosophi factis non verbis sumus.* Quis horum discursus? Chrysost. in 1. Cor. hom. 30. *Hic Syllogismus certissimus est qui per opera efficitur,* Quæ illius conclusio? Ambros. de Dignit. Sacerd. cap. 3. *Quod sumus professione, actione potiùs quàm nomine demonstremus, ne sit nomen inane crimen immane: ne sit honor sublimis & vita deformis: ne sit Deifica Professio eo illicita actio: ne locutionem simulemus columbinam, & mentem habeamus caninam.* Hieron. ad Nepotianum: *Avaritiam accusare & latro potest.* Chrysost. hom. 3. in 1. Cor. *Hæc est ratiocinatio cui contradici non potest, quæ fit per facta.* Quid si adhuc aliquis donis DEI in offensam ejus abutatur, venietnè ad illam Christus? Osee. 2. *Dedi eis argentum & aurum multiplicavi, & fecerunt Baal.* Dedit eis spolia Ægypti & fecerunt vitulum.

Tertio die Paschatis.

CONCIO I.

Pax vobis. Joan. 20.

DUplex est pax publica, ut non sint bella; hæc non est in cujusvis potestate. Privata, hanc ter Christus dedit: 1. Hodie cùm turbatos intra se, & in anima sua non habentes pacem

pacem solatur. Pax vobis, vobiscum. 2. Cùm mittit ad proximos. *Sicut me misit Pater, &c. Pax vobis.* Pax cum proximo. 3. Cùm Thomam ad fidem reducit. *Pax vobis* cum DEO. De hac triplici pace loquar.

Pax vobis vobiscum, sed quis contra se pugnat? quinimò hæc est quotidiana lucta; anima est spiritus, tendit ad Angelos, ad DEum. Simile gaudet simili: Corpus ad terrã. An non erit lucta si alligatur avis lapidi? Parum dixi, est tanta lucta, ut si quis alligetur, desuper manibus, ad pedes vero habeat ligatũ lapidem & sic in aëre pendeat. Sap. 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Unde quidam lamentabatur. Psalm. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, &c. Factus sum mihi ipsi gravis.* Gal. 5. *Caro concupiscit adversùs spiritum.* Spiritus inclinat ad orationem, caro ad somnum: Spiritus ad jejunium, caro ad convivium, &c. *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*, Sap. 9. Quid faciendum ut sit pax? vel Anima debet subjici carni, vel caro animæ. Animam subjici non decet carni, hoc enim esset equitem ab equo: Dominam à stulta famula. Quid enim est anima? est minor quidam Angelus, est Filia DEI, &c. quid vero est caro, detrahe pelliculam, videbis. Raymundus Lullus ita deperibat quandam, ut etiam eques incurrerit in templum prosequendo illam: Sed cùm illius mammillam putrem conspexit, ita exhorruit, ut ex eo vitam in multò meliorem mutaverit. Quid est caro? Sepulchrum dealbatum: Saccus sericeus plenus luto. Percipiet ejus odorem si manum manu attritam naribus admoveris. Unde concludo cum Bern. *Non decet ancillam dominari, & dominam famulari.* Sed neque si Anima carni subjiceretur, res bonum exitum haberet. Quidam Rex dum peregrè abiret, reliquit domi Filiam, & ancillæ commendavit. Captus miles amore Filiæ usus ad eam seducendam operâ ancillæ. Vestit se optimè ancilla, Filia manet nuda, famẽ &c. plorat,

plorat, nonne ego sum Filia Regis? Ancilla suadet, urget, assentire militi, & tandem sollicitationibus victa consentit. Rex postquam rediit, re intellectâ, & Filiam, & Ancillam jactari jubet in ignem. Ita planè est, Ancilla caro sollicitat, ut consentiat militi diabolo. Ambr. lib. 9. in Luc. *O misera anima quæ tam pretiosè redempta, cur permittis corpus tibi dominari!* Subjiciatur ergo animæ corpus juxta consilium Aug. *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentiâ escæ & potûs quantum valetudo permittit.* Si rebellat ancilla, flagris, inediâ, ad obsequium reducitur. Hâc arte sancti pacem habebant secum. Job. 5. *Pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem tuam non peccabis.* Oportet tamen ut id fiat, *quantùm valetudo permittit.* Nam jumento nemo tantum onus imponit ut illud frangat. Oportet simul meminisse, quòd corpus nostrum sit tabernaculum animæ, quod purgari non destrui debet. Verum est quod 2. Cor. 5. *Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus.* Sed tamen illud conservari debet. Tamen hosti nostro vires non sunt addendæ. Detur ancillæ cibus, sed neque Filiæ Regis negetur, &c. Deut. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam sollicitè.* Purpura animæ, est patientia: lectus sunt Christi vulnera, cibus verbum DEI, &c. Sed de misera anima dici potest, Psalm. 72. *Non est respectus in plaga eorum.*

Pax vobis cum proximo. Varii sunt nostri proximi, variè pax cum illis servatur. Domini pacem cum subditis servabunt, illos ab injuriis defendendo: Justitiam administrando, reditus novos non extorquendo, affabiles se præbendo, &c. 2. Subditi cum Dominis, si *cui tributum, tributum*, obedientia, fidelitas. 3. Divites cum pauperibus, dando mutuum absque usura. 4. Sani cum infirmis charitatem quam vellent sibi impendi si essent pauperes, exhibendo. 5. Vir cum uxore,

& è contra, quæ sibi promiserunt, præstando. 6. Parentes cum Filiis, eos in honore Dei instituendo. Parcendum æqualibus, ita in palatio Principis injuria dissimulatur, sumus in palatio Dei in hoc mundo, Baruch. 3. *O Israël, quàm magna domus Dei tui!* Deus inter nos bona mundi distribuit, ut Dominus inter famulos. Quod si unus alteri famulo vellet eripere? *Qui furabatur jam non furetur.* Non furetur famam. S. Vincent. Ferreriens. est hujus sententiæ, quòd qui aliquem læsit in hac vita neque deprecatur, etiam post mortem ad deprecandum illum est mittendus. & addit. *Hoc esse verum puto, ego enim sum ille cui hoc contigit.* Neque alia hujus rei desunt exempla. Ephes. 4. *Solliciti servare unitatem in vinculo pacis.* Sunt aliqui parati, sed non solliciti, scilicet, si læsus prior fuerit illos deprecatus. Si quis Majorum pro illo petierit. Quid ad hoc Christus in suo judicio? Tu condonâsti injuriam v.g. propter Principem, ille hoc tibi compenset. Psalm. 33. *Quis est homo qui vult vitam? Inquire pacem & prosequere eam.* Noli expectare ut rogeris. Quando membra sunt dispersa non habent vitam. Hebr. 12. *Pacem sectemini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit.* Pax vobis cum Deo. Subditi pacem habent cum Domino si obediant. Job. 22. *Acquiesce ei*, id est, DEO, *& habebis pacem cum eo.* Spopondimus in Baptismo huic Domino obsequium: Si recurramus ad superstitiones, cacomagias, frangimus fidem. Obsequium hoc præstetur, ore non pejerando non blasphemando. Aliàs vindicabit Dominus. Opere, reddendo Deo quæ Dei sunt, servavit sibi unam diem de septimana, decimas, reddatur illi. Qui invadit partem Domini, etiam suam solet perdere. Corde, quia hic Dominus est cordis. O Domine Psalm. *Fiat pax in virtute tua.* Sed multi sunt quibus illud Aug. dici potest, *Aurum tuum pax tua.* Si illud acquiras, in eo cor defigis. *Argentum*

tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, sed quis finis hujus pacis? Non est ista pax Christi, pax ista est cum Plutone præside opum, &c.

Eodem die CONCIO II.

Nolite timere, ego sum.

TAnti est momenti vivâ fide credere mortuorum resurrectionem, ut Ecclesia 52. dies memoriæ resurrectionis Christi dederit veluti octavas Paschatis, ita enim in hymno Dominicarum. Vel *quâ resurgens Conditor &c.* Credimus resurrectionem Christi. Sed in hac vita non Christi, sed Lazari sæpè reditum ad vitam imitamur. Cypr. de Resurr. Domini. *Resurrexit & Lazarus & alii nonnulli ad imperium CHRISTI & aliquo tempore beneficio vitæ usi, iterum ad funera redierunt: sed CHRISTUS resurgens ex mortuis jam non moritur.* Surrexerunt aliqui de peccatis, & dicebant Magdalenis, *Noli me tangere.* Jam gloriosi velut Angeli in albis erant. Sed diunè! si volumus regnare cum Christo, surgamus cum Christo. *Jam non moritur* & surgamus hic si benè consideraverimus, quod post surrecturi sumus, quibus nos in hâc re argumentis Christus roboret perpendamus.

Expaverunt discipuli viso Domino, certè meritò, quia non ampliùs illum credebant resurrecturum cùm tamen id vivens toties asseruisset, meminerant quomodo illũ deseruissent, sciebant quantùm doleat offensa si inferatur illi qui te plurimùm amavit, tibi benefecit. Ita DEus per Nathan exprobrabat Davidi, 2.Reg.13. *Tuli te gregibus ovium, &c. quare ergo contempsisti verbũ Domini?* Isai 42. meminerant forte quomodo de ingratis Patribus eorũ questus. *Sicut parturiens loquar, dissipabo & abstra-*

ham

ham simul. Hinc sibi metuebant sicut Amici Job videndo ejus plagas. Origen. lib. 3 in Job. *Certum est quòd non solùm pro Job, sed etiam pro se, unusquisq; illorum sollicitus erat, metuens quid etiam de se gereretur.* Ostendet nobis manus, dicet; hæc ego pro vobis, vos quid? *Nolite timere.* Ostendet, sed an ad vestrum solatium? Iste est Jacob qui Liam habuit Synagogam, jam Rachelem accepit Ecclesiam, quæ Labano, id est gentibus suffurabitur idola. Gaudii apud illum est dies non pœnarum, jam per scalas demittet vobis Angelos in auxilum. Rachel significat ovem, hanc dimissis 99. quæsivit, invenit. Cyrill. lib. 4. in Genes. *Christo personam Jacobi accommodabo, siquidem in principio juniorem Rachelem adamat, hoc est, Ecclesiam ex Gentibus, ducit verò quodāmodo seniorem Liam, quæ laborans interpretatur laboravit enim in servitute Ægyptiorū. Nolite timere.* Discipuli erunt post vos, qui digniores erunt timore, queretur de illis S. Bern. ser. de Resurr. *Amatores sæculi anhelant ad Pascha, ut liberiùs se dent voluptati, proh dolor? peccandi tempus, terminus recidendi, facta est resurrectio Salvatoris, quasi verò ad hæc surrexit Christus & non ad justificationem.* Jam ad argumenta.

Nolite timere. *Pax vobis.* Credite quòd verè surrexerim, nec me putate spiritum nam si spiritus vobis apparet bonus, non mentitur dicens vobis me surrexisse. Malus nunquam dat pacem ut ego do. Et certè cùm spiritus malus insidet domum, quomodo tumultum excitat? Ita cùm peccatoris animam occupat, si videt eam velle resipiscere commovet turbas. Greg. 3. Moral. 12. *Dum quasi cauti incerta mala prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti detinentur.* Expertus id Aug. 3. Confess. 11. *Punctum temporis quo aliud futurus eram, quantò propiùs admovebatur, tantò ampliorem incutiebat horrorem.* Et fit peccatori quod Judic. 9. *Umbras montium vides quasi capita hominum.* Christi est dare pacem. Joan. 17. *Ut*

sint unum sicut & nos: Sed quomodo hoc fieri potest? Clemens Alexandr. admon. ad Gentes. *Multi in unam cogi dilectionem per Monachicæ essentiæ unionem festinemus.* Allusio hic videtur esse ad verba Trismegisti quibus putatur innuisse SS. Trinitatem. *Monas genuit Monadem* &c. Sed hoc ipsum quomodo? Explicat Nazianz. orat. 1. de pace. *Ut unum sint, accipiant à SS. Trinitate.* Donum DEI, non spiritûs mali est pax. Hîc ab auditu argumentum. Sequitur à tactu. *Palpate & videte manus meas* &c. Aug. serm. 69. de diversis. *Probent sibi manus vestræ si mentiuntur oculi vestri.* Constat vobis me non esse spiritum qui mentiri vellet, proinde corpus non fingerem, si illud non haberem. Sed hîc unum insurgit dubium. Corpus Christi jam tunc fuit gloriosum, & ope subtilitatis per clausas januas ingressum, quomodo non etiam penetravit manus tangentium, atque palpari potuit? responsum desumo ex doctrina S. Tho. 3. p. q. 54. a. 3. ad 2. Tria sunt in corpore. 1. Resistere alteri corpori, ut scilicet ab eo penetrari non possit. 2. Sentiri, scilicet sensibus. 3. Palpari, scilicet fortiùs tangi, premi. Cœlum resistit non sentitur: ignis non resistit, sentitur. Sentitur corpus per qualitates, resistit per duritiem. palpatur cùm & resistit & sentitur. Corpora gloriosa habent subtilitatem ut non resistant sed penetrent. Habent secundò ut possint nec sentiri nec videri. Sed utuntur his dotibus prout volunt. Possunt aliquando solùm sentiri & non resistunt. Christus ergò potuit se præbere & tangendum & palpandum. Et hoc ipso argumento usus pro vera Lazari resuscitatione. Videbantur scribit Ammonius miraculum circa Lazarum, quia ligatus manus & pedes ambulabat. Jussit solvi institas, ut tactu veritatem explorarent Chrysost. in catena Corderii in Joann. 11. *Jussit Lazarum solvi, ut tangentes & vi amoris affecti, verè illum ipsum esse nossent.*

Adhi-

Adhibuit tertium argumentum à visu. *Videte manus meas,* &c. Cur hæc reliquit signa? Ambr. *Ut DEO Patri nostræ pretia libertatis ostenderet.* Sed signum est veræ resurrectionis, si præcedentibus aliis hæc signa ostendantur. Hæc eadem signa erunt in Martyribus post resurrectionem. Aug 22. de civit. 20. *Non deformitas in eis sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed pulchritudo virtutis fulgebit.* Adhibuit gustum. *Habetisnè aliquid quod manducem?* Corpus gloriosum non eget cibo, sed manducare potest, sed hic cibus non transit in corporum gloriosorum substantiam, at veluti gutta igni injecta evaporat, ita Angeli aliquando comederunt. Tobiæ 12. *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere. Sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Christus tamen cibos requisivit, quia non fallebat, ut & in morte filiæ Jair, & in Lazari suscitatione. Ad olfactum. Joan. 20. *Insufflavit in eos.* Si Gen. 22. *Ecce odor Filii mei sicut odor agri pleni.* Etiam odor de Christi corpore prodivit. Et tunc benedictionem junior majori præripuit, tunc Ecclesia proripiebat Synagogæ. *Pleni agri. Non veni solvere legem sed adimplere.* Ut virilis ætas adimplet pueritiam, Postquam sensibus satisfactum, ad intellectum veniamus. *Aperuit illis scripturas* Scriptura S. certior est quàm sensus. Et quidem fortè ex Genesi, cùm hoc non sit scriptum. Arbor vitæ fuit in medio paradisi. Ps. 72. *Operatus est salutem in medio terræ,* scilicet habitabilis. Ædificavit mulierem, tulit costam de latere dormientis, Ecclesiam de latere Christi cui jam mortuo latus apertum. Benedixit Joseph filiis Jacob. manibus decussatis ut supra minorem poneret dextram. Major erat Manasses, quod significat oblivio, quia in oblivionem tradendi erant Judæi: Effraim junior significat augmentum, quia in orbem diffundenda erat Ecclesia. &c,



Cùm ita ſimus certi de noſtra reſurrectione quam in ſe oſtendit Chriſtus quid agimus? Fuit in quodam regno hic mos. Creabant Principem, quando ille minimè cogitabat expellebant eum in certam inſulam, quod in illam præmiſit hoc habuit. Scimus nos ex hac vita expellendos, cur non præmittimus? famem patiemur, nuditatem; deportemus in cœlum. Vivemus, quid ibi inveniemus? &c.

Domminica I. poſt Paſcha.

Stetit in medio & dixit, Pax vobis.

ADeò pax non ſolùm cum DEO ſed & cum proximo neceſſaria ad ſalutem. Ut dixerit Aug. de verbis Domini. *Non poterit ad hæreditatem Domini pervenire, qui teſtamentum pacis noluerit obſervare,* Quia Chriſtus nobis teſtamento reliquit pacem. *Nec poteſt concordiam habere cum Chriſto qui diſcors voluerit eſſe cum Chriſtiano.* Et Hieron. in Pſ. 75. *Ubi Zelus atq; diſcordia ibi non eſt protector DEUS.* Sed vehementiùs pacem commendat Chryſoſt. in catena Corderi ſupra Luc. 10. *Quia pacificatores ſunt filii DEI, innovatores ſunt filii diaboli, cùm Chriſti corpus divellunt & diſtrahunt, magis ipſis militibus qui illud lanceis conciderunt, vel Judæis qui illud clavis confixerunt, crudeles. Quòd malum hoc minus eſt, quòd membra illa diſcerpta iterum coaluerunt, hæc verò diſtracta niſi hîc coaleſcant, non ampliùs coaleſcent. Quando igitur cum fratre pugnare volueris cogita te dimicare cum membris Chriſti.* Medium ad pacem non eſt melius, quàm quod Chriſtus reipsâ propoſuit, *ſtare in medio*, & hoc ipſum vobis proponam.

Stetit in medio. Accidit apud Parentes, gubernatores, &c. ut aliquando non ſtent in medio ſed in unam partem affectum inclinent. Advertit Rupert. Abb. Tuitien. l. 7. in Gen. 15. Quòd

Isaac magis inclinabat in Esau quàm in Jacob. *Quia officiosus erat Patri, venatio enim ejus erat cibus.* Hoc ipsum Jacobo accidit Gen. 37. *Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum.* Et quia hoc signis externis etiam ostendebant, hinc odia inter Jacob & Esau, inter Josephum & fratres ejus. Sed nunquid non Beniamin post Josephum natus? Rupert. l. c. *Ideò scriptura dat futilem rationem amoris Jacobæi, ut ostendat si sit inæqualitas sine ratione, quanta faciat mala.* Volunt parentes ut sit inter filios concordia, stent in medio. Duos orbi præpositos DEUS creavit *Solem ut præesset diei, Lunam ut praeesset nocti.* Theophilact. ad Matth. 2. *Tu supra domum tuam vides Lunam, fortè & ego video eandem nonnisi super domum meam, & unicuiq; videtur stare nonnisi supra domum suam.* Quasi te solùm videtur intueri Luna noctu, & nulli alteri dare influxus &c. Quanquam cuique det juxta capacitatem subjecti, aliter plantæ, aliter metallo, &c. Propterea nemo litigat quasi alteri non illi luceat. Ambr. lib. 4. Hexam. cap. 6. *Etsi interdum augeatur lumen Lunæ, atq; minuatur, tamen eâdem nocte, qualis mihi apparet talis & omnibus. Similis sol Indis* nigris, *& Britannis* formosis. *Nec cùm vergit in occasum minor apparet Orientalibus quàm Occidentalibus.* Stetit JESUS in medio & dixit, *Pax vobis.* Similitudine funambuli illustrat hoc Greg. Nazianz. orat. 1. Hi enim stare debent in medio, nam si in partem inclinaverint, decident. *Ad eundem quoq; modum utramvis in partem quispiam, sive ob vitium, sive ob imperitiam propendeat, haud leve periculum tum ipsi tum subditis imminet, ut in peccatum labantur.* Dilexit plus Jacob Josephum & dedit illi vestem polymitam, remissa est illi sangvine inspersa. Abulen. in Gen. 37. *Pater vel Dominus, qui è domo sua invidiam propulsare desiderat, etiamsi aliquem specialiùs & obnixiùs diligat, nulli tamen specialis amoris demonstret insignia.*

Hinc aliqui dicunt, *Pax tibi*, non *pax vobis*. Chrysost. *Quid profuerit, si cum uno quidem pacem habeas cum alio verò bellum & dissensionem?* Et hoc illustrat simili: *si in elementis duo conveniant, alia turbentur. Si in corpore humores, sangvis cholera à melancholia & phlegmate dissideant*, quid erit? Nunquam hæc verba DEUS dixit, revolvite S. Biblia. *Faveo, Fautor, Favor*, & ideò pax. In cœlo pax. Sed Ps. 45. *DEUS in medio ejus non commovebitur.* Qui superior vult scire an sit in medio, cogitet se esse centrum, subditos circumferentiam, ducat ad singulos lineas, si æquales invenerit, in medio erit. Si æquè succurrit in pari necessitate, æquè blandè alloquitur, laudat &c. Quodsi non est in medio & ipse non erit suo loco, erunt conspirationes, suspiciones &c. Ita cum suis egit Christus ut discipuli non potuerint advertere cui altiorem in cœlo pararet locum, unde interrogabant. *Quis putas major est in regno cœlorum?* Omnibus lavit pedes, omnibus se dedit. Sed quando in unam partem inclinatur. Salvian. de Providentia lib. 4. *Ut pauci illustrentur mundus evertitur, unius honor orbis excidium.* Ita in horologio si index circa unam horam diutiùs moretur quàm circa aliam, totum horologium fit ineptum, tum ibi una rota, aliam nimis premit &c.

Pacem inferiores habebunt cum Præpositis, si in medio steterint. Ps. 100. *Perambulabum in innocentia cordis mei in medio domûs meæ.* Sint in medio domûs suæ non alienæ. Hoc est centrum cujusque, in centro res quiescunt, attendat suo officio. Hugo Cardin. in illud Eccli. 32. *Præcurre prior in domum tuam, & illic advocare, & illic lude, & age prior conceptiones tuas.* Ita scribit. *Cujuscunq; modi homo sis, omne genus officinæ habes in domo tua: si miles es, ibi est armamentarium in quo sunt clypei: si Clericus es, scholæ ibi sunt & templum. Si rusticus es ibi ager tuus: Si monachus, habes claustrum pulcherrimum.* Noli aliorum facta inspice-

inſpicere habes quod cum tuis agas. Nullum carpas, eſt alter ſegnis quid ad te &c.? ſolet hoc vitium accidere ſcrupuloſis. Joann. 13. Volebat pedes Chriſtus lavare Petro. Ille, *in æternum non lavabis mihi.* Et paulò poſt. Lava & caput & manus Chryſoſt. *In recuſando vehemens Petrus, & in permittendo vehementior:* In utramque partem nimii, ſive carpant, ſive laudent aliena. Pſ. 31. *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe.* Hebr. legit. *In flagello & fræno.* Contineant ſe in medio domûs ſuæ, habeant ad hoc frænum & flagellum. Se contineant ut jumentum. Sol in medio eſt planetarum & pax eſt omnibus. Sed ſi digrederetur ad cœlum Martis quantam bilem concitaret? Si ad Saturni, quantam Melancholiam &c. Bonus eſt ſol. Sed ſi in ſuo cœlo manſerit. Bonum eſt caput, ſed ſi non appetierit eſſe in loco manûs &c. Hoc ſi fecerit aderit benedictio DEI. Galfrid. lib. 1. epiſt. 13. *Amat medium Mediator DEI & hominum qui reſurgens quoq; ſtetit in medio.* Omnes in Chriſto amplectatur, apud quem *non eſt diſtinctio Judæi & Græci, Barbari & Scythæ* &c. *DEUS non eſt acceptator perſonarum.* Omnes habeo inſtar fratrum, *dicite fratribus.* Nullum contemnit Gen. 2. *Faciamus hominem &c. ut præſit piſcibus maris.* Nyſſen. orat. 1. *Non dicit, præſit animantibus quæ ſimul cum ipſo educata, ſed piſcibus qui vitam in aquis degunt.* Illis præſit qui ex aqua, non illis qui ex eodem tecum elemento terræ. Ambr. ſerm. 14. in Pſ. 118. *Joſeph ſcivit ſibi obfuiſſe quod prælatus erat fratribus, prælatio armavit fratres.* Æquè tibi dicitur atque aliis. *Memento homo quia pulvis es.* Hoc tuos tumentes ſpiritus componat. Jactat ſe aliquis plebejus de ficta nobilitate, reducitur illi in memoriam Pater ejus, quia ſcit, terra es. Comædia eſt mundus, non ideò vilior qui in ea perſonam agit vilem. Inter te & nihil ſolùm terra mediat, itaque nepos es nihili. Clamabant Judæi viſo aureo vitulo, Iſte eſt DEUS. Exod. 32. Concidit vitulum

Moyses in frusta *contrivit illud* idolum *combussit usq; ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël.* Putas te idolum, putas te aliqud, es pulvis, & de hoc vitulo litigas ut eum adorent. Isai. 44. de idolo ligneo ita dicitur. *Pars ejus cinis est & vir insipiens adoravit illud.* Nobis velle alios insipientes. Truncus & idolum ex eodem ligno. Propterea Rex Salomon Sap. 7. *Sum & ego mortalis homo similis omnibus.* Terræ proprium esse in medio. Sis in medio, sis ut es terra, & pax erit, non solùm cùm proximo sed etiam cum DEO.

Ut enim pacem habeamus cum DEO opus stare in medio. *Stetit in medio* Christus, *Pax vobis.* Quid paci cum statione? 4. Reg. 22. *State fortes in bello.* Contra hostem animæ nostræ stare, pax est. 4 Reg. 22. accepit promissionem Josias. *Pro eo quòd audisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, idcircò colligam te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* Quæ illius pax? *Venit Nechao Rex Ægypti, & abiit Josias in occursum ejus, & occisus est in Mageddo.* Volebat Nechao ducere exercitum per Judæam in Syriam, opposuit se Josias, & occisus. Hæccine pax? sed in hoc mundo non potest aliter cum DEO servari quàm stando, bellando. Sed tunc pax est quando nos pro Ecclesia opponimus. Pro hac re dat similitudines Chrysost. hom. 31. in Matth. 1. Tunc pax est corpori si medicus ex illo excindit putrefacta. 2. Quando Dux ad sopiendam rebellionem concitat unum militem in alium. 3. Quando DEUS in turri Babel confudit lingvas. In ipso cœlo pax hoc modo figuratur. Ps. 147. *Qui posuit fines tuos pacem.* Describit cœlum sub specie civitatis munitæ, & addit muros. Muri sunt propter hostem. Sed illi muri sunt pax. Cæsarius Arelaten. hom. 11. *Hierusalem illa cælestis muros de pace constructos habet.* Ita Josias in pace mortuus quia hosti invadenti Ecclesiam occurrit. Synesius lib. de Regno, ita

de Re

de Rege loquitur. *Bellicosus omnium maximè pacificus fuerit, soli enim pacem colere licet qui lacessentes ulcisci ac malè afficere potest.* Ita qui pro Ecclesia bellat, ita qui suis passionibus obsistit, propterea Christus dum pacem prædicat vulnera in manibus ostendit.

Dominica II. post Pascha,

Ego cognosco oves meas. Joan. 10.

SIve sint Principes sive privati &c. Omnes dicere possunt quod Jacob Filii Gen. 47. *Pastores ovium sumus & nos & Patres nostri.* Dedit nobis DEUS oviculam ad pascendum animam nostram. Deut. 4. *Custodi temetipsum & animam tuam sollicitè.* Et ipse Christus præit exemplo, ex quo duo potissimùm documenta capiamus. Nosse oves, & amare, & in his sermo præsens sistet.

Nosse oportet animam suam quanti sit pretii, inde sumet vires diligentia circa illam. Christus quasi ex bilance dignitatem ejus vult colligi. Ponantur in una parte omnes gemmæ mundi, omne aurum, omnia regna &c. Ex altera parte anima, præponderabit. Matth. 16. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Si igitur magnam curam adhiberes, cùm tibi essent commissæ gemmæ &c. Multò majorem adhibere debes cùm tibi est commissa anima. Ipse DEUS tanti illam æstimat ut unum de suis Principibus det illi ad custodiam. Hieron. in Matth. 18. *Magna est dignitas animarum ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis suæ bonum Angelum ad custodiam deputatum.* Plus est, tanti illam æstimat ut pro illa dederit Filium suum. Sed ita evenit ut illi mercatori. Emit pretiosam margaritam, dedit omnia sua pro illa, commisit uxori servandam, videret quid haberet, ipse abiit peregrè, Venit una vicina,

quæ vocatur superbia, da mihi margaritam faciam te pavonem. Dat, redit mercator, redimit margaritam & cum majoribus monitis tradit uxori. Venit alia vicina, dicta avaritia, da, faciam te ignem. Sic luxuria, faciam te porcum. Ira, faciam te aspidem. Gula, faciam te canem. Invidia, faciam te serpentem. Acedia, faciam te talpam. Rediit deinde mercator & uxorem curavit poni in carcere stultorum. De multis nostrûm dictum est Jer. 10. *Pastores stultè egerunt.* Si novisti pretium animæ tuæ, quare pro tam re vili, & quæ te miserum faciet vendidisti? 1. Reg. 13. *Stultè egisti nec custodisti mandata Domini DEI tùi quæ præcepit tibi, nequaquam regnum tuum ultra consurget. Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum &c.* Tu vero manebis in perpetuum in carcere stultorum. Projecisti margaritam ante porcos ut eam conculcarent & ipse conculcaberis ab illis.

Alterâ similitudine hoc ipsum declaretur. Commisit custodiæ alicujus aulici Rex suam filiam, & ipse abiit peregrè. Ille perpetuò illam concutiebat, cibum nec intra triduum semel dabat, ne quidem vilem dabat vestem, ægrotam nunquam visitabat. Ita plerique agunt cum sua anima, est sine pastu, nuda, non inquirunt quid de illa agatur. Ezech. 34. *Non erat qui requireret de ovibus, non erat inquam, qui requireret.* Propter pecora Gen. 31. Jacob ait. *Die noctuq; æstu urebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis.* An melior bestia Jacobi quàm nostra anima? itané animam cognoscimus? sunt in promptu pascua & præ mera tua pigritia vis fame perire animam? sunt Sacramenta, lectio pia &c. Sed loco horum ingeritur illi in os lutum verborum turpium, ingeris iræ, ignis &c. Ezech. 34. *Et oves meæ his quæ conculcata erant pedibus vestris pascebantur, & quæ pedes vestri turbaverant, bibebant.* Saltem eam diligentiam adhibeamus ad servandam nostram

ovem

ovem quam dæmon adhibet ad perdendam. Ille, ut S. Paulin. epiſt. 34. *Uniuscujusq; veſtigiis comes indiſcretus affigitur.* Attendit noſtro viſui, auditui &c. diei, nocti. Utamur Jacobi arte, hic cùm vellet ſe ditare, virgas ponebat ante oculos ovium, ponamus ante animam virgas Divini judicii, & ſimul illa ſpectemus. Cogitemus hyemem adventuram in qua paſcua non ampliùs inveniemus, ſequetur æterna fames. Baſil. homil. 9. *Oves aſcendente hyeme pabulum copioſiùs avidiùsq; ventri ingerunt, quaſi ſibi viaticum providentes pro indigentia cibi futura.* Projice & terram ſubinde ſupra hanc ovem, maximè cùm aberrat, hoc enim faciunt & paſtores. Revoca tibi in mentem, pulvis es & in pulverem reverteris. 4. Reg. 5. Naaman curatus à lepra credidit in DEUM, quia tamen debebat Regem ſuum comitari ad templum idoli Remmon, ne in aliquod peccatum incideret, petiit ab Eliſæo ut ſecum de terra aliquid deferret. Gloſſa. *Ut poneret terram quaſi ſtratum in templum idolorum, & Dominum cujus terra erat, adoraret.* Memores ſimus terræ, meliorem curam noſtræ oviculæ habebimus.

Si tam pretioſa noſtra eſt ovicula, amemus illam, & pro ea nos contra inimicos opponamus. Fecit hoc Aaron pro ſuo populo. Hieron. epiſt. 12. ad Gaudentium. *Aaron Pontificem iiſſe obviam urentibus flammis, & accenſo thuribulo iram DEI cohibuiſſe. Stetit inter vitam & mortem Sacerdos magnus.* Ubi agitur de animæ interitu vitam etiam corporis exponamus. Et ſaltem pro illa tantâm agamus, quantum mercator pro lucro, operarius pro mercede, miles pro ſtipendio aut vana gloria. Ut ſervaret oves David occurrebat urſo & leoni. *Bonus paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis.* Sed ſæpè pro lupo agimus, ille ad portam attendit ut rapiat ovem, nos illi aperimus, imò illi ovem in fauces inferimus, Infert qui cor-

pori indulget, illud ſaginat, & ita offert luxuriæ patrono Aſmodæo dæmoni. S. Bern. *Miraculum majus facit qui in cibo & potu intemperans, & tamen eſt continens, quàm ſi mortuos ad vitam revocet.* Imò irritamus hoſtem ut hanc ovem devoret: ille exigit turpiloquium, nos factum: ille iram, nos vulnera. Quis damna Chriſto compenſabit cujus ſunt iſtæ oves propriæ, non ab illo emptæ? Ezech. 34. conqueritur. Et *diſperſæ ſunt oves meæ, eò quòd non eſſet paſtor: & factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt.* O miſeræ oves quàm parvi vos faciunt Paſtores veſtri! hoſtes ſunt & lupi non paſtores. Ezech. 34. *Propterea Paſtores audite verbum Domini. Vivo ego, dicit D. DEUS. Quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, & quòd non eſſet paſtor, neq; enim quæſierunt paſtores mei gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & greges meos non paſcebant. Propterea paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit D. DEUS. Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos ut non ultra paſcant gregem meum, nec paſcant paſtores ſemetipſos.* Et pronuntiabit ſuper eos. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt* lupo, *diabolo*, cujus partes tenebatis non paſtoris. Venite boni paſtores accipite mercedem. Sed qui ſunt illi? 1. Reg. 16. *Reliquus eſt parvulus qui paſcit gregem?* Quæ tua merces erit? Ipſe te Chriſtus deinde paſcet. Iſai. 40. *Propterea ſuſcitabo paſtorem unum qui paſcat gregem meum, ſervum meum David,* Explicat hoc S. Anton. de Pad. conc. fer. 2. Pentec. *Id eſt JESUM filium meum qui paſcet, & ipſe erit eis in paſtorem.* Denique ſi hæc longa videntur, ſaltem hoc conſiderate quòd dæmon ita æſtimet animam noſtram, ut dixerit ad DEUM ex occaſione Jobi, c. 2. *Cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua.* Ex quo infert Hieron. *Qui animas ſuas negligunt, infra judicium diaboli*

boli

boli se amant. Vocem ejus quoque agnoscimus in verbis Regis Sodomorum ad Abraham. Gen, 14. *Da mihi animas cætera tolle tibi,* &c.

Dominica III, post Pascha CONCIO I.

Modicum. Joann, 16.

Nihil ita apud homines modicum atque venialia peccata. Nihili ducitur otiosus sermo, jactura temporis. Sanctus Bern. *Libet otiari ajunt donec hora pertranseat.* Sed hoc modicum quàm non est modicum? pergit idem. *O donec pertranseat hora quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam, miseratio Conditoris indulget,* quocirca ut illa æstimemus, & quantum illa Sancti æstimârint, & quantopere DEUS punierit, videamus.

Incipiamus à Christi sensu circa venialia. Veniale sine dubio fuit cùm Petrus non permitteret sibi lavari pedes. Quid tamen ad hoc Christus? *Si te non lavero, non habebis partem mecum.* Illa pedum lotio designabat ablutionem venialium. Quare non habebit partem? Quia inprimis ut S. Bern. serm. in cœna Dom. *Veniales culpas nemo contemnat, impossibile est enim cum iis salvari.* Debent priùs, saltem in puncto mortis à DEO dimitti, & pro illis aut in hac vita aut in purgatorio pœna sustineri. Deinde qui contemnit venialia, juxta S. Bern. in Cònvers. S. Pauli. Peccat contra S. Spiritum. *Nemo dicat, non est magnum si in his venialibus levibusq; peccatis maneam. Hæc enim est impœnitentia, hoc peccatum contra Spiritum S. irremissibile.* Quia, demum veniale est parvum ut granum synapi, sed excrescit in arborem cùm enim sit dispositio ad mortale quando hæc dispositio augetur, facile ad mortale transitur, sicut lignum vehementer siccum & calefactum ferè ad odo-

ad odorem ignis flammam concipit. Ex hac causa Cæsarius Arelaten. hom. 32. Comparat venialia guttis aquæ navim per rimas subeuntibus, quæ deinde facilè mergitur. S. August. lib. de decem chordis iisdem guttis quæ tandem flumina constituunt. Sic Eva ad ruinam pervenit incipiendo considerare pulchritudinem pomi, deinde colloquendo cum serpente. Procedamus à Christo ad B. V. S. German. apud Mallon. in Christi stigmatibus cap. 13. ait. *Si daretur optio B. Virgini sub cruce stanti, num Christum omnibus cruciatibus & opprobriis eripi, & regnantem in cælo videre vellet; simulq; mille mundos mille damnatos salvari: aut in unum veniale consentire, præoptâsset denuò Filius crucifigi.* Jam ad alios Sanctos. S. Ephrem. *Cùm videris te lapsum in risum, in profunda malorum te scias lapsum.* S. Paula Romana ut scribit Hieron. *Munditiem corporis atq; vestitum, immunditiem animæ esse dicebat.* Et B. Isaias Abb. orat. 16. *Corporis ornatus est animæ interitus.* De eodem S. Ephrem. *Per studium clarioris amictûs æternâ claritate nudi esse dignoscimur.* Hieron. epist. 14. *An possumus dicere aliquid leve quod in DEI contemptum admittitur?* Sunt plurima ejusmodi.

Veniamus ad pœnas. Certum est quòd DEUS servat illam legem. Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Nam prov. 20. *Pondus & pondus, mensura & mensura, utrumq; est abominabile apud DEUM.* Non in alia mensura pœnas mensurat, quàm in qua nos peccata. Docent verò Theologi minimum malum culpæ superare omne malum pœnæ, seu quod idem est. Levissimum veniale gravius esse quovis mundi supplicio. Hinc justè potest puniri morte, & morbis quibuscunque. Scitis quanta passus Job; juxta Aug. pœna id fuit venialium. Occisus innocens Abel, id factum quia aliquando peccavit venialiter. Ita enim Aug. lib. de natura & gratia cap. 38. ait de hac morte. *Paulò immoderatiùs aliquando risit,*

vel

vel animi remisſione jocatus, vel vidit aliquid ad concupiſcendum, vel aliquando immoderatiùs poma decerpſit, uel pluſculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret cogitavit aliquid, unde ejus in aliud evocaretur intentio &c. pro talium aliquo permiſſus eſt à DEO occidi. Non adduco Ozam qui quòd Arcam Domini tetigerit, ibidem ſtatim mortuus. Non Moyſen, qui propterea quòd dubitaverat de fluxu aquæ ex petra, punitus ne terram promiſſam videret & inſuper juſſus mori. Non adduco illum pauperem qui pro coquendo cibo ligna ſabbato collegit, & juſſu DEI ut venenatum quodpiam animal lapidibus obrutus. Si mors infertur ob veniale, multò magis alia minora morte, ut infamia, bonorum jactura, perſecutiones, morbi. Sed neque in inferno venialia ſunt absque pœna. Parvané res veniale? quodſi fuiſſet in B. Virgine non fuiſſet mater Dei, ſi in humanitate Chriſti, illam DEUS non aſſumpſiſſet, ſi in aliquo Beatorum in cœlo, moveretur de cœlo, aut ab eo in purgatorio expurgaretur. Si aliquis merita omnium ſimul Sanctorum haberet, ſi tamen etiam veniale peccatum, non admitteretur ad cœlum? Parvanè res, ob quam totus mundus poſſet annihilari?

Vilipendat jam aliquis hoc modicum, hæc venialia, quæ tantas inducunt pœnas? Nullus eſt Sanctorum in cœlo qui non malit ad inferni pœnas deſcendere quàm veniale committere. Nullum eſt quod absque pœna tranſeat. Nullum quod DEI non retardet dona, quod Sacramentorum efficaciam non hebetet, quod deniq; DEUM ut cum S. Joann. Apoc. loquar, non ad vomitum promovet. *Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo.* nullum pro quo non paſſus Chriſtus, quod non contriſtet Spiritum S. quod Sanctis non diſpliceat vehementer. Et dicimus modicum hoc eſt, veniale eſt, & non curamus extingvere per pœnitentiam. Hieron. *Scintilla res*

parva

parva est, & quasi dum cernitur non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & nutrimenta sui quis parvus ignis invenerit, mænia, urbes, latisſimos saltus, regionemq; comburit. Projeciſſet ſe quicunque Sanctorum liberè in venialia, fuiſſet paulatim factus peccator maximus. Modicum eſt parvam temporis partem conſumere otio, & tamen verè dictum eſt, *Exiguum temporis perituri æternitatis pretium est.* An non hæc parva DEUS totius mundi curam habens ad ſuum vocat judicium? *De omni verbo otioso reddes rationem?* Idem de tempore Nazianz. *Brevisſimi uniuscujusq; momenti rationem à nobis reposci existimamus.* An parva, quæ velut remora aliqua, inſtinctus DEI, illuſtrationes, conſolationes, retinent, ita ut non prævaleant DEUM ad nos attrahere etiam maximæ virtutes, fiatque quod dixit Casſiod. *Stat pigra navis tumentibus alata velis, & cursum non habet cui ventus arridet, sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur, & tam parva animalia plus resistunt quàm tot auxilia prosperitatis impellunt.* An parva quæ in diaboli via collocant? Hieron. in Pſ. 145. *In quocunq; peccato ambulo, in via diaboli ambulo.*

Eadem Dominica CONCIO II.

Modicum me videbitis, Quia vado ad Patrem, Joan. 16.

VAledicit Chriſtus diſcipulis, & dicit, *Modicum me videbitis.* Non diu vobiſcum ero quia moriar. Videbitis iterum modicum, apparebo vobis poſt reſurrectionem usque ad aſcenſionem: tum rurſus modicum me non videbitis in mundo, ſed poſt veſtras mortes ſine fine me videbitis. Hoc eſt Chriſti modicum, ſcilicet tribulationis, ſed non modicum voluptatis *Mundus autem gaudebit*, ſed gaudii eſt modicum, tribulationis multum. Laborat mundus ſemper ut hæc invertat,

vertat, & persvadeat apud Christum esse laboris multum, apud se gaudii multum, fraudem hanc ejus vobis ostendam.

Mundus planè ita agit ut Balac cum Balaam Num. 23. Vidit ex monte Balaam tota castra Israëlis, & cùm proposuisset illis maledicere, benedixit. Balac ait illi. *Veni mecum in alterum locum unde partem Israël videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.* Ostendit partem quæ non erat terroris, quod fuit terribile in castris, abscondit. Ita mundus ostendit honores, dignitates, quæ sunt veluti poma Sodomorum, sed abscondit quod in iis malum latet. Exemplo sint iidem Israëlitæ, anhelabant ad pepones, cepas &c. Ægypti, erat voluptas brevis: abscondebantur verò illis lateres quos coquebant, infantes qui mergebantur. Si commemoravissent quæ passi, & ad quanta rediissent si reversi fuissent, non desideravissent Ægyptum. Abscondit mundus quod per terrena solatia exolvuntur bona opera ut nulla ultra præmia sperari possint. Dictum Epulonis. *Recepisti bona in vita sua.* Abscondit quòd hæc omnia transitoria. *Transierunt ut naves poma portantes*, & odor simul & color pomorum periit. E contra si quis velit servire DEO, si agere pœnitentiam, cùm hoc sit modicum, ostendit grande, & suadet ut homo quærat modicum. Differ ad mortem pœnitentiam quando modico tempore pœnitebis. Sed Joseph conservavit Ægyptum, quia non distulit emere frumenta, quid si ad ultimum septimi anni fertilitatis distulisset? Sed latroni hoc successit in cruce. Aug. serm. 120. de tempore *In hoc extremo placuit DEO, quia non fuit hæc hora ultima ad consequendam fidem sed prima.* Antea Christi doctrinam non audierat, unde nihil distulit credere, quamprimum audivit, credidit.

Christus neque modicum sui laboris neque multum consolationis reticet. Habet pœnitentia aliquid difficultatis, sed hoc modicum. *Abscondere ad momentum, donec pertranseat indignatio.*

gnatio. Ait Isai 26. Propter hoc modicum transit indignatio DEI. Ipse Christus comparat hos labores partui. Sunt breves sed solatia ex prole diuturna. Detinet aliquamdiu in dolore Christus ut Josephus fratres, sed mox. Gen. 45. *Ego sum Joseph frater vester*, & amplexatus est, & osculatus est eos. Qui Christum sequitur sumit in manus librum Ezech. 2. in quo est scriptum væ, sed post modicum væ, sunt & carmina. Ad hoc servi DEI attendebant, & ipsi ultrò modicum væ sibi addebant. S. Ephrem de S. Antonio. *Nunquam faciem, nunquam pedes lavit.* S. Bern. de S. Martino Episc. *Martinus pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis.* Basil. serm. ad nepotes. *Occupatum esse in corporis ornatu, non minùs turpe dicendum arbitror, quàm aut pellicem esse, aut adulterum.* In vita S. Sylvani scriptum de quodam ejus monacho, hic dum oraret, à scorpione percussus in pede, *ut usq; ad cor dolor ejus excurreret, & spiritum paulò minùs exhalaret, non tamen se commovit à loco usq; dum finiretur oratio.* De alio scribit S. Nilus qui similiter sustinuit morsum viperæ. Idem narrat de alio, qui in storea sublatus uti pila in aëre à dæmonibus, & hoc durabat per duas septimanas, in eaque storea versabatur, neque tamen ab ardenti oratione abduci potuit. Jejunia per hebdomadam extrahebant. Adhibere ad cibos oleum etiam pueros vetabant, uti scribit Hieron. ad Lætam, & Basil. serm. 1. de jejunio. Jam quas sibi leges vitæ præscribebant! B. Isai. orat. 23. *Si contumeliâ affectus indignaris, veram pœnitentiam non agis. Si rebus tuis ereptus doles, non est in te timor DEI. Si quis in te falsa contulerit, perturbaris, timor DEI non est in te. Si laudes tuas libenter audis, timor DEI non est in te. &c.* Quanto magis nos modicum væ debemus ambire, ut evadamus æternum? Modò fit quod Oseas prædixit. *Non est veritas, non est misericordia.* Modò fortè S. Bern. lamentaretur. *Non est nisi amor turpis in hoc sæculo, nec fides secura, quia omnia*

omnia contaminantur superbiâ, avaritiâ, cupiditate, scelere. Recessit enim lex à Sacerdotibus, justitia à Principibus, consilium à senioribus, religio à Clericis, reverentia à subditis &c. Et quod idem ad Eugen. *Leva oculos & vide regiones, si non magis sunt siccæ ad ignem, quàm albæ ad messem.* De pœnitentibus quid dicit Ambr. *Plures credo salvatos ex iis qui nunquam peccaverunt, quàm qui pœnitentiam dignam egerunt, an quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini affusio, ubi etiam licitorum oblectamentorum usus? Renunciandum est sæculo, somno ipsi minùs indulgendum quàm natura postulat, interpellandus gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus. Vivendum ita ut vitali huic moriamur usui. Seipsum homo abneget, & totus immutetur.* Qui hic modicum eligit gaudii, malè sibi consulit. Hieron. ad Castrutium. *Magna ira est quando non irascitur DEUS.* Ipse hoc comminatur. *Jam non irascar tibi, Zelus meus recessit à te.* Quando id permittit homini quod placet homini. Luc. 14. Invitavit quosdam ad cœnam, cæperunt se excusare. Juga emi boum, maneas cum tuis jugis &c. *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* S. Bern. *Vides quia tunc magis irascitur DEUS, quando non irascitur.*

Dominica IV. post Pascha.

Quo vadis? Joann. 16.

TAm clarè demonstratus est Judæis adventus Christi ut eum velut in speculo in Prophetis videre potuerint, tamen non crediderunt. Oseæ 13. *In manibus Prophetarum assimilatus sum.* Figuræ repræsentabant ut imagines, ut similitudo. Hæc veritas commovebat Judæos, tamen fuerunt obstinati Isai. 6. *Tota terra repleta est gloriâ Domini, commota sunt superliminaria cardinum domûs Domini.* Hoc factum, ut docet

 Hieron.

Hieron. quando videbant Christi miracula. Tandem oportuit mitti Spiritum S. ut ille testimonium de Christo perhiberet. Et persuasit multis, ut etiam agnoscerent suum peccatum, quia hactenus non crediderant. Nos per gratiam DEI credimus, & tantùm opus ut nos interrogemus, *quò vadis?* an in eandem viam cum Christo? Multæ sunt viæ, & descripsit Ps. 49. *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem ponebas &c.* Est via Judæorum. *Assumis testamentum meum per os tuum.* Vellent multi salvari ut Judæi quibus bona temporalia promittebantur. Sed alius modò status. Illi erant ut pueri: Puero, dantur poma, vestis discolor &c. Sed vix ad labores applicatur, & simul datur ipsi hæreditas. Gal. 4. *Quando eramus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes.* Circa terram & bona terræ, pisces aquæ, aves aëris, metalla ignium. Hæc illo sæculo, *sed lex ad Joannem* jam est evacuata. S. Bern. serm. *Ecce nos reliquimus &c. Si placent ista, placeant & Judæi.* Qui modò Judæos sequitur, Christum non sequitur, jam lex alia, jam novus est Adam, alius labor. Zach. 13. *Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* Sicut novus est Adam, ita aranda est alia terra. Dami. de S. Donato serm. 39. *Sulcabat terram suam vomere disciplinæ, ut uber segetum proventus erumperet, & illucescente cœlesti gratiæ radio fertiliùs germinaret.* Jam modò Philipp. 3. *Quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens memetipsum ad destinatum prosequor bravium.* Pejus adhuc currunt qui cum funibus currunt. Aug. 14. q. 5. con. Pœnale. *Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ.* Hanc viam currit qui defraudat mercenarium &c. Imò & Filius qui Parentibus aufert. 18. q. 2. *Qui abstulerit aliquid Patri vel Matri, dicensq́; hoc peccatum non esse, homicidii particeps est.* Neque per hoc juvatur, si rem abla-

tam in pauperes eroget. August. § Immolant. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui. Panis egentium vita pauperis. Qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui effundit sangvinem & qui fraudem facit, necessariò fratres sunt.* Quò tandem isti deveniunt? Aug. de verb. Dom. c. 10. *Si in ignem mittitur qui non dedit rem propriam, ubi putas mittendus erit qui invasit alienam? si cum diabolo ardet qui nudum non vestivit, ubi putas arsurus, qui expoliavit?*

Alii vadunt ad metam adulterorum. *Et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ponit hanc portionem, qui cor suum ponit, desideria, ad peccatum. Os, loquendo, cantando. Oculos, aspiciendo. Aures, audiendo. Manus, tangendo. Pedes ad talem locum eundo. Eccl. 19. *Qui se jungit fornicariis erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt eum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.* Ad hoc vadit qui portionem habet cum adulteris. Quid in meta solatii habebit? S. Aelredus serm. 9. in Isai. *Apparente dæmone fornicationis immundo cuilibet morienti, non poterit non stupere qui viderit. Quod blandum cernitur, & jucundum cùm suadetur, amarum sentitur dum improperatur, stupetq; miser durum invenire & immitem quem sæpè fuerat expertus svavem,* An non & illi Conjuges in via adulterorum qui prolis educandæ rationem non habent? ita adulter quærit voluptatem non prolem. Alii vadunt per lingvæ vias. *Os tuum abundavit malitia: & lingva tua concinnabat dolos.* Es. 49. Et quidem alii procedunt blasphemando Aug. in illud Matth. *Blaspemavit*, Ita scripsit. *Non minùs peccant qui blasphemant Christum regnantem in cælo, quàm qui crucifixerunt ambulantẽ in terris.* Quò isti vadãt. Hieron. epist. 32. *Blasphemia veniam non meretur.* Sed ante illum Tob. 13. *Domine maledicti erunt qui contempserint te, & cõdemnati erunt qui*

 blasphe-

blasphemaverint te. Alii per vias lingvæ mendacis & dolosæ. Jer. 9. *Docuerunt lingvam suam loqui mendacium.* Descripsit Basil. in hexametro lingvam dolosam sub specie cancri marini volentis conchas erodere. *Ostrea dura non potest frangere, observat cùm hiant ad solem aprico die, injicit lapillum, & sic potitur, Talis est qui fratrem dolo aggreditur.* Sed isti ad serpentes vadunt. August. lib. de Paradiso. *Bilingvis serpens habetur atq; mortalis, eò quòd diaboli minister aliud lingvâ loquatur, aliud corde meditetur.* Alii per viam lingvæ detractoriæ. *Sedens adversùs fratrem tuum loquebaris.* Ps. 49. S. Th. 2. 2. q. 73. a. 2. *Detractio secundùm genus suum est majus peccatum quàm furtum, quia inter bona externa fama præeminet divitiis.* Et quia si fureris alicui quod non illius est, sed tamen apud illum est, peccas: sic etiam si nomen bonum fureris quod non illius est, quia verè malus est, est tamen hoc nomen bonum apud illum, quia occulta est illius malitia, quò tales vadunt? Roman. 8. *Detractores sunt DEO odibiles.* Alii per viam lingvæ scandalosæ. Vult aliquis ad meliorem vitam converti, sugillant. Vult injuriam remittere, vocant ignavum &c. Isti imaginem Christi projiciunt in infernum, hoc est, hominem factum ad imaginem DEI. Eusebius Emiss. homil. de initio Quadragesimæ. *Quantos destruxit, de tantis sibi materiam damnationis congregabit.* Talium lingvâ utitur diabolus pro muscipula ad capiendas animas. Orig. hom. 2. in Job. *Ipse respexit ad uxorem, ad insidias, ad muscipulam, ad subversionem, ad ruinam.* Muscipulam contra Jobum posuit dæmon lingvam uxoris. Hæ sunt viæ diaboli. Hieron. in Psal. 45. *Quamdiu pedes nostri ambulant in via diaboli Christus non regnat in nobis, non ad Christum ostium imus.*

Viæ autem Domini rectæ, viæ Domini immaculatæ, *Ibunt de virtute in virtutem donec videatur DEUS Deorum in Sion.*

Non

Non declinant ad dextram vel sinistram. Hic possumus respondere, vado ad cœlum. Aug. Soliloq. 23. *Quàm dilecta tabernacula tua D. DEUS virtutum, concupiscit anima mea in atria tua. Surge, propera, & veni, educ nos de carcere isto ad confitendum nomini tuo, ut gloriemur in lumine tuo.* Ad te clamo cum Basil. *Quibusvis judiciis salva me.* Sed hoc ampliùs explico.

Alii evadunt ad metam Christi, sed via non est alia nisi per quam præivit Christus. *Nonne oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam?* Per hanc viam illum secuti sunt Sancti omnes. Hieron. ad Eustochium Virg. *Quis Sanctorum sine certamine coronatus est? quære & invenies singulos adversa perpessos.* Spiritus S. non venisset ad Apostolos nisi Christus abiisset. Quia, ut Aug. & Bern. serm. 6. de Ascens. habuerunt solatium ex præsentia Christi, & hoc solatio privari oportuit, ut veniret. Manna non est datum Judæis nisi postquam farina quam ex Ægypto extulerunt defecit. Isai. 28. *Quem docebit Dominus scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus.* Sed ut sit crux Christi debet esse immaculata, si vel minima sit labes peccati, jam non est via Crucis Christi. Oravit Epulo guttam aquæ mitti sibi ab Abraha, si gutta de felicitate Sanctorum caderet in infernum redderet illum dulcem, & vicissim si gutta peccati incideret in Beatorum gloriam, redderet illam amaram. Illa gloria est, similiter crux Christi est ut statua Nabuchodonosor, quam parvus peccati lapillus dejicit, & certè pomum Adæ Christum in terram dejecit.

Dominica V. post Pascha CONCIO I.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo &c.

Joann. 16.

MUlta nobis obtinuit Christus apud Patrem, sed inter alia char-

chartam quam ipſemet ſubſcripſit & Evangeliſtæ ut notarii receperunt, ut quidquid in ea ſcribere voluerimus, obtineamus. Si talem chartam Rex quiſpiam daret, quid non in ea ſcriberemus? ſed aitis, ſæpe ſcripſimus non obtinuimus, licet illa ſe charta ad omnia extendat. *Si quid petieritis &c.* Oſtendam in quo errâſtis, quo vitato, omnia deinceps obtinebitis. Servabat hoc S. Dominicus, & quidquid petiit à DEO obtinuit, idem aliis Sanctis contigit, ut Franciſco de Paula, qui cum non haberet naulum, petiit ut mare pedibus tranſiret, obtinuit. &c. Proinde non ex parte chartæ defectus eſt.

Septem plerumque errores ab hominibus circa hanc chartam committuntur. Et primus eſt, quia illam non tradunt Patri, ſed alteri qui ſe non obligavit, ſicut obligavit ſe tibi Petrus & tu Paulo traderes, diceret Paulus, qui ſe tibi obligavit ſolvat. Recurrunt alii in neceſſitatibus ad alios quàm ad Patrem, ad maleficia, ad Principes, homines, qui non poſſunt in talibus ſuccurrere. Propterea Pater dicit. Jerem. 2. *Me dereliquerunt venam aquarum viventium, & foderunt ſibi ciſternas quæ continere non valebunt.* DEUS eſt fons, & tam facilè illi benefacere, quàm fonti aquam dare ciſternæ, hoc relicto imus ad loca arida, & in iis fodimus ciſternas. In ciſternam hanc aliquando incidit pluvia ſed ſtatim abſorbetur. Alii vadunt ad Patrem, ſed non tanquam filii, ideò nec Patrem experiuntur. Si veniſſet Abſalon ad Davidem cum enſe cruento quo fratrem ſuum, filium ejus Amon interfecerat, & petiiſſet ut daret illi partem Amon, veniſſetnè ut ad Patrem? dixiſſet illi Jer. 3. *Quomodo ponam te in Filios?* nec tu meus filius, nec ego tuus Pater. Ita, vadit avarus qui nec famulis nec operariis ſolvit, ſangvis eorum in manibus ejus. Vadit raptor, ſangvis in veſtibus ejus. Vadit qui decepit in vendendo, ſangvis in ſacculo ejus. Vadit, detractor, luxurioſus &c.

Iſai. I.

Isai. 1. *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sangvine plenæ sunt.* Maximè si in manibus vestris non solùm sangvis sit corporum, sed & animarum. Est verò in eorum manibus, qui coram innocentibus turpia loquuntur, qui impediunt ne aliquis oret, cõvertatur, qui modo quocunq; scandalisant. Salvianus de Providentia *Necesse est, ut pro tantis sit reus, quantos secum traxit in reatum.* Levat manus sed animarum sangvine madentes, iste madet sangvine subditorum, hic sociorum, hic simpliciorum. Greg. *Scire debent, quòd tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt, quia pereuntium animarum sangvis requiretur de manibus eorum.* Tales non veniunt ad Patrem Filii, sed ad Judicem Deum, Convenerant ad templum Judæi, sed ut scandala facerent. Alii vendebant boves & oves, & alios ad emendum in loco sancto invitabant: Alii columbas &c. Quomodo exauditi? *Domus mea domus orationis, vos fecistis speluncam latronum.* Joan. 8. Latrones estis animarum, sangvis earum in manibus vestris, abite. Deut. 32. *Peccaverunt ei & non filii ejus in sordibus, generatio prava atq; perversa.* Hoc idem aliis applicat Aug. *Plùs DEO placet latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus Clericorum luxuriantium.* Explicat hoc fusiùs Chrysost. homil. 12. in Matth. *Dic sodes, si stercore manus atq; cœno illitas habueris, audebisné ita sordidus orare.* Ingredi in cumulum orantium? *Minime, inquies. Atqui hoc tibi nullum damnum inferret. Illud omni parte perniciosius est, scilicet, cùm sordescat manus homicidio, operationibus malis: os maledictione, detractione, contumeliâ, iracundis verbis atq; obscœnis, dissoluto risu, atq; scurrilitate.* De cœtero Isaias 59. se vadem præstat. *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat: neq; aggravata est auris ejus ut non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos & DEUM vestrum, &*

peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis ne exaudiat. Manus vestræ pollutæ sunt sangvine, & digiti vestri iniquitate.

Quomodo itaque accedendum ut accedamus tanquam Filii ad Patrem? Ut sit quis Filius, debet animam habere talem qualem habet Pater. Nam si animam non habuerit, non erit filius, ut si carnis massa nascatur examinis. Debet etiam habere talem qualem Pater habet, unde si quis bovis animam haberet, non esset Patris hominis filius. Animæ nostræ quæ est anima? Rom. 8. *Qui spiritu DEI aguntur ii sunt filii DEI.* Qui eodem spiritu vivunt quo DEUS. Aug. *Vita corporis est anima, vita animæ est DEUS.* DEUS est id quo vivit DEUS, qui sunt filii DEI debent vivere DEO, debent esse *participes divinæ naturæ.* 2. Pet. 1. Hoc fit, quando sine mortali peccato existunt, tum enim habeant gratiam sanctificantem, quæ illos facit *consortes divinæ naturæ & filios DEI.* Sed amplius, quomodo orare debent, ut orent tanquam filii? Mittit Pater filium ad studia, de nullo sollicitus si benè agit, certus est quòd mittet Pater omnia necessaria dum indicaverit. Alter se malè gerit, non studet &c. Continuò sollicitus ne ab aliquo Patri deferatur, dubitat an Pater ipsi subministraturus. Agamus quæ sint nostri officii, & crescet in nobis fiducia filialis. 1. Joan. 3. *Carissimi si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Dominum, ut, quidquid petierimus, accipiemus. Quoniam mandata ejus custodimus.* Omnia ista parent mandato DEI, cœlum ut det pluviam, terra ut fruges, homines ut sint nobis benevoli. *Cor Regis in manu DEI.* &c. Proverb. 21. Si cum DEO simus, hæc omnia debebunt nobis servire. Nunquid non DEI jussu manna cecidit in castra Judæorum? nunquid coturnices? imperabit & fiet. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Ps. 23.

Alter est error, quia non in ea charta scribimus petitiones in qua nomen suum subscripsit JESUS. *In nomine meo.*

Quid

Quid hoc est? *in nomine.* Greg. hom. 27. *Nomen filii JESUS est, JESUS autem Salvator, vel etiam Salutaris dicitur. Ille ergo nomine Salvatoris petit, qui illud petit quod veram salutem attinet.* Aug. tract. 102. in Joan. *Non petitur in nomine Salvatoris quidquid contra rationem salutis petitur.* An daret tibi Christus chartam in qua pro te peteres infernum? Neque homo filio febricitanti exhibet aquam, neque petenti colubrum, præbet &c. Petat à te salubria, concedes. Corruptos sensus & infectos peccato habemus ut febricitantes appetimus noxia. Proinde cùm ea petimus, non in charta à Christo à Salvatore subscripta scribimus. *Sensus hominis proni in malum ab adolescentia.* Gen. 8. Quare ipse protestatus Dominus Luc. 11. *Vos cùm mali sitis, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater cælestis?* Petit quis ingenium, eloquentiam, &c. non datur. Quare? abuteretur illis contra suam salutem. Petit sanitatem, si sanus esset, iret in peccata Hugo Victorin. lib. 4. de Anima. *Quosdam sciens DEUS in multis peccare posse, flagellat eos infirmitate, ne pereant. Ut eis utiliùs sit frangi laboribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.* Petit alter divitias, non dantur, fieret contemptor pauperum, concubinarius &c. dicit. Si essem dives, tanta & tanta bona facerem. Scit autem DEUS illum plurima facturum mala. Expertus id Daniel Eremita in Elogio lapicida viro probo sed paupere; impetravit illi à DEO opes, & Elogius factus est perversus, & periisset nisi iterum Daniel exoravisset pauperiem. Petit alter vitam filio, sed si viveret, damnaretur, ut est exemplum in vita S. Joan. Eleemosynarii. Petit robur, sed illo abuteretur ad vindictam, & misericordiam ipse à DEO non consequeretur. &c. Aug. in lib. sententiarum Prosperi. *Fideliter supplicans ad DEUM pro necessitatibus hujus vitæ, & misericorditer auditur, & misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utilius magis*

 novit

novit medicus quàm ægrotus. Ita si Jamfridus suscepisset Episcopatum qui illi intrudebatur à S. Bernardo, ut eidem Sancto revelatum, fuisset damnatus.

Tertius error, quia scribere incipiunt in charta à Christo subscripta, neque perficiunt. Contenti unam literulam scripsisse: DEUS verò vult ut totam petitionem scribamus. Et rationes hujus rei sunt. 1. Christus ingentem thesaurum bonorum paravit nobis apud Patrem, sed quot peccata fecimus, tot illi seras apposuit. Cùm incipimus orare, Pater unam seram aperit, sed cùm cessamus non pergit in aliis aperiendis, & sic nihil nobis datur. 2. Dæmones aërei nubes formant, Thren. 3. *Opposuisti nubem tibi ne transeat oratio.* Nubes illa fit ex nostris peccatis, neq; disjicitur nisi multâ oratione, in qua si non processerimus, non solùm nihil lucramur. Sed, ut Chrysost. lib. 1. de orando DEO. *Si dæmones conspexerint nos oratione communitos, non aliter quàm prædones à vibrato contra se gladio fugiunt. Quodsi contingat aliquem esse nudum precationis studio, hic avulsus apportatur à dæmonibus, & in calamitates, variaq; mala impellitur.* Non penetrat ergo charta ad Patrem nisi tota sit in ea scripta petitio. 3. DEUS cursum imitatur naturæ, non dat fruges agricolæ donec totum laborem absolverit circa agrum. Nunquid qui arat statim metit? Jacob 5. *Ecce Agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens dum accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos & confirmate corda vestra. Quoniam adventus Domini appropinquat.* Perseverate orando, non tardabit Dominus, memores estote. Aug. in Ps. 65. *Vigilat hostis, dormis tu?* 4. Quia gratum est Patri in tua scriptura legenda immorari. Chrysost. hom. de Profectu Evangelii. *Etsi differt aliquando Dominus, non id odio facit, neq; te aversatur. Sed differendo te secum diutiùs manere vult. Sicuti & Patres indulgentiùs*

filios

filios amantes, quò illos apud se diutiùs detineant, quos desides videnT, datâ operâ morantur aliquid daturi.

Quartus error. Non apprehendunt se scribere in charta à Christo data, sed veluti in vulgari sine reverentia, humilitate scribunt. Nomen in hac charta Christi est in qua scribis, cum humilitate scribe. Basil. in Hexam. lib. 1. *Quomodo obtinebit quis ut in oratione sensus ejus non vagetur? si certus sit adstare se ante oculos Domini.* Tenet hanc chartam manu Christus & te scribentem considerat. Si charactere inepto scripseris, dicet tibi quod Chrys. hom. 16. in Matt. *Tu non audis orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam?* Non respicit supra scripturam superbam. Eccles. 35. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes, & non discedet donec Altissimus aspiciat.* Scribendum sicut scripsit filius prodigus resipiscens. Vel sicut David postquam cum illo Nathan egit de peccato, scribendum devotè. Isid. de summo bono lib. 3. c. 8. *Sicut vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione est quasi mugitus boum.* Modum orandi præscribit Chrysost. hom. 4. de fide Annæ. *Ingemisce amarè, in memoriam revoca peccata tua, suspice in cœlum, & dic in mente, miserere mei DEUS. Et jam absolvisti orationem tuam.* Audi pauperem ad te clamantem & ipse exaudieris. Prov. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* His observatis evitabitur.

Error quintus Pharisaicus, cùm in charta nomen scribunt suum, & propter suam dignitatem putant se obtenturos. *Jejuno bis in sabbato. &c.* Luc. 18. Totum habemus ex meritis Christi, nos *servi inutiles* Luc. 17. Etsi debemus sicut ille fecit, & nos facere, orare, benè operari. Evitabitur & *sextus*, quòd quidam chartam non reddunt Patri, sed sibi retinent. Non dicunt, *Fiat voluntas tua,* Matth. 26. sed mea. Evitabitur & *septimus* eorum, qui non ipsi porrigunt chartam, sed volunt ut

alii pro illis porrigant, volunt ut alii pro ipsis orent, illi non orant &c.

Eadem Dominica CONCIO II.

Si quid petieritis Patrem &c.

EGit Christus ex hoc mundo recedens, sicut Pater quispiam peregrè proficiscens, plorant filii, deserit nos, egebimus, invadent inimici &c. Reliquit illis copiosam pecuniam, per hanc comparabitis vobis tutelam, vestes &c. Ita reliquit Christus orationem, omnia per illam obtinebitis: *Si quid petieritis.* Ut ad orandum incitemur, ostendam quomodo omnia in oratione habeamus, & unde sint illi vires tantæ.

Oratio inprimis cogit quodammodo DEUM ad miserendum. Exod. 32. *Dimitte me ut irascatur furor meus.* De quo ita S. Bern. serm. de M. Magdal. *Feriendi licentiam à Moyse petit qui fecit Moysen.* Ubi Isai. 49. legimus. *Laude meâ te infrænabo.* Vatablus legit. *Propter laudem tuam* quia tu me laudas, oras, *injiciam mihi frænum tui causâ.* Ita iram DEI detinet, sed & misericordiam accelerat. Ad Petrum in carcere venit Angelus, & ait. Act. 12. *Surge velociter.* cur velociter? *Oratio fiebat ab Ecclesia sine intermissione pro eo.* Est gladius contra hostem, oratio. Gen. 48, Jacob dicit cuidam. *Dabo tibi partem unam extra fratres meos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Sed nunquam bellavit Jacob, quomodo igitur hoc verum? Chaldæus legit, *quam orationibus acquisivi.* Arcus & gladius Jacobi fuit oratio. Notum fuit hoc ipsum Ethnicis quòd Judæi adversùs eos pugnarent oratione, inde Num. 22. Cùm imminerent Balaaco, ipse iisdem armis contra eos pugnare conatus, & ad suum Prophetam Balaam recurrit, ut notat Origen. hom. 13. in lib. Numer. Sed Balaam ut infidelis infideli

fideli nihil obtinuit, & solùm asseruit quòd Judæi victores fiant per orationem. Sic enim dixit de illis. *Ita delebit populus hic omnes, quomodo solet bos herbas usq; ad radicem carpere.* Bovi comparat, quia bos lingvâ defalcat. Judæi oratione. ut idem Origen. l. c. Oratio est medicina. Per illam impetravit sibi Ezechias vitam & sanitatem, est mater fæcunditatis, per illam mater Samsonis, mater Samuelis, S. Anna prolem impetrârunt &c, Breviter Theodoret. Enumeravit reliquos orationis effectus dum illam comparat collo de quo Cant. 4. *Collum tuum sicut turris David,* Quia in collo homo vertit caput ut ab omni parte corpori prospiciat. Quia per collum ut per canalem descendit à capite in totum corpus robur. Aug. *Ascendit justi precatio, & descendit DEI miseratio.* Mediante collo respiramus, & eo clauso cessat respirium, & mors sequitur. Ideò vult Apost. sicut non cessat respirium in vivo. Ita 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate.* &c.

Sed unde hæc vis orationi? ex Christo. Ideò Ecclesia omni orationi addit. *Per Christum Dom. &c.* Innumera meruit Christus apud Patrem, fecit ergo ut Berzellai 2. Reg. 19. Benè meritus hic fuit de Davide. Offerebat illi David, sed ille, ego his non indigeo, da hæc filiis meis. Ita Christus, habeo ego pro me satis, da Pater illis qui advenerint, & in nomine meo oraverint. Neque Pater negabit, quia dum nobis dat hoc modo, dat Christo. Sed videte quid de nomine Christi dicatur. *Oleum effusum nomen tuum.* Galenus docet, oleum esse ejus naturæ, ut mixtum calidis fiat calidum, mixtum frigidis medicinis fiat frigidum. Jungitur Christi nomen ferventi orationi nostræ, fit fervens. Jungitur orationi impii, dicitur. *Quare tu assumis nomen meum per os tuum. Tu verò* &c. Jungitur fluctuanti in fide, & ipsum quasi fluctuat. Jac. 1. *Postulet nihil in fide hæsitans,* aliàs similis erit fluctui. Fluctus verberat

berat ſcopulum, nihil efficit, & ipſe paulò poſt perit. Jungitur oranti vindictam de inimicis, & ipſum intervenit ut de illo ipſo DEUS vindictam ſumat. Oratio *ejus fiat in peccatum.* Sed ſi jungatur orationi viri juſti, humilis, & qui Chriſti mandata non contemnat, omnia impetrat Explicat hoc nobis Baſil. Hexam. homil. 8. ſumptâ narratione ex Ariſtot. hiſt. l. 5. c. 8. Alcyon avicula hyeme incubat ovis in maris littore per dies octo, & per totidem pulli plumeſcunt, tum venti ceſſant, & dies vocantur Alcyonii. Hinc Baſil. Si DEUS propter unam aviculam hoc facit, quid non faciat propter hominem, cui dictum. Luc. 12. *Nonne vos pluris eſtis multis paſſeribus?* ſed fortiùs ipſe Chriſtus hanc ſpem firmat. *Conſiderate lilia agri.* Quomodo Pater illa exornat? Et tamen fœnum ſunt, quod hodie viget, cras in clibanum mittitur, quomodo non debebit ornare homines? Natura DEI eſt benefacere. Clem. Alexandr. ſtrom. 6. *Cùm ſit bonus, ſi ceſſâſſet unquam benefacere DEUS, ceſſabit quoquè eſſe.* De ipſo agitur ut nobis benefaciat. Noſtra peccata quodammodo DEUM inficiunt paralyſi, ne, loquar, beneficam manum movere poſſit, quam gratum illi ſi manui ejus reſtituatur uſus per noſtram orationem. Quare tunc DEUS veluti gratus beneficii, dat alacriter. Aug. *Oratio juſti eſt clavis cœli.* Habet DEUS ingentes theſauros, ſed nobis dedit clavem illorum non aperiet ſine nobis. Gratum illi utpote optimo, ſi aperiamus, & nihil negat ut inde accipiamus. Ut olim Salomoni 2. Paralip. 1. *Poſtula quod vis.* Ut 4. Reg. 2. Elias Eliſæo. *Poſtula à me quod vis.* Sed hæc clavis eſt gemmea. Dioſcorides magnas vires aſſerit habere gemmas, ſed omnes amittere, ſi ponantur in ore hominis mortui, ita oratio in ore peccatoris.

Accedamus cum fiducia ad DEUM, & verbis fratrum Joſephi precemur. *Pater* Chriſtus, *præcepit nobis antequam moreretur,*

reretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus, obsecro ut obliviscaris scelerum fratrum tuorum. Si tibi promitterent omnes Sancti quod pro te essent oraturi, quantopere sperares? plus est, cùm dedit Christus ut in nomine suo petere possimus, plus illud valet. Unde Joan. excitat ad spem peccatores. 1. Joan. 2. *Si quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem.*

Eadem Dominica CONCIO III.

Petite & accipietis. Joan. 16.

VIdemus quosdam petiisse & accepisse. Josve 10. Josve contra Chananæos petiit grandinem saxorum, & impetravit. Robertus Rex Francorum Ascalonem precibus expugnavit &c. Alii petierunt, non obtinuerunt. Petiit mater filiorum Zebedæi, *Dic ut sedeant filii mei, unus ad dextram, alter ad sinistram.* Non obtinuit. Petierunt ipsimet filii ut in Samariam descenderet ignis, quia Christum non recepit, non obtinuerunt, proinde utile erit docere artem talem orandi, ut omnia obtineamus quæ petierimus.

Certum est quod S. Bern. serm. 5. in Septuag. *Dico vobis quia ipse ad quem oramus non parvipendit orationem. Priusquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi eam jubet in libro suo.* Sed audienda est Patrum de oratione doctrina. Basil. in instit. Monast. *Spiritualia tantùm prosequi debemus, reliqua verò ad corpus facientia cùm appendices sint animæ, minimè orationi commiscenda.* Hoc esto primum. Alterum est, quod Tertull. lib. de oratione. *Nec ab ira solummodò, sed omni omninò confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa qualis est spiritus ad quem mittitur, neque enim agnosci poterit à Spiritu S. spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nemo adversarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit. Cæ-*

terùm quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu verò sordente orationem obire? &c. Temerarium est sine oratione diem transigere. &c. Irreverens est assidere sub conspectu, contraq; conspectum ejus, quem cùm maximè verearis ac venereris, quantò magis sub conspectu DEI vivi Angelo adhuc orationis adstante, qui deportabit tunc preces, *factum istud religiosissimum est, nisi exprobramus DEO quòd nos oratio fatigaverit.* Habemus hujus reverentiæ exempla in vitis PP. & quidem in vita Theodori viri DEI. *Quidam frater cùm ad orationem staret, percussit scorpius pedem ejus, & adeò virus infudit, ut usq; ad cor dolor ejus excurreret, & spiritum paulò minùs exhalaret, qui licet sic extremo affectus cruciatu, non tamen se commovit á loco suo donec fineretur oratio.* Et DEUS hanc ejus devotionem approbavit, nam miraculosè sanavit. In tertia parte vitarum ita scribitur. *In oratione non sputum emittitur, non execratio obstrepit, non oscitatio, somnolentia trahitur, nullaq; vox absq; Sacerdotis orationem concludentis auditur.* Si verò quis iram in corde foveat, & ad orandum accedat, audite quid de illo S. Nilus orat. 4. *Iracundi precatio thus fætidum & detestabile, & Psalmorum decantatio, ab iracundo perveniens invisa atq; execrabilis. Munus illius qui ultionem voluit tanquam hostia verrucis plena ad altare non admittitur.*

Cùm in orando distractionibus impetimur agamus sicut docet B. Isaias Abbas orat. 8. *Homo orans similis capto à latronibus conjecto in lacum, qui dum clamat, percutitur ut sileat.* Ab altera parte Cypr. de orat. Dom, *Quæ autem segnitia est alienari & capi ineptis cogitationibus & prophanis cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod debeas magis cogitare quàm quòd cùm DEO loquaris? Quomodo te à DEO audiri postulas cùm teipse non audias? Vis esse DEUM memorem tui cùm rogas, cum tu ipse memor tui non sis? &c. Hoc est vigilare oculis & corde dormire &c. Ii*

impe-

impetrare possunt quod postulant à DEO, quos DEUS videt in oratione vigilare. Orantes autem non infructuosis nec nudis precibus ad DEUM veniamus, inefficax petitio est, cùm precatur DEUM sterilis oratio non ferens fructum, excindatur & in ignem mittatur, utiq; & sermo non habens fructum promereri non potest DEUM qui nullâ operatione fœcundus est. Semper in nomine Christi orandum, sciverat hoc David, & orabat. Ps.27. *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* Templum nondum fuit ædificatum, quomodo ergò ad templum levat manus? alii per *templum* intelligunt cœlum, alii Ecclesiam. Sed Origenes & Dydimus Christum intelligunt. Hoc ipsum Job 9. *Cùm invocantem me exaudierit non credo quòd exaudierit vocem meam.* Quomodo exaudivit & non audivit? Quia ut est Apoc. 8. Angelus incensat orationes super altare aureum. D. Thomas per altare intelligit crucem, per Angelum Christum. Ille nostras orationes in cruce obtulit, per illum orandum est.

Debet esse in orando perseverantia. Greg. in Psal. Pœnit. 5. *Vult DEUS rogari, vult cogi, vult quâdam importunitate vinci.* Sed idem advertit Moral. 33. c. 21. *Sunt intra Ecclesiam sanctam nonnulli, qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent. Nam promissa cælestia petitionibus sequuntur, vitâ fugiunt. Quod apertè Balaum Num. 23. innotuit, Qui Justorum tabernacula conspiciens ait. Moriatur anima mea morte Justorum. Sed cùm compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam quibus se similem fieri etiam moriendo proposuerat, consilium tribuit.* E contra de anima flente 1. Reg. 1. *Vultusq; ejus non sunt ampliùs in diversa mutati.* Quare monitum S. Ephrem. orat. de Virginit. sequendum est. *Esto orationis tempore veluti cælestis Angelus, atq; ita decerta ut sancta sit & munda oratio tua pura atq; immaculata; ut dum*

illam sibi propinquare viderint cœlestes januæ, gaudentes illi ultro continuò pandantur, & ipsam intuentes Angeli & Archangeli omnes illi gestientes occurrant, & ante Sanctum & sublime solium immaculati Domini offerant. S. Stephanus Abbas Ord. Cisterc. *Oratum eundo dicebat. Manete hîc post januam cogitationes, quousq; divinum persolvam officium, postea si necesse fuerit vos reassumam.* B. Ægydius interroganti fratri cur magis molestæ essent tentationes orantibus? respondit. *Si quis litem intentet alicui coram Judice, modis omnibus laborat adversarius ne in eum feratur sententia: ita & dæmones faciunt.* Neque omittam pro fine quod idem cuidam petenti ut pro se oraret, reposuit. *Nunquid pro te nuncium mitteres, si thesauri aperirentur?* Hæc ex Schola Patrum. Ubi etiam additur, hunc fuisse Patrum sensum. *Justo DEI judicio sine verbo moritur, qui in servitio DEI negligenter loquitur.*

Dominica VI. post Pascha. CONCIO I.

Hæc dixi vobis ut non scandalisemini.

SCandalum non in eo consistit, quod nobis alienum factum malum displiceat, sic judex non scandalisatur quod ei displiceat furtum furis, homicidium homicidæ &c. Imò displicere debent. Sed in eo quod facto alieno sive ad simile sive ad diversum peccatum trahamur, sic coram juvene obscæna loquens traxit eum ad luxuriam, coram offenso memoriam faciens ejus injuriæ incitat illum ad vindictam. Tam verò est corrupta nostra natura ut ex bonis etiam aliquando factis sumat occasionem ad peccandum. Unde aliqui scandalisantur etiam ex operibus DEI, & de hoc scandalo. *Hæc dixi vobis* &c. Scandalisantur ex bonis factis hominum, utrique malo constitui occurrere.

Omnes

Omnes sciunt quòd justus est Dominus, & recta judicia ejus, sed etiam certum est quòd mirabilia sint opera Domini, his non intellectis ruunt in scandalum, & hoc aliquando accidit etiam viris probis, qui si non usque ad peccatum cadunt, saltem titubant. Judic. 7. afflictum Gedeonem salutat Angelus *Dominus tecum.* Gedeon reponit. *Si Dominus nobiscum cur hæc mala apprehenderunt nos?* Amici Job, videndo probum Job afflictum, peccârunt, hinc inferendo, DEUM res humanas non curare. *Cardines* inquiebant *cœli perambulat.* Hoc multò magis potest esse mirum postquam nos tanto pretio redemit, cùm affligi & deprimi permittit? Quis Pastor oviculam perditam postquam in humeris retulit, à lupis permittit invadi? Quis margaritam pro qua dedit totam suam substantiam, pedibus conculcari? &c. Totum hoc provenit ex eo, quia non intelligimus vias nostræ salutis per quas nos ad illam ducit DEUS. Aliter modò ducimur ad cœlum quàm si non peccavissemus, uti infantes. Donavit nobis in baptismo cœlum, sed nos illud per peccatum vendidimus. Oportet illud redimamus, & quidem redimere non possemus nisi Christus ipse misertus nostri pro illo dedisset pretium, sed tamen nos etiam dare debemus pro illo quidquid carissimum habemus, est enim simile margaritæ, simile thesauro in agro abscondito, qui ager emendus est. Duo habemus quæ dare possumus, actiones sunt, jejunare, orare, eleemosynas dare &c. ista sunt cara, & his etiam emi potest dictus ager, sed his præferimus etiam ipsi passiones. Pati in corpore, fama, bonis &c. Difficiliùs est, ideò pretiosius, & hoc pro cœlo dandum; per hæc citiùs, faciliùs emitur, quàm actiones. Hanc rationem emendi cœlum ostendit suo exemplo Christ⁹. *Nonne oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam? Patientia opus facit perfectum.* Ipsum dum cōscendit cœlū, interrogârunt cœli custodes quis esset? responsū

 quid

quid esset *Rex gloriæ*, Hoc non contenti. *Quis est iste Rex gloriæ?* Et dum audierunt. *Dominus fortis & potens, ipse est Rex gloriæ*. Tum primò quieverunt. Fortitudo maximè apparet in sustinendis adversis, hanc sequitur potentia in agendo. Proinde cùm adversa nobis agentibus offeruntur, aperit nobis DEUS thesauros ex quibus pretium accipiamus cœli. Atque adeò gratiæ illi referendæ, non scandalum.

Deinde cœlum est mensa fortium. Ut ipse Christus qui est beatitudo nostra dixit Augustino. *Ego sum cibus fortium*. Mensa est, *Ut edatis & bibatis de mensa mea*. Qualium fortium est mensa? circumspice assidentes, dices ipse. *Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione*. Quomodo inter illos considere volumus, si nolumus esse in tribulatione? dedignantur fortes viri inter se admittere ignavum ex acie fugitivum. *Amice quomodo huc intrâsti?* Procedamus jam ad similitudinem sub qua cœlum, quod ipse spectavit, descripsit Joannes. *Vidi civitatem sanctam* &c. Describit muros, lapides, sed nunquid cœlum lapidibus constat? Imò ait Petrus. Sed *vivis & electis*. Lapis quadratus quali constat cœlum non nascitur sed elaboratur, in cœlo non quadrabitur, quia ædificatur ut templum Salomonis in quo non audita securis & malleus, solùm ibi aptantur locis suis lapides, in terra illos elaborari necesse. Quadraris hîc cùm affligeris, gaude, electus es lapis; qui non elaboratur, non eligitur. Tu constitues parietem cœli, ille fornicem inferni, tu attolleris, ille projicietur in lutum. Ita nos solemus. Dolet manus. O mea manus sustine parumper, aptaris cœli ædificio, non accedet postea ad te malum.

Scandalisamur ex hominum factis, quia cor hominum videre non possumus in quo sæpè est aliud quàm nobis videtur, saltem ex eo corrigamus quia sæpè circa illud erravimus. Vidistis mulierem juvenem hilariter introeuntem ad lascivi

militis

militis & ebrii tentorium, ornatam, comptam hilarem, solam, dixisses. Vadit ad fornicandum. Iuditha fuit ista castissima, quæ non ad peccandum, sed ad occidendum hostem ingressa. Vidisses in cella Religiosi mulieres juvenculas blandè cum illo agentes, solas cum solo, quid diceres? Sancta hæc fuit Agnes & Catharina apud S. Petrum Ord. Prædic. Qui deinde fuit Martyr. Vidisses Monachum pernoctantem apud meretricem jam apud hanc, jam apud illam, quid cogitares? S. Vitalis hic fuit pretio sui laboris diurni redimebat noctes, ne peccarēt Rom. 2. Tu qui es qui judicas alterum? scisnè quid in corde illi9 agatur? soli Deo illud patet. Aspexisses Abrahamū, ecce ligat filiū dixisses cruelem. Sacrificium id DEO gratum fuit. Vidisses in lecto Davidis statuam viro similem, dixisses uxorem David adulteram, at illa per hanc artem mariti vitam protegebat. &c. Erravit in hoc & S. Joann. Eleemosynarius, qui jussit flagellari Monachum secum fœminam circumducentem, & his plagis affectus apparuit illi Christus. Monachus enim ducebat Judæam à se conversam ut illi locum honestum & tutum reperiret. Erravit Heli qui Annam labia quidem moventem in templo, sed verba non proferentem damnavit ebrietatis, & nos ipsi quoties erravimus! Graviter interea peccamus cùm munus DEI nobis arrogamus inspiciendi corda. Ipsi nobis struimus pontem ad infernum volentes dum facta aliena malè explicamus & hâc explicatione nos in aliquod peccatum præcipitamus. E contrà, summè DEO placet si non scandalisemur, scribit Baron anno 599. De monacho aliàs vitæ non bonæ, quòd dum moriente illo dæmones in charta grandi ejus peccata Christo exhiberent, ut eum damnaret, Christus chartam concerpsit. Quia Monachus totâ vitâ suâ neminem malè judicavit.

Eadem

Eadem Dominica CONCIO II.

Modicum, Modicum. &c.

IN hoc Evangelio septies ponitur *Modicum*, & si quodlibet consideretur, septem insinuantur necessaria, quæ tamen facimus modicè. 1. Modicum non videbitis me, de passione dicit sua quæ duravit horis 40. Hîc modicum pœnitentiæ notat. 2. Modicum videbitis, de tempore usque ad Ascensionem, dies 40. hîc modicum quod facimus devotionis pro cœlo acquirendo. Tertium, quartum, & quintum modicum cùm Apostoli non intelligentes quærunt, *Quid est hoc quod dicit modicum.* Hîc modicum scientiæ nostræ circa res spirituales, modicum charitatis, modicum subjectionis erga DEUM insinuatur. Sextum & septimum cùm respondit Dominus, modicum me videbitis &c. Modica misericordia nostra erga proximum, modica perseverantia in bono, de singulis modicis dicam modicum.

Consideravit hæc modica S. Bern. serm. 74. in Cantic. atque etiam in illis septem advertit modica. *O modicum & modicum, & modicum longum? Porrò anima amans.* 1. *Fertur votis,* 2. *Trahitur desideriis.* 3. *Dissimulat merita.* 4. *Majestati oculos claudit.* 5. *Aperit voluptati.* 6. *Ponens in salutari.* 7. *Et fiducialiter agens in eo.* Simili modo modica expendit Origen. hom. 3. in Cant. applicans Ecclesiæ. *Cùm patitur persecutiones.* 1. *Absens ei ad modicum videtur sponsus.* 2. *Et rursum cùm in pace proficit præsens ei intelligitur.* 3. *Alia iterùm est visitatio in qua anima visitatur paululùm.* 4. *Et iterùm deseritur ut probetur.* 5. *Ac rursus requiritur ut caput ejus sustentetur* 6. *ne fortè in fide titubet.* 7. *Aut corpus ejus pondere tentationum prægravetur,* Sed partitio modicorum quam assumpsi magis in rem populi facit Christiani.

Modi-

Modicum igitur est pœnitentiæ quod facimus , & curandum est majus. Inebriatus quidam vendebat pro nummis singulis membra sua, oculos ut eruerentur &c. Stetit contractus. Evigilat, Quid feci? pro nummo vendidi oculos, eruentur. Thren. 1. *Plorans ploravit in nocte, lacrymæ ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus.* Quid feci? id fecit peccator qui pro modico totum corpus suum vendidit ut crematur vivum in inferno. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Quid egisti? *Venditi sumus sine pretio.* Ubi jam hoc est pretium pro quo animam vendidisti? animam quam non habes alteram? transiit voluptas &c. Sed plus est, etiam ipsum DEUM, qui jam tuus erat vendidisti in ebrietate quam tibi dæmon per tentationem immisit Ps. 43. *Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus vestris.* Euthym. *Quòd ait, sine pretio, ad populi contemptum dictum est, pravos enim ac mancos servos solemus sine pretio trudere, atq́ eorum emissionem pro lucro putare.* Ita egisti cum DEO, sine pretio vendidisti, tanquam esset tibi pro lucro illum domo tuâ extrusisse, ô quis DEI contemptus! ô quæ tua malitia! Vendidisti DEUM pro siliquis quas instar filii prodigi cum porcis manducares. Vendidisti pro osculo meretricis. *Juda osculo tradis filium hominis.* Minoris vendidisti quàm jumentum. Quò majori personæ infertur contemptus, majus est peccatum, alapa Regi impacta non compensatur florenis centum, vita rustici minoris æstimatur, nam si etiam minùs furetur, suspenditur. DEUS est infinitæ dignitatis , plus mali egisti quàm si mille & mille & mille Reges occideres, & tam modicam agis pœnitentiam!

Modicum devotionis. Quidam Pater cùm haberet nummos aureos 336. distribuit filiis, unico sibi relicto, at filii & hunc ipsi eripuerunt, neque eo usi, sed in lutum projecerunt.

Talis est devotio nonnullorum, in septimana sunt dimidiæ horæ 336. Totas nobis dedit solâ unâ sibi relictâ, ut illâ missam audiendo recognoscamus nos ejus filios, & hanc illi eripiunt, & quare? Non mirentur filii si deinde & quod dedit illis Pater, recipiat. Eripit illi dimidiam horam, ille morbo immisso eripit tibi mensem. Immissâ siccitate in agros eripit plurium septimanarum laborem. Profitemur nos tamen DEI servos, sed in quo hoc apparet? non in ore non enim oramus &c. Rarus est qui verè DEO serviat, ut rara est palma florens. Ps. 91. *Justus ut palma florebit.* Potiùs sumus ut fœnum quo terra plena est *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fænum.* Pecreccatores multi, Justus unus. *Palma centesimo* anno floret, ut scribit Joan. Cluniacen. serm. 90. expectamus senium, annum centesimum cum nostra devotione, at fœnum statim exoritur, peccatur in ipsa pueritia. &c. Modicò æstimamus devotionem, imò sunt qui eam, ut rem probrosam rident in aliis. Si tam modicè quis Principi serviret? imperat quid Princeps, ille aliud facit: Vult eum alloqui, ille cum cane ludit. Alloquitur Principem, sed ita ut neque ipse se intelligat &c. & pro tali devotione expectamus cœlum? Hinc etiam si memoria exitûs de corpore fiat trepidamus. Pessimum est hoc signum, ita fur qui de se novit latum decretum furcæ, si illi dicatur, exibis de carcere, trepidat: jam verò sciens se fore liberum, lætatur. Ita ipsa nostra conscientia ostendit supplicio non cœlo dignos.

Modicum scientiæ in rebus spiritualibus. Duplex in nobis est scientia, alia communis cum bestiis per sensus, nihil sciunt nisi quod vident. alia superior, per intellectum, & hæc corrigit priorem, videtur oculo sol non major quàm rota in curru: videtur in febri panis esse amarus, lectus verti &c. corrigit intellectus. Sed quia iste ad res altiores quæ salutem nostram

ſtram concernunt caliginoſus eſt, addita illi in ſubſidium fi-
des veluti lucerna in loco caliginoſo, per illam ſcientiam nem-
pe ſenſuum, cognoſcimus vulnus in corpore, per alteram vulnꝰ
in honore, per tertium vulnus peccati in anima. Et ſi homo
ad ſola illa reſpiciat quæ corpori amica vel inimica, vivit ut
beſtia: ſi ad famam, honores &c. Vivit ut homo: ſi, quomo-
do ſalvari poſſit, vivit ut Chriſtianus, quocirca qui ſalvari
vúlt debet ad intellectum doctrinas fidei adjungere. Sed ſæpè
hic eſt modicum, ſcit auriga quæ ſit via ad civitatem, neſcit
quæ ſit ad cœlum. Scit agricola quot ſunt groſſi in flo-
reno, neſcit quot ſunt Sacramenta. Scit Aulicus quæ major ſit
dignitas, neſcit quod DEO gratius obſequium præſtari poſ-
ſit, ſcit miles quomodo ſe contra hoſtem tueri debeat, neſcit
quomodo in tentatione contra tentationem &c. Non utun-
tur fide, & veluti illam non haberent, vivunt. Sic ſtudio ſuo
non utitur illo. *In malevolam animam non intrabit Spiritus*
ſapientiæ. Inde, poteſt ſibi comparare aliquam ſcientiam, ſed
non ad ſalutem. Non projicit DEUS margaritas ante porcos.
Sic peccator, non utitur illo. *Niſi converſi fueritis, omnes ſimi-*
liter peribitis. Obruet vos domus, vel mors, quando non pu-
tatis. &c. Et dum non utuntur fide, paulatim illa deficit, &
evadunt ſimiles Atheiſtis aut Hæreticis, dum ſcientia
ſenſuum, aut etiam gepravati intellectûs ſumit robur, proce-
dit iſte error ex eo, quia ſumus in medio inter cœlum & infer-
num. In hoc eſt ſcientia ſenſûs, ſentiunt enim ignem &c. In
cœlo eſt ſcientia quam hic habemus fidei ſed multò perfe-
ctior & mutata in claram viſionem. Medium de utroque ex-
tremo participat, ſic aqua inter terram & aërem, habet ſimi-
lem aêri liquiditatem, terræ frigus. &c. Et medium ſi ab uno
plus participat extremo, tandem ad hoc deveniet, ut in illud
vertatur, ut aqua ſi calefiat vertitur in aërem, ut patet cùm

bullit, si arescat & solidetur, vertitur in terram. Quò nos deducet usus scientiæ? ducimur sensu ad infernum, ducimur fide, ad cœlum ducimur solâ ratione, cœlum non possidebimus, quia istud est supra rationem.

Modicum charitatis erga proximum. Duplex est charitas, alia canina, alia Christiana. Cani, quando offers carnem, amat te, etsi contra eum illa carne projeceris, sed Apoc. 3. *Foris canes.* Si contra eum projeceris aurum, mordebit, allatrabit, quia non intelligit quid sit aurum. Christianus etsi contra illum proximus projiciat, diligit eum, quia scit quia projecerit, esse aurum, unde non solùm benefacientem sed & malefacientem amat. Sed quomodo sunt aurum convitia &c. quæ in te jactat, cùm tantopere sint molesta? Positus fuit quidam in carcerem ob certam pecuniam debitam, propter quam die sequenti cùm non posset exolvere, plagis in foro erat conficiendus. Injecit illi alter noctu ebrius, per fenestram tantundem pecuniæ, & dormientis caput percussit, molestum fuit ei rumpi somnum, & percuti, sed ubi advertit esse peccuniam quâ se à plagis exolveret, gavisus est. Rei sumus magnorum debitorum, projicit nobis inimicus, quibus nos exolvamus, molesta ea sunt, sed sunt lythrum. Sic Joan. Bapt. de quo author imperf. operis hom. 27. *Quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio, & irâ eius quasi misericordiâ DEI fruebatur.* Et tamen paucula fortè, si & ista habuit, erant Joannis debita. Quid nos? Quocirca Jacob. 1. *Omne gaudium existimate Fratres mei cum incideritis in varias tentationes, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.* Ascenderant duo homines ad templum, Pharisæus & Publicanus. Hic audiebat se ab illo carpi &c. tulit patienter & justificatus præ illo. Chrysost. hom. contra spectacula, *Si inimicus exprobraverit tibi crimen, cujus tibi conscius:*

scius: tu verò audiens non convitiaris illi vicissim, sed cum amaro gemitu DEUM imploras, protinùs omnem culpam deposuisti. Et hoc probat exemplo modò adducto de Publicano. Luc. 18. & addit. *Criminum accusatio, facta est illi criminum remissio, & hostis nesciens factus est beneficus.* Et ipsos inimicos DEUS cùm nos amat, permittit. Birgit. Revel. l. 3. c. 30. *DEUS sicut immundum pannum ponit inter procellas aquæ.* Non tantùm sol serenus panno profuisset. Proinde monet Aug. serm. 103. de temp. *Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus non negemus.* Imò amemus, quia causam amoris habemus. Quodsi non esset conscius debiti, adhuc proximus qui te vexat, amandus esset quia quasi palmam & coronam tibi parat martyrii. S. Climacus gr. 4. *Qui propter DEum maledictis lacessitus sibi vim fecerit, hic Martyribus parem gloriam merebitur.* Hinc Ecclesia de S. Martino qui vexationes Brixii sustinuit. *O SS. anima quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.* Hoc ipsum Chrysost. hom. 3. de Davide, qui Sauli persecutionem sustinuit. *Plurimas tulit martyrii coronas.*

Modicum subjectionis erga DEUM. Nullus est Princeps cui minùs obediatur quàm DEO. Mandat Princeps in exercitu, & in ignes ruunt; præcipitur aliquid in civitate sub mulcta, & fit. DEUS præcipit sub pœna horribili inferni servare Decalogum, & non servatur, &c. Exploratur Dux aliquando obedientiam simulando adesse hostem. Explorat DEUS; immittit morbum in pecus, & recurritur ad Sagas, permittit damna & fiunt perjuria, &c. Sed & Dux & DEUS punit inobedientes. Apoc. 14 *Timete DEUM, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum qui fecit cœlum & terram.* Dicet his. *Vos estis qui permansistis mecum in tentatione.* Ego vos probavi, deserere non constitui. Dicet aliis, *Fores timidi.*

Modicum misericordiæ habemus erga pauperes. Si proclamari juberet Princeps qui nunquam fallit, qui deposuerit apud illum quem designabo, nummos decem, post modicum temporis recipiet centum; qui centum, recipiet mille. Proclamavit Matth. 17. Non solùm centum aut mille se redditurum. *Da pauperi & habebis thesaurum in cælo.* Insuper hoc tuum factum prædicabit tanquam si fecisses illi beneficium ingens. Chrysol. serm. 14. *Quæ passus Abel*, quæ alii. *DEUS tacet, & hoc solum clamat quod pauper comedit, prima stipendia pauperis tractantur.* Sed clariùs inducit hanc deprædicationem, cùm ita loquentem facit Christum Chrysost. hom. 15. in Rom. 8. *Te coram totius orbis theatro deprædicabo, cunctisq; audientibus nutritorem meum ostendam.* Sed neque spiritualis omittenda est eleemosyna, Aug. tr. 72. in Joan. *Prorsus majus est salutem operari, quàm cælum & terram, & quæcunq; cernuntur in cælo & terra.* Compatere afflictis Job 30. *Flebam super eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Condonas injuriam ad interventum alicujus potentis, intervenit Christus; & si non feceris, pro offensa ducit potens, & Christus ducet.

Modicum perseverantiæ in bono. Constituit aliquis esse devotior, hæc & illa peccata vitare. Constituit Civitatis Consul occurrere peccatis publicis, usuris &c. Sed fiunt polypi. Hic piscis tam fortiter adhæret petræ, ut priùs in partes lacerari possit quàm avelli. *Sed* ut Greg. Nyssen. scripsit. *Si gutta aquæ dulcis aspergatur, resilit.* Venit aliquis dat verba suavia, dissvadet, resilit à proposito: Resilit à petra Christo. Sed jubebit Christus educi pisces, & polypos foras mitti. Alii postquam vitam per aliquod tempus egerunt sanctam, deficiunt. Hi modicum istud præ oculis habeant, S. Jacob. 4. *Quæ est vita vestra? vapor ad modicum apparens.* Vapor fit ex aqua non diu durat, sed rursus in aquam revertitur. Nos sumus exter-

ex terra in terram redibimus, Spiritus S. ferebatur supra aquam, & quæ erat antea infœcunda, fœcundabat, & nos illum depellemus? Pf. 44. *Lingva mea calamus scribæ.* Non calamus sed scriptor scribit, spiritus per nos scribit. Spiritus S. bona operatur nos de illius manu nos eripiemus? Vita nostra est vapor, est modicum & hoc incertum. Greg. Nyssen. homil. 6. in Eccles. quærit, cur statim post Genesim ponatur Exodus? *Hæc tacitè philosophatur in primis librorum suorum inscriptionibus Moyses; fieri non potest, ut qui Genesim audierit, Exodum quoq; non cogitet.* Excessum sive mortem tantum est spatium inter Genesim & Exodum, inter nativitatem & mortem. Expressit hoc ipsum Nazianz. orat. 10. *Insomnium sumus minimè consistens, spectrum quoddam quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos nascens & marcescens.* Et Aug. tr. 101. in Joann. *Modicum hoc est spatium quo præsens prætervolat sæculum.* Hoc modicum benè secum recogitet. Modico tempore laborandum: & partem ejus maximam non DEO tradimus! Chrysol. 144. *Quando tantùm DEO quantum mundo? quando tantùm cælo quantùm terræ? quando tantum virtuti quantum vitiis fragilitas humana famulatur?* Deinde simile hoc nostrum tempus tragædiæ Chrysost. epist. 6. *Non est theralibus scenis vita nostra dissimilis, nam ut isthiâ, ille Imperatoris, hic Judicis, & alter militis implet officium, ubi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur, nec Judex.* Neque scenam nostram putemus esse longam. Videamus summos Pontifices quàm brevi illam tempore peregerint. Pius III. intra dies 26. Damasus II. intra dies 23. Sisinius intra dies 23. Marcellus II. intra dies 22. Theodorus II. intra dies 20. Cælestinus IV. intra dies 17. Bonifacius VI. intra dies 15. Urban⁹ VII. intra dies 12. Leo XI. intra dies 6. Stephanus II. intra dies 3. &c. Unde Bern. ad Eugen. *Modicum tempus eorum, paucitatem dierum nunciet tibi.*

Veniamus ad Imperatores universim Eccl. 10. *Rex est hodie, cras morietur.* Vitellius imperavit menses octo. Tacitus sex. Otho & Æmiliannus 4. Pertinax 3. Florianus 2. Philippus dies duos. Interea quomodo hanc scenam agamus. *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus, actusq; nostros prospicit.* Sed veniet dies in quo actoribus præmio distribuentur. Tertull. de spectaculis. *Tunc magis tragædi audiendi, magis scilicet vocales in propria calamitate, tunc histriones cognoscendi solutiores multò per ignem.* Tertium est, non debent reputare quid hactenùs boni fecerint. Act. 10. Petrus oravit, esurivit. Ambr. serm. 10. de SS. *Non cibum hominum esuriit sed salutem.* Quasi oblitus, quòd jam tot converterit. Ps. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Hugo victorin. cap 28. in Ps. 10. *Fames in faucibus satiari nunquam potest.* Satiatur ventriculus, sed non os. Ita oportet esurire & sitire justitiam: nec unquam cum Deo rationes eorum bonorum quæ fecimus inire. Ps. 10. *Non cognovi literaturam in potentias Domini introibo* Burgen. legit. *Non cognovi Arithmeticam*, Genebrardus. *Non cognovi numeros.* Sicut non computo dies quos recreationi impendi, ita multò minùs quos DEI obsequio. Qui hoc desiderium semper in via DEI progrediendi non habet, audiat Greg. Moral 7. c. 11. *De reprobis dicitur tantummodò, sola vexatio dat intellectum auditui, quia videlicet æterna non intelligunt, nisi cùm pro temporalibus jam sine emendatione puniuntur, tunc mens æstuans infructuosæ pœnitentiæ se ignibus inflammat, duci ad supplicium timet, præsentem vitam & desideria retinet.*

Dominica Pentecostes.

Mittet Paracletum Spiritum S. in nomine meo. Joan. 14.

NOn solùm in redemptione hominis eundem modum servavit DEUS quem in creatione, sed etiam in

Missione Spiritûs S. Fuit Adam de limo, ut una massa : insufflavit DEUS, factus est Adam *in animam viventem*. Chald. legit. *in animam loquentem*: fuerunt Apostoli ut terra &c. Accepto Spiritu S. cœperunt loqui. Maledictio in terram data. *Pariet spinas & tribulos*. Mittitur Spiritus S. in igne ut spinas exurat. Creato homine quievit DEUS, & hîc Spiritus S. sedit supra singulos. Unde Ps. *Emitte spiritum tuum.* &c. Invitemus hunc Spiritum S. cum Ecclesia. *Veni S. Spiritus.* &c.

Sed quid ago dum invito? Fortasse illi accidit, quod columbæ missæ ex arca Noë, non habuit ubi quiesceret pes ejus. Ubi enim sunt cupressi lugentium peccata? ubi myrthi jura matrimonij fideliter servantium? ubi oleæ verorum amicorum? ubi thus devotorum? Omnia sepelivit aqua. *Omnis caro corruperat viam.* Fortè accidet ut illi Regi qui à quatuor diversis invitatus. Veni ad me, primus dicebat, detraham tibi coronam & meo marsupio imponam. Veni, dicebat secundus, lutum ex plateis colligam & faciam tibi lectum, in cibum tibi apponam bufones. Tertius, veni, sed loco tibi priore non cedam. Quartus ad me potiùs veni, ponam tibi sedem honoratam sed statim illam sub te evertam, & te domo ejiciam. *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum aut superbia vitæ.* Primus est avarus. *Avaritia est idolorum servitus*, relicto DEO servit mammonæ, Alter luxuriosus. Tertius superbus. Quartus relabens in peccata. &c. Sed meliora de vobis sentio, & audacter invoco. *Veni sancte Spiritus.* Inveniet nos paratos ad se recipiendũ. Nam ut Greg. *Orando merentur accipere, quod eis omnipotens ante sæcula constituit donare.* Orârunt Apostoli ut daretur eis Spiritus S. Sine nostro concursu non accipiemus, Exod. 24. Fecit ipse DEUS tabulas & in eis scripsit legem, sed hæ tabulæ non perveniunt ad homines; frangit illas Moyses: facit deinde Moyses tabulas, scribit in illis

DEUS, hæ perveniunt, ad quas homo concurrit. Constituit dare Joël 2. *Effundam super omnem carnem de spiritu meo* tanquam oleum Elisæi, sed vasa afferenda sunt munda, in sordida non dignabitur fundere hoc pretiosum balsamum,

Opus est inprimis amore, quia ut Greg. hom. 30. *Ipse Spiritus S. amor est.* Bis datus est Spiritus S. Primò in terra. Joan. 20 *Accipite Spiritum S.* Secundò hodie de cælo Greg. apud S. Thom. in catena in 9. Joan. *In terra datur spiritus ut diligatur proximus, ex cælo datur spiritus ut diligatur DEUS.* Uterque amor est necessarius. Et qui amat, omnia difficilia pro DEO & proximo, pro nihilo reputat. Greg. 27. Moral, de S. Paulo ita ait. *Dum vinctus catenis Romam petiisset, latens sub ejus pectore quasi sub tentorio ibat DEUS,* vadit amans quasi bellantem pro se habeat secum DEUM; quærit modos promovendi cultum DEI, succurrendi proximo. B. Laurent. Justinianus in fasciculo amoris cap. 6. *Quicunq; ardenter amat DEUM, sapit.* Hinc si contingat illum in peccatum labi, ita dolet, atque si quis in tenebris putando hostem, occidat Patrem, deinde agnoscat, ah quomodo detestatur suum factum, nullâ pœnitentiâ satiari potest. Veniet in talem Spiritus S. qui est Amor. Jam verò quia Amor est causa omnium bonorum & donorum, quid nobis non dabitur? ideò damus amico quia illum amamus, ex amore DEUS dedit Filium. Qui habet amorem, habet arborem in quo omnium donorum crescunt fructus: habet fontem ex quo rivi fluunt, educet nos ex servitute Ægyptiaca: dabit robur ut Samsoni Jud. 14. *Irruit spiritus Domini super Samson;* ornabit animam.

Opus deindè multâ oratione. Ps. *Os meum aperui & attraxi spiritum.* Si Filius in lingvæ specie descendisset, facilè caperemus mysterium, est enim verbum. Greg. hom. 30. *Habet cognationem maximam lingva cum verbo.* Per lingvam loqui-

mur

mur. Heb. 15. *Novissimè locutus est in Filio.* Filius est sapien-
tia, hæc maximè per lingvam innotescit. Competit tamen
etiam Spiritui S. lingva. Act. 8. Apostoli *oraverunt pro eis ut*
acciperent Spiritum S. Oratione attrahitur Spiritus S. & si ille
sit in nobis etiam alios DEO lucramur, Poterant se excusare
Apostoli à conversione mundi sicut Moyses cùm mitteretur
ad Pharaonem. *Non sum eloquens,* vel sicut Jeremias cùm mit-
teretur ad populum *A, a, a, Domine nescio loqui* Sed Christus
prævenit. *Non estis vos qui loquimini* Marc. 17. *sed spiritus.* Hinc
lingvam nostram æstimemus, illa est sedes Spiritûs S. non ad-
mittamus in eam dæmonem. Qui alios ex officio debent ad
bonum verbo ducere, si id negligant, & verbis abutantur aut
exemplis, audite quam pœnam subeunt. Greg. lib. 2. in 1.
Reg. 3. *Plerumq; à DEO in impœnitentis cordis caliginem projiciun-*
tur, nullâ hominis adhortatione recipiscunt; ac si diceret: *Si quis*
peccaverit in spiritum, neque in hoc neque in futuro sæculo illi di-
mittetur. Quare, quia talis quantum in se occidit Spiritum S.
potestne hoc fieri? 1. Thessal. 5. *Nolite extingvere Spiritum.*
Cur Israelitis DEUS dixit. *Non ero ampliùs vester DEUS*, quia
Achan furatus regulam; alii legunt, *lingvam.* Sumus velut
naves poma portantes. Quod hujus navis gubernacu-
lum? S. Jacobus dicit esse *lingvam*, hoc gubernaculum si non ad
DEUM dirigit navem, dirigit ad infernũ. Concordes & in amo-
re vivamus, lingvâ etiam DEO serviamus, & tunc confiden-
ter invocare poterimus. *Veni S. Spiritus.*

Secundo die Pentecostes CONCIO I.

Sic DEUS dilexit mundum &c. Joan. 3.

EVangelium hoc enarrat amorem Patris erga nos. *Dedit*
Filium

Filium. Amorem filii, quia cùm illum Pater dedit etiam seipsum dedit. *Oblatus est quia ipse voluit.* Sed quomodo ad Spiritum S. spectat? Filius est Patris sapientia. Spiritus S. est Patris & Filii Amor, itaque cùm hîc de amore agatur, agitur de Spiritu, & cùm de amore DEI loqui constitui, eo ipso loquar de Spiritu S. Audite.

Licet quæcunque extra se agit DEUS, tota id agat SS. Trinitas, quia una sapientia, omnipotentia, unus amor in omnibus personis. Tamen Patri hoc opus adscribitur in quo magis apparet Omnipotentia; Filio in quo sapientia: Spiritui S. in quo Amor. Sic ergò. Pater creavit hominem integrum: ubi se homo per peccatum excæcavit Filius dedit oculos. Ideò cœco dictum. *Vade ad natatoriam Siloë quod interpretatur Missus*, Vade ad *Missus*, Quando Angelus ad S. Virginem missus & Filius DEI factus est homo. Sed oculi non profuissent nisi Spiritus S. lucem dedisset. Ideò. *Emitte cœlitùs lucis tuæ radium.* &c. Pater creavit hominem, Filius qui est imago Patris impressit se in ejus anima. Sed Spiritus S. univit animam cum corpore. Et inter hæc extrema, carnem scilicet & Spiritum, fecit amorem. Chrysost. de adorando Spiritu S. *In intelligibili gubernatione impossibile est insitam vitam manere absq; spiritu.* Vita nostra est similis navi quæ dum currit, pertranseunt illi omnia. Pater dedit materiam pro hac nave, sed si ventus desit frustrà sunt ista omnia. Chrysost. l. c. *Si non adsit Spiritus S. otiosa sunt omnia.* Si ille adsit. Origen. hom. 9. in Ps. 36. *In hoc sæculo Spiritu S. mentem tuam perflante, pertransibis hæc omnia quia temporalia sunt.* Dedit Pater Filius seipsum: sed Spiritus S. nos cum Filio unit, ut sit ipse caput nostrum. Aug. lib. de gratia. *Ad Spiritum S. pertinet societas quâ efficimur unum corpus unici filii DEI.* Hinc qui ab unitate hujus corporis rescinditur per excommunicationem, non ampliùs vivit coram

DEO.

DEO. Aug. *Sicut humani corporis membrum præcisum, formam quidem quâ membrum quod sit cognoscitur, retinet: sed nequaquam Spiritus S. sequitur, quo præter unitatem corporis vivat.* Eramus in carcere peccatorum, Pater misit filium ut pararet lythrum, Spiritus S. illud applicat. Chrysost. hom. 2. in Acta. *Si Rex missis literis jubeat vinctos è carcere dimitti, gaudium est & lætitia: DEUS autem mittit spiritum è cœlis, non reliquias pecuniæ debitæ* sed universa peccata condonatis. Sed hæc eadẽ habemus ex Evãgelio.

Dum experitur DEUS amorem erga se Abrahami, ait. *Offer sacrificium,* Sed quale? de bobus, ovibus? non. De fructibus terræ? non. Ergo de hominibus. Ita. Ergo de meis inimicis? non. Ergo ex mea familia? non. Quid ergo? ergo de filiis meis? ita. Offeram ergo Ismaëlem? non, sed. *Isaac quem diligis.* Quis illum sacrificabit? tu ipse. In quo altari? quod tu ipse facies. Statimné? non, expecta. Quis ligna feret? ipse Isaac. An non ostendit amorem Abraham? Hoc ipsum fecit DEUS Pater. Offer fili sacrificium pro hominibus &c. Morieris. Sed quo fine Gal. 4. *Ut adoptionom filiorum reciperemus.* Morere fili, homines sint hæredes. Sed, Pater homines sunt pessimi peccatores. Nonne tu ita odisti peccatum ut propter unam diffidentiam Moysen amicum tuum non permiseris ingredi terram promissionis? Nonne Angelos opus tuum præstantissimum propter unam superbiam, de cœlo: Adamum propter unam inobedientiam ejecisti de paradiso? &c. Propter hos moriar? Ita. Qui me occident? illi ipsi. *Ecce venio.* Tum Spiritus S. corpus illi aptat, ut mori possit. *Conceptus est de Spiritu S.* Quid facit filius antequam se sacrificet. Amplectitur humanum genus veluti Pastor dilectam oviculam. Sed mi Pastor dimitte hanc ovem, alioqui propter illam durissimè ligaberis. Non dimittam; alapis cædêris, non dimittam. Fla-

Flagelaberis &c. Non dimittam &c. Quid nobis videtur? apparet nè hîc amor DEI? apparetne Spiritus S.? An hîc non possumus dicere cum S. Dionys. de Divin. nominibus cap. 4: *Audebimus & id loqui, quòd ipse quoque author omnium, præ amatoriæ bonitatis magnitudine extra se sit.* Et quid pro his omnibus à nobis reposcit: Aug. in 10. Deut. *Cùm DEUS nobis magna beneficia præstat nihil exigit à nobis nisi ut diligamus.* Sed quid illi prodest noster amor? Nihil omninò aliud, nisi quia nobis vult bene, & fit nobis bene cùm illum amamus. hoc fine imperat Levit 16. *Ignis in altari meo semper ardebit.* Greg. 25. Moral. 7. *Altare DEI est cor nostrum in quo jubetur semper ignis ardere.*

Sed ardetne semper? Cypr. *Non amat te Domine qui te scienter offendit.* Quia dictum est. *Si diligitis me mandata mea servate.* Amavit Joseph Putipharem Gen. 39. & cùm ad peccatum sollicitaretur, dixit. *Ecce Dominus meus omnia mihi tradidit &c. quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* An minus nobis tradidit DEUS Pater? Minus est Filius DEI & Spiritus S. quam domus Putipharis? Quis unquam hominum ita amavit alterum ut DEUS, & forte quis non plus fecit pro homine quàm nos pro DEO? si bestiæ tantum quis fecisset, gratiorem experiretur. Aug. soliloq. c. 13. *Amem te plusquàm me, quia tu dilexisti me plusquàm te.* Ad minimùm quando nos occasio sollicitat ad peccatum dicamus cum S. Polycarpo. *Octuaginta sex annis servivi Christo, nihil mihi mali fecit, quomodo eum possum abjurare?* quomodo pejerare, festa violare &c.

Eodem die CONCIO II.

Venit lux in mundum. Joan. 3.

IGnem qui comparat in aëre, Cometam appellant, nec desunt

ſunt qui ex illo varia ominentur. Sed ignis ille qui ex cauſis naturalibus procedit nihil aliud poteſt indicare quàm ignis in ſublimi accenſus: ſed quando ignem DEUS ipſe accendit, non eſt ſine effectu ſpeciali. Hodie illum accendit & in Apoſtolos & alios mittit, quid ſperandum aut timendum, dicam.

Qui hoc myſterium ſpeculati ſunt, effectus octo collegerunt. 1. Quod Princeps de ſuo regno ejicietur, & in ejus locum mendici ſuccedent. *Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Beati *pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* 2. Quòd ſapientes mundi fient ſtulti. Rom. 1. *tradidit eos in reprobum ſenſum.* Simplices autem fient ſapientes. *elegit abjecta mundi.* 3. Quod multa evertentur templa. Ubi nunc eſt templum, Jovis, Martis? 4. Quod antiqua jura abolebuntur. Ubi lex de gladiatoribus, de veſtalibus, de ſacerdotiis, ludis Circenſibus? 5. Tranſlationem notat urbium in ſylvas. Urbes evacuantur, tranſeunt in eremos, Scethym, Thebaidam &c. 6. Bellum domeſticum. *Non veni pacem mittere. ſed gladium.* Tot Martyrum millia procedunt ad bellum, etiam ipſæ Virgines, ut cum S. Urſula. 7. Cœlum expugnabitur. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ad expugnandum dedit arma Spiritus S. Orationem. Eccleſ. 39. *Oratio humiliantis ſe penetrat nubes.* Dedit modum ut illud emamus à cœli cuſtodibus. Opes *manus pauperum in cæleſtes theſauros deportaverunt.* Dixit S. Laurentius. Prodidit cœli teſſeram. *Aperite portas principes veſtras & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum.* 8. Mortui reſurgent. Faciam hic aliquam moram, ut hoc prodigium bene contemplemini. Mundus hic eſt veluti unum cœmeterium plenum cadaveribus & quod pejus eſt inſepultus. Videremus id oculis ipſis, ſi nobis DEUS aperiret illos, ſicut in Samariæ Urbe aperuerat

ruerat puero Elisæi ut Angelos videret: vel sicut aperiuntur oculi eorum qui casu aliquo illati convivio Sagarum, & clamârunt *JESUS, MARIA*, disparuerunt enim ficta fercula, & vera cadavera, sordes animalium, atque patibula comparuerunt. Ita sensus quorundam Sanctorum fuerunt aperti ut etiam fœtorem perciperent. Hinc S. Ignatius dicebat, *quàm sordet terra cùm cœlum aspicio*. S. Philippus Nerius & S. Catharina Senensis quorundam qui aliis omnibus videbantur vivi, velut putridorum cadaverum fætorem non poterant ferre. Ita S. Paulo velut cadaver totus mundus fœtebat. *Mihi crucifixus est mundus*. Sed hoc ipsum etiam Ezechiel 37. conspexit. Exivit in campum magnum, in quo alii videre poterant quosdam arantes, quosdā itinerantes &c. Ille nihil aliud vidit nisi omnia cadaverū plenissima. Jam spectemus quomodo hos mortuos Spiritus S. excitet. Dixit Ezechieli DEUS, *Putasné vivent ossa ista?* Respondit ille. *Domine DEUS tu nôsti*. Tum DEUS. *Vaticinare de ossibus istis & dices. Hæc dicit DEUS à quatuor ventis veni Spiritus & insuffla super interfectos* &c. Hic jacet à luxuria occisus, hic ab avaritia &c. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur*. Et sunt horribilia ista cadavera & putrida. Ps. *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis*. Venit Spiritus. *Steterunt Ossa in pedibus suis*, & factus est exercitus magnus. Venit Spiritus S. à quatuor ventis. Ab occidente memoriam adducit mortis. Nosti istum? mortuus est, & quidem pessimè, quia differebat pœnitentiam ad mortem. *Omnis caro fœnum*, flos dum nemo putat à verme occulto eroditur &c. Nosti illum? occisus est in peccato. Venit ad alterum Spiritus S. à meridie. Ostendit quanta à DEO etiam in temporalibus accepit, tanta non possunt alii consequi multò majori labore, si tibi hæc quispiam Princeps daret, qualiter illi servires? Majora adhuc tibi DEUS parat. Alios accedit ab Aquilone. *Omne*

malum

malum ab Aquilone. Terrorem extremi judicii, acerbitatem inferni in mentem adducit. Alios ab Oriente, peccâsti satis in adolescentia, quando te dæmon veluti implumem aviculam in nido cepit. Cessa, vitam perfectiorem amplectere. Cyrill. Jerosol. Catech. 16. *Quodsi tibi fortè sedenti de castitate aut virginitate subeat cogitatio, Spiritûs S. doctrina est, Nonnè puella jam ad Sponsi thalamum constituta effugit, Spiritu S. eam de virginitate docente? Nonnè sæpe splendidus homo aulicus aliquis contempsit divitias probè instructus à Spiritu S.? Nonnè Juvenis sapè videns pulchritudinem compressit oculos, & ne ampliùs videret aufugit, pollutionemq; vitavit? Quæris unde id contingat? Spiritus S. certè sic erudivit animam adolescentis. Tot sunt avaritiæ cupiditates in mundo, & tamen nihil possidere eligunt Christiani. Qua de causa? propter Spiritûs S. annunciationem.* Ita illi qui erant mortui, & de quibus dici poterat. *Sinite mortuos sepelire suos mortuos.* Assurgunt in pedes, reviviscunt. Imò currunt viam mandatorum DEI. Præcipuum est signum vitæ, respirium; jam qui vel non respirabant, vel solùm similitudinem exhibebant respirantis, verè respirant. Respirium nostrum est Oratio ad DEUM. S. Paulin. epist. 4. ad Severum. *Qui in veritate consistunt* (stant verè supra pedes) *etsi intra mundum vivant habitatione corporeâ, tamen supra mundum sunt conversatione cælesti, & astrorum choros, vel cælorum polos evolantes spiritu, scandunt; & & supervadunt, & celsiores elementis evadunt.* Quidcunque aspiciunt orandi habent occasionem. Basil. orat. de S. Juditta. *Nox tibi nova precandi Numinis argumenta subjiciat: cùm cælum suspicis, & in syderum pulchritudinem intueris, ac rerum aspectabilium, DEUM roga, & optimum hujus universitatis Opificem Dominum venerare.* Peccator non orat, si enim verè oraret, citò in pedes assurgeret. Quis enim dicet orare typographum cùm evolvit librum? Ita peccator dum librum precatorium le-

git, orat. Ita globulos precatorios percurrit ſicut qui illos vendit attendendo ne quis deſit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum eſt procul.* Si enim oraret deprecando pœnas quas meruit, oraret ſicut famulus cùm illi eſt pœna infligenda. Si oraret petendo, ita peteret ut famens panem, frigens veſtem &c. Qui verè orat, de ſe dicit. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Et ipſe Spiritus S. per eum orat *gemitibus inenarrabilibus.* Et quia S.Chryſoſt. homil. 6. in Matth. docet. *Sicut miles ſine armis ita oratio ſine jejunio.* Agite juxta conſilium Judith 4. *Scitote quia exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes perſeveraveritis in jejuniis.*

Hinc facilè advertemus an ſimus inter cadavera an inter viventes. Vitæ ſigna ſunt præcipua, motus & reſpirium. Si imus de virtute in virtutem, ſi per orationem reſpiramus, vivimus, & ut vivamus oremus Spiritum S. *vivificantem.*

Tertio die Pentecoſtes CONCIO I.

Oſtiarius aperit. Joann. 10.

STatus & occaſio Evangelii hæc eſt. Videbant Judæi Danielis expletas hebdomadas: regnum eſſe in manu alienigenæ, quæ ſigna judicabant jam Meſſiam veniſſe. Videbant miracula à Chriſto facta, quæ facienda à Meſſia prædixerant Prophetæ. Ex alia parte erant venturi, qui dicerent ſe Meſſiam, Theodas. &c. appellabant nihilominùs Judæi Chriſtum ſeductorem, oſtendit hîc Chriſtus ſe non eſſe talem, ſed potiùs alios, ſe eſſe verum Paſtorem & Meſſiam, quia ſolus ipſe intravit per oſtium, ſeu à DEO miſſus. Sibi aperuiſſe oſtiarium. *Spiritus S. eſt oſtiarius,* ut Aug. tr. 45. in Joannem. Oremus ut & nobis aperiat myſteria hujus Evangelii.

Sed priùs quærendum eſt, cur miſſus eſt Spiritus S.? An non

non satis erat misisse filium? ut fortes faceret Apostolos. Sed hoc ipsum poterat facere filius. Ratio ergo est, quia tota S. Trinitas voluit ad salutẽ hominis concurrere. Æger est homo, præscribit medicinam medicus: parat pharmacopola; applicat aliquis tertius. Ita hîc factum, præscripsit Pater, paravit Filius. Potentia Patris mittit filium ut succurrat homini: hunc succursum præparat sapientia Filii: charitas S. Spiritûs eundem applicat. Sicut apud Assverum Esther 2. fuerunt oranamenta uxoris. Præfectus illa dabat, uxor se illis induebat. Ita hîc Spiritus S. thesaurum nobis dat in manus, accipiamus. Est ille *Ostiarius*. Sed quis hic thesaurus? idem quo ille Christum hominem induit. Isai. 11. Et sunt dona septem. Sapientiæ, intellectûs, consilii, scientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Aperit hic Ostiarius thesaurum Sapientiæ. Accipiamus hinc animæ æstimationem. Valdè parvo pretio hanc emit dæmon, noluit revendere nisi maximo. Christus si dedisset solam pro ea guttam sangvinis, dedisset pretium maximum, quia infinitum, & cui nullum aliud par inveniri potest, respectu cujus omne aurum nihil. Addidit millia guttarum sangvinis, sudoris &c. 1. Petr. *Non corruptibilibus & argento redempti estis* &c. Non vendamus eam pro auro &c. pretiosior est, si vendis, redde Christo quod pro illa ipse dedit. Non potes? qui caret ære luat in pelle. Ibis ad infernum, ubi cùm infinitas pœnas pati non possis, patieris infinito tempore. Sed hinc ad donum intellectûs. Si nos tanti Christus æstimat, quare permittit ut nos pro modico vendamus, ut peccemus? si non permitteret peccare, si ad hoc cogeret, deberet manus amputare, cùm eas extensurus es ad illicita, cùm turpia locuturus lingvam præcidere, &c. Denique omnibus membris mutilare. Et quia ab intellectu origo peccati, & per voluntatem perficitur, debet Intellectum & voluntatem destruere, Et cùm nemo sit in mundo ho-

do homo qui non peccet, nec fuit præter B. Virginem, deberet omnes homines hoc modo perdere: & cùm creaturæ aliæ sint occasio peccati, & ipsæ perire deberent, sed nunquid, sine tantis discriminibus, non potuit tantis gratiis quemlibet prævenire ut non peccet, sicut prævenit matrem suam? soli id Matri DEI conveniens est, non alteri qui non est electus in matrem DEI. Sed nonne etiam nolentes salvare potest? Si nolentes, itaque in peccatis existentes, ille amantes: qualis jam beatitudo erit in cœlo, ubi iste fur manet, neque voluntatem à furto retrahit, ille latro, ille adulter, &c. Nam si ante mortem non mutavit hanc voluntatem neque in cœlo post mortem mutabit: nam si posset mutare, posset etiam à bono in malum mutare, & sic de sua beatitudine incertus esse, nam factus malus ex ea pelleretur. His sumptis ex dono Intellectus quòd circa difficilia percipienda versatur.

Transeamus ad donum Consilii, nam & hoc iste Ostiarius dignabitur nobis aperire? Det homo Deo quæ carissima habet, & benè sperat. Accidit 4. Reg. 3. ut Moabitarum Urbs ab Israëlitis gravissimâ obsidione premetur. Rex urbis spectante Israële, super muros Filium immolavit, quo viso cessit Israël. Scitè id fecit Rex, ut putat Lyranus, ad obstinationem suam ostendendam, quòd mallet filios suos perire quàm urbem tradere: sive ut alii, ad placandum DEum. Audiverat enim fortassè Rex iste de Abrahami facto circa Isaac, & quòd propterea DEUS benedixerit Abrahæ, sic ad se allicere DEum conabatur, & certè recessit hostis. Quidquid ex his duabus sit, in rem meam facit. Tenet peccatorem clausum in peccato velut in obsidione dæmon ut jam ultimum immineat excidium. Immolet DEO filium, id est, libertatem suæ voluntatis mactet, ut potiùs sit paratus omnia pati extrema quàm ad pecccatum redire, quod supremè detestatur & pœnitet de eo.

Immolet DEO filium, sed eum quem ipse Pater cœlestis pro nobis dedit in victimam, quod faciet si eum cum simili amore Patri reddat, atque eum nobis Pater dedit. Dicebat Pater, feci vobis ô homines multa bona, videte quomodo vos amem. Æstimatis Abrahæ erga me amorem, & meum erga vos videte. Si Abrahæ benedixi ob eius amorem, & vobis propter meum. Hinc cum Paulo argumentemur Rom. 8. *Proprio filio non pepercit, quomodo non omnia cum illo donavit?* Omnia etiam peccata condonabit, cœlum; & his minora, sanitatem &c. Res facilis. Dicebant famuli ad Naman, quando Elisæus jussit eum ut septies lavaretur in Jordane, & sic à lepra mundaretur. *Si rem tibi difficilem præcepisset, facere debueras, quantò magis quia dixit, lavare, & mundaberis.* Si jussisset ire in Indias &c. facere debueras, at modò, offer mihi filium meum. &c. Hic aperuit simul S. Ostiarius ad donum Fortitudinis.

Aperit portam & ad donum Scientiæ. Postquam quis è peccatis emersit factâ eorum confessione, invocet spiritum *Scientiam tuam doce me.* In corpore existens agnoscebat. Psl. 72. *Ut jumentum factus sum apud te.* Omnis nostra cognitio procedit à sensu, sensus res spirituales non percipit ut virtutes, vitia. Sed anima elevat se ad hæc cognoscenda, sicut si aliquis faceret sibi alas, & sic aliquantùm vi sibi factâ subvolaret. Hinc licet multò gravior sit morsus dæmonis quàm pulicis, non sentitur nisi se aliquis sublevet: multò svavior oratio quàm cibus, non sentitur. Et qui se non sublevant sed in sensu sistunt ut jumenta, dicuntur à Paulo, *Animales homines.* Qui autem levavit se supra se, spiritualis est. Spiritus S. sublevat nos ad ea intelligenda quæ sunt DEI: & addit lumen ut homo videat quò vadat. Totum reliquum negotium perficitur reliquis donis Spiritûs S. Scilicet, Pietate & Timore DEI. Ille cor emollit durum. Bern. l. 4. de Consid. *Duri cordis proprium est de peccatis non dolere, inspirationibus non moveri, minis non terreri, adversitatibus*

tibus & reprehensione in pejus proficere. In quo hæc sunt signa, non habet donum pietatis. Quorum cor est emollitum, ad quamvis inspirationem prosiliunt ut Act. 9. Paulus. *Domine quid me vis facere?* ut Samuel. *Loquere Domine, ecce audit servus tuus.* ut David. *Ecce ego servus tuus.* Saltem ea quæ DEO debemus hilariter exhibeamus. Dederunt tui Majores aliquid DEO; non detine, nihil in hoc juris habes quod jam alteri donatum, alterius est non tuum. S. Urbani Papæ & M. lex est. *Ipsæ res Fidelium quæ Domino offeruntur non debent in alios usus quàm Ecclesiasticos & Christianorum Fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* In hebdomada sunt 180. horæ illas nobis DEUS donavit, ex illis unâ alterâ ut sibi horâ retentâ, & hanc ipsi eripimus Missam negligendo. Planè agimus ut illi famuli. Dominus curaverat splendidè mensam instrui, dedit omnia fercula famulis, solùm sibi duo aut tria retinuit; at famuli etiam hæc duo illi rapuerunt, & partem in lutum, partem canibus projecerunt. Idem sæpè fit de horis Missæ assignatis, quæ sunt quasi fercula, quas si illi non rapimus, sæpè fimum illis aut arenam inspergimus. Alterum bonum quod nos in bono continebit, est timor DEI. Quid tu scis, an non hoc peccato non completurus sis mensuram? Quid scis an non interim in cœlo contra te feratur decretum mortis? Quid scis, an non leviùs sit futurum *Tyro & Sidoni* quàm tibi? Audi Jer. 25. *Dominus de excelso rugiet, & de habitaculo sancto suo dabit vocem suam: rugiens rugiet super decorem suum. Celevma quasi calcantium concinetur adversùs omnes habitatores terræ, quia judicium Domino cum gentibus &c. Ululate pastores & clamate, & aspergite vos cinere Optimates gregis. Quia completi sunt dies vestri ut interficiamini.* Et cap. 50. *Præparamini contra Babilonem per circuitum omnes qui tenditis arcum, debellate eam, non parcatis jaculis, quia Domino peccavit,*

cavit. Hæc crebrò cogitemus, & Spiritus S. affundet timorem DEI ne ampliùs peccemus. Ad hoc missus est ut dona sua largiatur. Sed quid prodest etsi luceat sol si quis claudat fenestras, si vestes distribuantur & quis nolit indui, & sic frigore pereat? si aperti thesauri, ille respuat &c. *Venit lux in mundum, homines magis dilexerunt tenebras.* Omnes dediti negotiis carnis & mundi, à spiritualibus aversi. Gen. 9. *Spiritus meus non permanebit in homine, quia caro est.* O Domine *confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.*

Eadem Die CONCIO II.

Oves vocem ejus audiunt. Joan. 10.

OMnium nostrûm gerit curam DEUS ut ovium, & quidem unicuique ovi dedit custodem suæ aulæ Principem, scilicet Angelum. Sed plùs, oves vult facere sui regni consortes & Dominas: plùs, vult ipsemet illis ministrare, vitam suam pro illarum vita exponere, si aberraverint in humeris suis referre. Magna felicitas! sed non omnes sunt oves, licet omnium tantam gerat curam, dabo signum ex quo nos cognoscamus an simus oves, & non aliud, nisi *audient vocem ejus.*

Certum est non omnes esse oves quorum Christus gerit curam, ut videatur gerere ovium. Dionys. Carthus. in speculo amatorum mundi. *Totus quasi mundus errat, & in maligno positus est: Proh dolor tam in capitibus quàm in membris, tam in Clero quàm in populo: tam in Religiosis quàm in sæcularibus: tam in senibus quàm in juvenibus: tam in masculino quàm in fœminino genere, corrupta est via universæ carnis.* Quapropter non est mirum quod scripsit S. Macarius homil. 15. *Quemadmodum aurum à copiosa arena dilutum invenitur, suntq; grana instar millii, sic quoq; ex multis pauci sunt probati.* Invenitur aliquando

aurum inter arenas, sed quoties hoc accidit? quot rejiciendæ sunt arenæ ut unum granum auri reperiatur? quot hædi, & una ovis! Certum etiam non omnes qui sunt peccatores de facto, non esse oves. Sed aliquando est ovis qui modò hædus, & aliquando hædus qui modò ovis. Sunt quidam veluti relictæ in agro spicæ, & Ruth eas colligit. Sunt etiam quidam qui jam in sagena sunt Evangelii, & tandem ut mali pisces rejiciuntur. Basil. in Ps. 14. Quàm dilecta tabernacula &c. *Rarus profectò rarus qui in corpore, sit incola & qui in monte requiescere mereatur. Propterea ut dubitans ait. Quis incolet & quis requiescet? quemadmodum illud. Quis novit sensum Domini? Item illud, quis annuntiabit vobis mare sempiternum?* Quot dabis veros patientes? &c. Tamen verè Cassian. collat. 3. cap. 6. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeat, si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. Secundùm illud. Si vis esse perfectus &c. Ita scilicet renuntians, ut ex his nihil penitùs mihi reservem, & huic erogationi meæ martyrium & exustionem carnis adjunxero, ita ut corpus meum tradam pro Christo, & tamen, vel impatiens, vel iracundus, vel invidus, vel superbus sim, vel aliorum inflammer injuriis, vel quæram quæ mea sunt, vel ea quæ mala sunt cogitem, vel universa quæ mihi inferri possunt non patienter libenterq; sustineam: nihil mihi proderit exterioris hominis abrenuntiatio atq; combustio.*

Ut tamen solatium habeamus, etsi multi in nobis sint defectus, si tamen vocem Christi audimus, adhuc spes bona est, adhuc oves ejus sumus, adhuc nobis suos humeros submittet, adhuc defendet ne lupus devoret. Si audis vocem ejus dum tuum cor pulsat, dum ingeminat, *convertere, dimitte cum quibus peccas, restitue.* Greg. homil. 36. *Ecce vocat per se, vocat per Angelos, vocat per Patres, vocat per Prophetas, vocat etiam per nos, vocat plerumq; per miracula, vocat plerumq; per flagella, vocat aliquando per hujus mundi prospera, vocat aliquando per adversa, nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cùm*

voluerit

voluerit intrare non valeat. Prov. 1. *Tunc invocabunt me & non exaudiam, manè consurgent & non invenient me.* Quæ nos ad bona ducunt cogitationes DEI voces sunt. *Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex DEO est.* Hæ voces DEI quas nos subinde spernimus, emptæ sunt Christi sangvine & vitâ ejus constant. Non audis has voces, talentum defodis. Hildebert. Cænomanen. epist. 3. *Officiosissima hominibus gratia DEI, & velut in eorum intenta obsequium.* Cùm nos vocat, respondeamus cum Paulo, *Domine quid me vis facere?* cum Samuele 1. Reg. 3. *Loquere Domine quia audit servus tuus.* Ita fecit Abraham Gen. 12. qui vocatus, statim obedivit. Cùm illi DEUS dixit. *Egredere de terra tua*, obedivit. Cùm dixit, Immola filium, obedivit. Vocabatur quidam juvenis Toleti ad Religionem, ut est in Promontorio malæ spei, non obedivit, statum Clericalem amplexus in sæculo & factus Canonicus. Incidit deinde in morbum & cùm Sacerdos laboraret ut eum ad Confessionem adduceret quam abnuebat, & ut hoc ipsum impetraret à DEO, coram effigie Crucifixi oraret. Ps. *De profundis.* Cùm ad illa verba venisset. *Fiant aures tuæ intendentes.* Manu utrâque à cruce avulsâ Crucifixus aurem utramque occlusit, hasque edidit voces. *Vocavi & renuisti, ego quoq; in interitu tuo ridebo.* Cùm sentis DEUM ad cor tuum loqui, sequere consilium Basilii exhortat. ad Baptismum. *Tu te considera in examine, trutinaq; tuam positam animam esse, hinc ab Angelis, inde à dæmonibus abstractam esse meditare, quibus cordis lancem inclinabis? quid apud te vincet?* DEUS ad meliora vocat, dæmon ad deteriora retrahit. Vis esse ovis? Hebr. 5. de Christo dicitur. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Ubi DEUS te converterit, habe quod S. Greg. in Ps. 3. Pœnit. *Illos divina clementia à peccatis per remissionem efficit liberos, quos prævidit utilitati*

litati Ecclesiæ post conversionem profuturos. Propheta ergò qui deleri iniquitates suas, & Spiritu S. à Domino confirmari postulat, quòd non sine fructu hoc sit futurum affirmat. Docebo iniquos vias &c. Hæc charitatis evidens est probatio, ut cui per gratiam DEI contigerit à peccatorum vinculis eripi, ipse ex Zelo justitiæ studeat ad spem veniæ delinquentes hortari. Nullum quippe tam gratum est DEO sacrificium quàm Zelus animarum.

Dominica SS. Trinitatis, CONCIO I.

In nomine Patris & Filii & Spiritûs S. Matt. 28.

HOmo quidquid sciat, si DEUM nesciat, nihil scit. Docta fuit Græcia, ibi fuit Plato, Aristoteles &c. Septem sapientes, doctum tribunal ibidem dictum Areopagus, Actorum 17. Appellavit Paulus *tempora ignorantiæ*, & benè. Aram erigunt *Ignoto DEO.* Dii quos dicebant notos, erant idola, mors, venus &c. ranæ, allia. &c. Quia etsi creaturæ dicunt esse DEUM, *Ipse fecit nos & non ipsi nos.* Nulla tamen dicit quis qualis sit. Signatus erat hic liber sigillis septem Apoc. 5. Sed Agnus illum hodie clariùs quàm unquam aperuit, legemus in eo.

Neque in terris neque in cœlo fuit qui librum signatum aperiret. Quia DEUM solùm ex creaturis lumine naturæ agnoscimus. 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate.* Aliquomodo, sed imperfectè innuitur SS. Trinitas. Sum ego qui aspicio speculum, per quod innuitur Pater, est mei imago in speculo, per quod Filius, à speculo per suas species ad meos oculos redit imago & mihi conjungitur, & innuit Spiritum S. Sed hæc similitudo in multis deficit, tres enim sunt essentiæ, ego, imago, species, in Trinitate unica. Imago & species sunt accidentia, ibi totum substantia &c. Psa. 18. *In sole posuit*

fuit tabernaculum suum. Est sol, lumen, illuminatio. Sed etiam hîc iidem defectus. Nullus intellectus cogitare potuit DEUM esse unum in essentia, trinum in personis à se verè realiter distinctis. Quomodo enim Petrus, Andreas, Joannes, unum sunt, si tres sunt? & si unum quomodo tres? Aperuit hoc sigillum Agnus & clariorem attulit similitudinem Joann. 7. *Qui credit in me, veniat ad me, & fluent de ventre ejus aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu S. quem accepturi erant.* Est fons, est ex fonte rivus, *influit fons per rivum in stagnum.* Clariùs hîc Trinitas explicatur, quia licet sint tres res. Tamen in omnibus eadem aqua: sed tamen etiam hîc defectus, quia nulla creatura est possibilis quæ sit omninò SS. Trinitati similis. Non enim eodem tempore est verè eadem aqua in his tribus, nam quamdiu est in fonte, aut rivo, non est stagno, & è contrà. Ut ergò clarè aperiat, dicit. *In nomine Patris*, non in nominibus, quia hi tres unum sunt. Dicit & *Filii & Spiritûs S.* particula *&* non jungit nisi res à se distinctas, distinctio verò est realis, quia Pater & Filius debent realiter distingvi, non enim potest esse idem Pater & Filius. Spiritus etiam S. procedit ab utroque & ille realiter distinctus.

Alterum sigillum. Si eadem essentia in omnibus, itaque unus est intra alium, seu ut meliùs loquar in alio. Joann. 4. *Ego in Patre & Pater in me.* Quomodo Petrus potest esse, intra, Paulus æqualis Paulo, & simul Paulus in Petro & idem in essentia cum Paulo? Aperit Agnus, & dat similitudinem. *Ego diligo Patrem.* Jam verò, *anima ibi plùs est ubi amat quàm ubi animat.* Itaque si anima Petri amet animam Pauli est in illo. DEUS Pater amat Filium, itaque est in Filio, & Filius amat Patrem, itaque est in Patre: Spiritus Sanctus est Patris & Filii amor subsistens, itaque est in Patre & Filio. Sed hæc similitudo est imperfecta, quia in creato amore fun-

datur, anima verò amantis non eſt verè & realiter in eo quem amat, ſed per affectum, quia illi benè vult, de eo ſæpè magis cogitat quàm de ſe, ejus bono proſpicit. At verè & realiter eſt Filius in Patre & Spiritus S. in utroque. Hodie hoc ſigillum plenè aperuit Agnus. *In nomine Patris* &c. Nomen unum, id eſt, eſſentia una eſt in tribus. Si eadem eſſentia in Patre & Filio, itaque cum eſſentia Filii eſt in Patre, & eſſentia Patris in Filio, cùm ſit eadem, ſunt quoad eſſentiam in ſe, & idem eſt de Spiritu S. Tertium Sigillum, Pater eſt ingenitus, Filius genitus. Quomodo Filius ? gignit cùm uxore careat? Spiritus S. ab utroque, quomodo id? Aperuerat hoc ſigillum, antea Agnus ſed non plenè, quia per ſimilitudinem ſumptam ex creatis innuit. *Ab initio autem non erat ſic,* &c. Memineritis Adami & Evæ. Adam fuit ſine Patre & Matre. Eva producta ex Adamo ſine uxore: Abel fuit e x utroque id eſt ex Adam & Eva. Sic DEUS Pater ingenit⁹ &c. Sed etiam hæc ſimilitudo ſumpta eſt ex creatis atque ideò deficit, quia Eva non fuit filia Adam, ut Filius DEI eſt Filius Patris, nec Spiritus S. procedit à Patre & Filio ut Abel à conjugibus. Et nullus horum eſt qui non ſit ab alio: At DEUS Pater non eſt ab alio. Aperit hoc ſigillum hodie. *In nomine Patris &c.* Ubi eſt eadem eſſentia tota in Patre & Filio, non eſt opus uxore, quia totam ſubſtantiam accipit à ſolo Patre Filius. Et ſi realiter diſtingvatur Pater à Filio, ab utriusque eſſentia, cùm ſit eadem, ut ab uno principio procedat Spiritus S. qui per amorem procedit, Amat enim Filius Patrem, Pater Filium. Amor verò non poteſt in Deo eſſe accidens.

Quartum Sigillum. Pater gignit Filium, non procedit tamen Pater, nec poſterior eſt Filius. Dederat ad hoc antea lumen Agnus. *Pater meus facit oriri ſolem ſuper bonos & malos.* Non eſt cogitandum de generatione Divina quòd fiat ſicut in tot homines, ſed ut in ſole, qui licet producat lu-

cem

cem non est tamen sol prior luce. Sed etiam hæc similitudo est ex creatis, quia lux est accidens solis, cum substantia verò potest simul oriri accidens, at quòd substantia procedat ex substantia & tamen sit cum ea simul: quod Persona ex persona & tamen sit simul, non habemus exemplum. Hodie id Agnus aperit. *In nomine Patris &c.* Eadem est substantia Patris & Filii, ideò non potest esse in Patre prior, in Filio posterior. Quintum. Omnia dedit Pater Filio præter suam Paternitatem, & omnia retinet. Aperuerat hoc Agnus. *Mea doctrina non est mea sed ejus qui misit me.* Sicut Magister cùm docet, totam scientiam dat discipulo, & totam retinet, ita totum dat Pater totum retinet. Sed & hic defectus in creatis. Scientia nostra sunt cognitiones nostræ, aliæ verò cognitiones sunt in Magistro, aliæ in discipulo, licet similes ac de re eadem: at DEUS Pater eadem omninò dat & retinet. Hodie sigillum hoc aperit. *In nomine Patris. &c.* Dat omnia Pater Filio, id est dat essentiam suam, eandem tamen retinet, quia eadem est in Patre essentia quæ in Filio & in illa sunt idem Pater ac Filius. Sextum. Filius habet omnia quæ Pater, & tamen Filius non generat, quomodo ergò habet omnia? Innuerat antea Agnus. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Pater quispiam dat Filio arcem unicam quam habuit cum omni jure quod in illam habet, jam Filius totam accepit, totam habet. Sed non potest sibi illam dare, præter Filium autem supponamus nullum esse hominem in mundo. Ita non est possibilis Fili⁹ DEI alius. Unde etiam hic Filius nō potest producere illum. Sed & in hac creata similitudine non est plenitudo. Nam Pater cùm dedit Filio arcem jam illam ipse non habet, hìc essentiam quam dedit Pater habet. Aperit hodie. *In nomine Patris &c.* Pater essentialiter est Pater, ideò generat: Filius est essentialiter Filius ideò generare non potest. In hominibus

accidens est esse Patrem aut Filium, ideò potest advenire & deesse. Rursum Paternitas idem est realiter cum essentia, & Filiatio idem est realiter cum essentia, igitur cùm totam essentiam accipit Filius, accipit omnia: generare tamen alium non potest, quia ipse est essentialiter Filius. Septimum. Spiritus S. est æquè persona divina, & non producit. Innuit Agnus. *Spiritus quo vadit nescis.* Est hoc mysterium. Homo producit respirium, hoc verò nihil ampliùs. Sed hoc ipsum quia est creatura deficit. Quia hominis halitus non habet eas perfectiones quas homo, habet verò spiritus DEI illas quas habet DEUS. Aperuit hoc sigillum Agnus. *Spiritus quem ego mittam.* Hic spiritus non mittit aliam personam, mittitur verò ipse à Patre & Filio, nec aliter mitti potest quàm per processionem cùm sit DEUS omnem locum occupans, & quæ ad extra mittuntur, ab omnibus tribus personis mittuntur. Iam ergò Pater mittit, Filius mittit Spiritum S. & illi essentiale est mitti non mittere. *In nomine Patris &c.* Ponitur post Patrem & Filium, non potest mittere.

Impressit in anima nostra sui imaginem SS. Trinitas. Intellectum scilicet, voluntatem, & memoriam, valdè hæc imago à nobis infecta. Intellectum instaurat Pater per fidem; Filius memoriam per beneficia: Spiritus S. voluntatem infundendo amorem. Hinc tres virtutes Theologicæ consurgunt, Fides, Spes, Charitas. Agnoscamus nos habere fidem. DEUS est imperceptibilis non scrutemur quæ dixit, & si constet nobis quòd dixerit, illa amplectamur. DEUS Filius in assumpta pro nobis humanitate hæc fecit, speremus cœlum. Spiritus S. nos amore inflammat, amemus. Imaginem quam nobis impressit non projiciamus. Sæpè repetamus, *Gloria Patri.* Sicut faciebat V. Beda, & his ipsis verbis immortuus. S. Franciscus Seraph. teste Surio, quoties hoc nomen *Trinitas* audiebat, rapiebatur in extasim.

Eadem

Eadem Dominica CONCIO II.

Data est mihi omnis potestas. &c. Matth. 28.

PLanè ita nobiſcum agitur, ſicut cum quopiam, qui induceretur in palatium ingens, ornatum ſplendidè. In tabulato ſol, luna, aſtra diſcurrunt: in pavimento periſtromata ex herbis vivis, gemmis &c. In omnibus aliquod membrum Domini loci depictum tam pulchrum ut cor ſpectantis rapiat. Famulitium ingens &c. Dicit ſibi ſpectator. Si tam pulchra auris, digitus hujus Domini, utinam poſſem illum totum videre! reſpondetur. Collige ex his imaginibus qualis ille ſit, & ſi illum amaveris, pro præmio dabitur ut etiam illum totum videas. Ita nobiſcum agitur, ſingulæ creaturæ ſunt qualis talis imago attributi divini. Colligamus & nos ex illis qualis ſit eorum Dominus, ut eum amemus, ac illo deinde fruamur pro præmio.

Si quis à me petat, quidnam ſit in mundo maximè inſatiabile? Diceret aliquis, mare: quia continuò tot abſorbet flumina, etiam claſſes. &c. Sed ego quod cor hominis; quod ipſum mare ſi poſſideret, vellet terram habere, aërem ſibi tributarium reddere, terram omnem eſſe ſuam, imò de altero mundo quæreret. Sed etiam ſecundo mundo obtento, adhuc deſideraret. Quia bona mundi ſunt ſicut piſces illius maris quod omnes piſces aurei coloris teſte Plinio oſtendit, *nihil extra illam aquam à cæteris differentes.* Antequam poſſideantur videntur eſſe aurum, poſſeſſi nihil à cœteris differunt, ſicut alia non ſatiārunt quæ habuimus, itaque nec iſta quæ modò acquiſivimus. Pſal. *Convertentur ad veſperam & famem patientur ut canes,* ad veſperam vitæ, ecce nihil habeo. Rapitur cor noſtrum ad DEUM, qui ſolus illud explere poteſt, Aug. *Inquietum eſt*

tum est cor nostrum donec quiescat in te, Hinc omnes saltem ope imaginum in creaturis impressarum ad DEI notitiam se erigebant. Ægyptii pingebant DEUM specie viri gravis, à cujus ore procedebat globus, quem etiam ipse circino mensurabat. Videbant mundum à seipso scindi non potuisse, videbant providentiâ & sapientiâ magnâ regi. Et dicebant DEUS est ille qui creavit & regit mundum. Sed quomodo hinc cognoscam qualis sit in se DEUS? Hoc non satiat. Per easdem vias & Græci quærebant. Narrat S. Cyrill. orat. in Julianum. Captum fuisse in mari à Piscatoribus mensam auream, gemmis ornatam. Et consultum fuisse oraculum, cuinam illa dari deberet, respondisse. *Sapientissimo.* Vivebant tunc Bias, Periander, Cleanthes Græciæ Sapientes. Singuli renuerunt mensam accipere, dicendo se non esse sapientissimos. Sed quis talis? responderunt. DEUS, qui tam admirandam fecit mundi fabricam. Sed satiatné hoc desiderium, quod sciam DEUM sapientissimum? Romani ut Cicero de natura Deorum, etiam istis imaginibus usi, quærebant DEUM nosse. Si ingressus sylvam, videas palatium, diceret casu factum, riderent te, inquit, Meliùs si dicas in parte superiore palatii esse Regem qui fecit, sed latere. Omnes ex potestate DEI, ex effectibus, *Data est mihi omnis potestas,* DEUM esse colligebant. Sed nemo docuit unum in essentia, trinum in Personis. Habebant aliquam hujus rei notitiam, sed obscuram Judæi. Isai. dixit, *Vidi Dominum,* Hebr. legit. Vidi Dominantes. David *Benedicat nos DEUS, DEUS noster, benedicat nos DEUS, & metuant eum omnes fines terræ.* Ter dixit. *DEUS* tamen *metuant eum.* Vidit Jacob scalam, & tres lapides erexit, quos dicunt Hebræi in unum coivisse Job 4. *Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtivè suscepit auris mea verba susurri ejus. Stetit quidam cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, vocem qua-*

cem qua-

cem quasi tenuis &c. Exprimit dicentem, Imaginem &c. Omnia hæc similia illi quod scribit Didac. Vega. In Concil. Nicæno dum Arrius negaret SS. Trinitatem, arripuit S. Nicolaus Episc. laterculum. Ecce res est una, & in ea sunt tria, aqua, ignis terra. Non cogita impossibilem Trinitatem in unitate. His dictis ignis sursum evolavit è latercula, aqua deorsum fluxit, terra mansit fœcunda. Nemo illorum Prophetarum dixit *Pater, Filius, & Spiritus S.*

Fides id nostra dicit. *Data omnis potestas Christo*, atque etiam hoc mysterium revelandi. Sed ita scimus quidem meliùs quàm Ethnici & Judæi, plus nobis & clariùs revelatum, Sed non videmus de facie in faciem. Audimus sed in ænigmate: verba quæ DEUM clarè describant *arcana sunt, non licet homini loqui.* Uvæ sunt à peritissimo Zeuxi depictæ, sed non satiant aviculam. Videmus currentem per herbas, ô si daretur ad fontem? Sed in præmium servatur, quando eum videbimus sicuti est. Nos ex his quæ de DEO novimus, merita faciamus ut eum tandem videamus. DEUS Creator totius mundi, itaque totus mundus illi servire debet. Unus homo quota pars totius mundi, minus quàm pulvisculus respectu montis: jam si montis pulvisculus se vellet opponere, Quid mundus respectu DEI! quid homo respectu mundi? decetnè ut ejus voluntati, ejus præceptis se opponat? DEUS regit mundum, flumina, pluvias, solem, & nisi ille regeret, si v. g. sol uno loco staret, mundus periret, & quàm stultus esset qui regimen DEI corrigeret? & tu homo corrigis, & vis ut non juxta suam sapientiam, sed juxta tuum caput de te disponat? DEUS fines mari ponit quos egredi non potest, posuit & rebus aliis: Homini posuit pulverem. *Memento homo quia pulvis es.* Cur non ut pulvis agit, cur se non humiliat sub potenti DEI manu? cur non considerat id quod est? DEUS nos portat in manu

 sua

ſua magis quàm aquam, ut ſi dimitteret, ſtatim in nihil difflueremus: cur talia in manu ejus audemus? cur non potiùs amamus? Hæc modò agamus, ad quæ nos moderna DEI cognitio ducit, plura & meliùs agere debemus quàm Ethnici & Judæi quia plura & clariùs de DEO ſcimus, tum videbimus Artificem, Conſervatorem, Gubernatorem mundi. Videbimus & *ſimiles ei erimus.* Immortales, impatibiles, omnia ferè ſcientes, ſecuri &c. Aug. ſerm. de beatitud. cœleſti. *Tanta eſſet, tam magna dulcedo futuræ gloriæ, quòd, ſi una tantùm ejus gutta in pœnas damnatorum deflueret, tantâ dulcedine repleret gehennam, ut nullum dolorem aut tormentum damnati paterentur.*

Eadem Dominicica CONCIO III.

In Nomine Patris & Filii &c.

QUI vellet DEUM clarè inſpicere, deberet vel ſcalas erigere quæ pertingerent ad cœlum, vel ad ſe in terras cœlum attrahere. Sed dum ſcalæ ad cœlum tentantur, idem accidere poſſet quod turrim Babel extruentibus, cœlum verò detrahi non poteſt niſi priùs quis ad illud arte quâpiam pertigerit. Tentârunt primùm homines, ſed quoad hodiernum myſterium fruſtra. In altera DEUS favit hominibus, de utroque iſtorum loqui propoſui, ut myſterium SS. Trinitatis inſpiciamus.

Scalas ad cœlum erectas ab aliquibus conſtitit & Davidi. *Aſcenſiones diſpoſuit in corde ſuo.* Et Paulo, *Inviſibilia DEI per viſibiles creaturas cognoſcuntur.* Scalæ ſunt diſcurſus noſtri in quibus ex una cognitione ad aliam veluti per gradus progredimur. Sic v. g. volentes cognoſcere Angelum, aſſumimus inter animalia perfectiſſimum hominem, & dicimus, Angelus eſt quid homine perfectius, itaque movetur ut homo, intelli-

git, sed quia perfectior sine defatigatione, defatigatio provenit à corpore, itaque caret corpore, si est sine corpore & agit, cùm actiones sint suppositorum, itaque est persona completa absque corpore ut ejus non egeat unione. Et si hoc est, caret corporeis proprietatibus, quæ sunt esse extensum, loco circumscribi, suscipere accidentia materialia. Et sic de cæteris. Per has scalas etiam Ethnici Philosophi conscendere conati sunt usque ad DEUM, sed nemo pervenit ad Trinitatem. Nulla est ratio naturalis quæ hoc mysterium proponat demonstrativè. Quæ enim hoc demonstrabit? Fulgent. de fide ad Petrum. *Totus Pater in Filio & Spiritu S. totus Filius in Patre & Spiritu S. est, totus quoq; Spiritus Sanctus in Patre & Filio. Nullus horum extra quemlibet horum est.* Quæ ratio ostendet hoc quod Aug lib. 6. de Trinit. *In summa Trinitate tantum est una quantum tres simul sunt, nec plus aliquid sunt duæ quàm una sit. Ita & singula sunt in singulis, & omnia in omnibus, & unum omnia.* Et Tamen ut idem ibid. lib. 1. *Ubi quæritur unitas Trinitatis, nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Ubi in natura simile aliquid illi quod idem tract. 49. in Joan. *In Trinitate numerus est, & numerus non apparet numerus.* Et quod Hildebert Episc. Cœnomanensis etsi jam non de Trinitate SS. Sed de uno DEO loquatur. *Subter cuncta, nec substratus: super cuncta, nec elatus: intra cuncta, nec inclusus: extra cuncta, nec exclusus; mundum movens non moveris: locum tenens non teneris: tempus mutans nō mutaris; vaga firmans non vagaris.* Unde Philosophi ne quidem DEI ut unius cognitionem perfectā habere potuerunt.

Appetitus tamen humanus semper ferebatur ad DEUM cognoscendum, & ad hoc scalas discursus erigebat. Videbant tam pulchrum mundum & pulchriorem omni palatio & poëmate. Si ergo palatium aut poëma casu aliquo constitui non

 poterant,

Poterant, sed à perito artifice, quantò magis mundus? inde inferebant omninò esse DEUM qui condidit mundum, sed qualis ille DEUS? Job 3. *Quod est nomen ejus, & quod nomen Filii ejus, si nôsti?* Hic deficiebant. *Defecerunt scrutantes scrutinio* Epicurus apud Cicer. lib. 1. de natura Deorum. *In mundo DEUS est aliquis, qui regit, qui gubernat, qui cursum astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesq; conservat, terra mariaq; contemplans.* Sed quis ille? *Est DEUS aliquis.* Mercurius Trismegistus. *Natura hæc liber est divinitate plenus.* Quæ est ista divinitas? Plato respondet. *Esse unitatem, Ens, & habitum amborum.* Quæ explicat Proclus de Theologia Platonis, & ait Platonem intelligere, per unitatem Patrem, per Ens Filium, per habitum amborum scilicet ad se, Spiritum S. Sed ista ab Hebræis hausta, sed quàm imperfecta. Unitas est passio Entis & ab Ente profluit, Pater non procedit à Filio. Aristoteles cùm demonstrâsset non dari processus in causis in infinitum, asseruit dari unam ultimam causam omnium, & hanc esse DEUM, sed nihil ampliùs dixit, etsi alio modo, quàm ante illum, alii. Psalm. *Cœli enarrant gloriam DEI* ex omnibus deprehenditur esse DEUS; & hoc exprobrat Ethnicis Tertull. Apologetici 17. *Hæc est summa delicti nolentium recognoscere, ignorare non posse.* Nulla tamen creatura DEUM perfectè exprimit. DEO perfectio debet attribui omnis. Homo est fœcundus sed corruptibilis, Angelus incorruptibilis, sed non fæcundus. Homo producit verbum mentis sed est transitorium, lapis permanet sed non intelligit. Aristot. de generat. Quo aliquid est perfectius magis simile sibi generat. Arbor quia imperfecta parùm simile sibi generat, semen. Perfectius est si unus gubernet qui errare non possit, quàm plures. Si enim essent plures posset voluntatum dissensio sequi ac discordia si essent liberi: si ad idem volendum necessitati, nullus esset liber. Bona est amicitia, sed hæc esse in una persona

non

non potest. Ex his poterat colligere quispiam Philosophus, DEUM esse fœcundum, incorruptibilem, generare sibi simillimum, esse liberum & unum sed quàm hæc mutila. Ubi Spiritus S.? Poterat inferre quod S. Aug. lib. de speculo cap. 7. *DEUS est magnus sine quantitate, bonus sine qualitate, omnia continens sine habitu, ubiq; præsens sine situ.* Sed ut Dionys. de Divin. nominib. *Trinam unitatem quæ simul est DEUS neq; dicere, neq; cogitare est possibile.*

Ad Judæos misit DEUS quosdam & per hoc utcunque illis cœlos inclinavit, ut illis hoc mysterium indicarent, fecerunt, sed perobscurè. S. Basil. Salev. homil. de Jona. *Solitus est à principio DEUS adumbrare tanquam in vetere imagine nova gratiæ opera.* Sed quotus ista intelligebat? Ps. *Non novi literaturam, introibo in potentias Domini.* Non intelligo Scripturæ arcana. Et tamen ut Chrysost. in Psal. 110. *Principalis voluntas DEI propter quam omnia facit ut ipse cognoscatur ab hominibus.* Greg. Nyssen. *Quidquid sapientia fecit, Dei oratio est, seu doctrina.* Aug. lib. 2. de doctr. Crist. *Sunt hæc omnia quasi verba quædam visibilia.* Et hæc quidem data Judæis imò & Gentibus, sed Scriptura quæ plurimis locis docet mysterium SS. Trinitatis, propria erat Judeis. S. August. in Ps. 47. *Non frustra ait Dominus do Moyse, de me ille scripsit. Nisi omnia quæ scriptura sunt, etiam cùm conderet DEUS creaturam, possunt interpretari ad significationem futurorum.* Id est mysteriorum quæ nobis clariùs revelanda erant. Adam fuit sine Patre, Eva ex solo Adam, Abel ab utroque. Ecce quædam SS. Trinitatis indicatio. Creavit solem, à sole procedit radius, à sole & radio illuminatio. Juxta Ps. *In sole posuit tabernaculum suum.* Sed ulteriùs prospicere non poterant. Tertul. l. 1. de Trinit. *Sicut dulce lumen solis & proficuum oculis est, sed si illum aspicere velis fixis immotisq; oculis in discrimen maximum venient.* Si clariùs Judæis fuisset revelata SS. Trinitas, lapsi fuissent in ido-

lolatriam. CreavitDEus fontē. Ecce imago SS.Trinitatis,Fons fluvius ab utroq; irrigu⁹,sed hunc fontem si profundiùs fuissent ingressi periissent. Est enim talis qualem Ezech. 47. describit. Gen.28. Jacob tres supposuit capiti lapides, manè evigilans tantùm unum invenit. Ostensi tres digiti scribentes in pariete in convivio Balthasaris &c.

Tandem DEUS despiciens tempore hujus ignorantiæ ad nos cœlum pleniùs inclinavit, ut ipsi clariùs videamus ipsum. Psal. 17. *Inclinavit cœlos & descendit, & caligo* Judaica *sub pedibus ejus.* Modum docendi facillimum proposuit per signa. Oporteret multis docere hìc talis & talis res venditur. Signum proponitur v.g. vini venalis, omnes docti & rudes capiunt. Is. 49. *Ecce levabo ad Gentes manum meam, & exaltabo ad populos signum meum.* Quam manum levabit, quod signum? manum exprimētem signūCrucis. Signum HebraicèTau, quod est juxta antiquos characteres forma Crucis. Unde & Hebr. legit *erigam crucem meam.* Cùm dicimus, *In nomine Patris.&c.* In nomine, non nominibus, & jam indicatur unitas essentiæ. Manus elevatur cùm dicimus, *In nomine Patris,* quia Pater à nullo procedit, demittitur ad ventrem cùm dicimus, *& Filii,* quia Filius in utero incarnatus. Cùm dicitur, *& Spiritus S.* manus per transversum ducitur, quia Spiritus S. ab utroq; procedit, & in Apostolos & discipulos quasi duo brachia Ecclesiæ missus. Hoc signum sistit iram DEI. Ps. *Utquid DEUS repulisti in finem , iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?* Respondetur. *Signa nostra non vidimus.* Cant. 2. *Ego flos campi & lilium convallium.* Jam istud mysterium non est in horto clauso, sed in campo ut pateat omnibus. Jam sunt *omnes docibiles DEI.* Olim erat simile thesauro abscondito in agro. Isa. 6. *DEUS habitat lucem inaccessibilem.* Olim Job 37. *Magnus & fortitudine & justitiâ, & enarrari non potest.* Aspiciebant solem sed non advertebant.

hoc

hoc in illo mysterium exprimi. Et tamen Dyonis. lib. de Divin. nominib. *Laudatur DEUS in sole tanquam in expressa imagine & primitiva forma totius Divinitatis.* Sed fugiebant quodammodo tria cogitare in DEO. Gen. 32. *Dimitte me, jam enim aurora est.* Nos gratias agamus pro illustratione & cum Dyonis. lib. 2. mysticæ Theolog. *Oremus DEUM nostrum ut nos recipiat in lucidissimam tenebram.*

Eadem Dominica CONCIO IV.

Euntes docete omnes gentes. &c.

DUO leguntur hodie Evangelia, unum de mysterio SS. Trinitatis, alterum de misericordia, ex utroque spiritualem fructum conabor proponere.

Dan. 5. Cùm Rex Balthasar convivium exhiberet, apparuerunt tres digiti scribentes in pariete. *Mane Tecel Phares.* Hoc est, sicut interpretatus Daniel. *Appendit, numeravit, divisit.* Sed hoc ipsum de SS. Trinitate ipse Christus explicuit ut scripsit Sigebert. in vita S. Annonis Archiep. Colonien. cap. 18. Comparens enim, extentis tribus digitis, primum eorum alterius manûs digito indice tangens dixit, *Ecce Pater*, moxque secundum, *Ecce Filius.* Et post hæc tertium. *Ecce Spiritus S.* Tres digiti notârunt SS. Trinitatem. Hoc significatur cum tribus digitis extensis benedicunt cœteros contrahendo Episcopi. Patri competit appendere, qui omnia in numero, pondere, & mensura creavit. Filio ut sapientiæ numerare. Spiritui S. dona cœlestia dividere, jam in tribus digitis mysterium SS. Trinitatis habemus. Ad hanc manus nostras extendamus ut cum illa simus felices. S. Edmundus postea Archiep. Cantuarien. cùm junior studeret Parisiis atq; Geometriæ multùm daret, mater ejus mulier sancta jam mortua venit ad illum dicta Mobilia, interrogavit cui rei studeret, dixit Geo-

Geometriæ, tum acceptâ manu illius pinxit in ea tres circulos. Primum vocavit Patrem, alterum Filium, tertium Spiritum S. addendo. *Hisce deinceps Filimi intentus esto figuris omissis istis quibus te occupas,* Si cum DEO tenemus, ubicunque sumus in centro sumus. *DEUS est circulus cujus centrum ubiq; circumferentia nusquam.* Memores simus Patris qui nos veluti in statera appendit. Memores Filii qui numerat merita ut judicet. Vivamus Spiritu S. Aug. serm. 188. *Quod anima corpori hominis, hoc Spiritus S. corpori Christi, quod est Ecclesia.* Una est in corpore anima, unum cor erat credentium. Inde charitas. Contigit in curru Ezech. cap. 1. Diversa esse animalia, leonem, bovem, aquilam, hominem, erat summa concordia, *Non revertebantur cùm incederent.* Quæ causa poterat esse? *Ubi erat impetus Spiritûs illuc gradiebanrur,* Uno spiritu impellebantur.

Imaginem SS. Trinitatis in nobis habemus, hanc imaginem homicida in altero lacerat. Sed DEUS vindicabit. Gen. 9. *Quicunq; effuderit humanum sangvinem, effundetur sangvis illius, ad imaginem quippe DEI factus est homo.* Projicit alter imaginem hanc in lutum luxuriæ, sed audiat Eccli. 10. *Fili in mansvetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum, quia enim imago DEI digna est honore.* Si æstimantur literæ sigillo Regis obsignatæ, anima nostra obsignata est sigillo SS. Trinitatis. Hoc sigillum sive sit in in nostro amico sive in inimico, honoremus, si DEum colimus. Nam si non propter hoc sigillum benefacimus proximo, non recipiemus mercedem. Amamus imagines Christi sive sint in auro sive in ligno, etiam in bono & malo est imago SS. Trinitatis, est in ferro si est homo durus &c. Si amamus solùm eos qui nobis benefaciunt, & jumenta amant. Si colimus solos Magnates, faciunt hoc ipsum Ethnici Aug. in Joan. 7. *Pascit esurientes charitas, pascit & superbia: Charitas ut DEUS laudetur,*

tur, superbia ut ipsa laudetur. Ps. *Nolite fieri sicut mulus & equus quibus non est intellectus.* Quæ solo ducuntur sensu, neque hanc imaginem DEI in homine considerant. Homini henefaciendum propter DEUM, quia DEUM in illo videmus. Non quia affinis, sic enim propter sangvinem, non quia &c. In hoc proponit nobis in Exemplum hodie Patrem cœlestem Evangelium qui facit oriri solem suum, ad quem nemo alter jus habet, & sine quo malè de omnibus ageretur, solem super bonos & malos, amat pulchros & deformes, divites & pauperes &c. Aug. ad Martianum. *Dilige proximum sicut teipsum: proximus non sangvinis propinquitate, sed rationis societate pensandus.* Ut sit proximus satis est quòd sit homo.

Ex dilectione sequetur ut facilè offensas dimittamus. *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum.* Tegit, etsi multa contra te peccaverit proximus. Ad hoc faciendum nos duo impellunt. Primum. Si non dimiserimus, nec Pater cœlestis dimittet nobis, qui multò magis à nobis offensus. Aug. serm. 15. de verbis Domini. *Ignosci vobis vultis ignoscite; remittite & remittetur vobis: accipere vultis, date, & dabitur vobis.* Eodem modo nobiscum DEUS procedet atque nos cum proximo. *Non judicate, non judicabimini,* &c. Alterum est quod non solùm non dimittet DEUS peccata si non dimiserimus, sed etiam dimissa in memoriam reducit ad nos aggravandos, sicut nos commemoramus famulo, toties tibi peperci, &c. Ita loquentem inducit DEUM S. August. *Si non dimiseris, revocabo te, & quidquid tibi remisero, replicabo.* Et ad hoc ipsum lib. de Baptismo allegat servum in Evangelio. *Ubi charitas non est superna, Dominus docet in Evangelio apertissimè, redire peccata, dicens de servo, qui cùm deprecanti omnia dimisit, & ille conservo suo miserere noluit, jussit eum Dominus reddere omnia quæ dimiserat.* Nam licet *dona DEI sint sine pœnitentia,* hoc est non

pœnitet DEUM alicui benefecisse, tamen potest non aliter dimittere nobis, nisi nos etiam dimiserimus.

Dominica II. post Pentec. CONCIO I.

Homo quidam fecit cœnam magnam.&c. Luc. 14.

DUO nos ad convivium invitant, DEUS & Dæmon. DEUS in prandio dat quantum opus, sed in cœna ostendit magnificentiam. *Fecit cœnam magnam.* Isai. 65. *Gaudebitis & exultabitis usq; in sempiternum.* Dæmon prandium dat in speciem jucundum, sed cœnam pessimam, planè agit ut quondam Leonides cum militibus suis ad pugnam ituris. *Prandete comilitones apud inferos cœnaturi,* Chrysost. de reparat. lapsi. *Momentaneum & leve delectationis nostræ, æternum ignis ac tormentorum pondus operatur in nobis.* Uterque invitat. Omnes dicemus. Ad DEI mensam potiùs eundum. Videamus tamen ex Evang. ad quam plures eunt.

Constituit omninò DEUS nos habere convivas. August. serm. 33. de verb. Dom. in ejus persona. *Magnam cœnam, magnam demum paravi, non ibi patiar locum vacare.* Usus variis modis ad hanc cœnam vocandi. 1. Ad aliquos ut illos invitaret ipse venit ut sint parati pro hora quando illis significabitur admonens, Apoc. 3. 20. *Ecce sto ego ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo & ille mecum. Pulsat* Greg. jam *per inspirationes, ægritudinis molestias* &c. Convertere, & veni ad meam cœnam. Vitam muta, restitue &c. Isai. 22. *Vocavit D. Deus exercituum in die illa ad compunctionem, ad fletum, ad planctum.* 2. Ad alios mittit servos suos, Concionatores, &c. *Qui vos audit me audit,* Luc. 10. 16. Servis verò dicit Matth. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* 3. Ad alios mittit

servos duriores, hostes *calamitatem*, bella, pestem, famem, &c. Psal. 148. 8. Ignis & glacies spiritus procellarum quæ faciunt verbum ejus. Ezech. 29. Exercitus Nabuchodonosoris servivit ad Tyrum vocandam & simul castigandam. *Servitute magnâ servire fecit exercitum suum adversus Tyrum.* Servi sunt DEI etiam *calumniatores.* Contumeliâ afficiebat Davidem Semei 2. Reg. 16. *Maledicebat mittebatq; contra eum lapides.* Ad hoc David. *Dominus præcepit ei ut malediceret David.* Etiam *morbus* est DEI servus. Ut supra vidimus. In vitis PP. lib. 4. scribitur de quodam sene, hic quolibet anno infirmabatur, accidit ut uno non infirmaretur, tum ille, *plorabat dicens. Dereliquit me Dominus, & non visitat me.* Ratio est ex Greg. *Mala quæ nos premunt ad Deum ire compellunt.* 4. Vocat alios per literas, literæ ejus sunt S. Scriptura. Dicit per per Pauli epistolam. *Non in cubilibus &c.* Rom. 13. 13 Taliter traxit S. Augustinum. Dicit per Joann. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est nec habet vitam æternam in se manentem*, Sed ut S. Ephrem adv. eos qui negant resurrectionem. *Clamat Deus per Prophetas, per Apostolos, & per Evangelia: & ex multis pauci attendunt.*

Vocat diabolus per voluptates mundi, per cytharam, per tripudia, ac cantilenas dæmoniacas, & multitudinem congregat. Et quod est miserabilius, clamat DEUS, & ipsi ad alium currunt. Hoc nobis repræsentat Samuel. 1. Reg. 3. Vocat illum DEUS ad se, ille abit ad Heli, & hoc factum iteratò. Vocat juvenem. Heli significat *Fortis*, sis devotior, ille, quando ero senex. Non considerat quod Humbertus dixit. *Navis per se descendit secundo flumine, sed per se ascendere non potest. Sic homo per se descendit ad malum, sed non per se descendit ad bonum.* Vade navicula vade, quò magis descenderis, difficiliùs recedibis. Qui urnâ haurit aquam, non sentit pondus dum urna est intra aquam, sed sentiet quando urnam extrahere volet.

Deducit dæmon navim in fluminis inferiora, ut maximè sit procul à DEO, & facit ut latro: qui homines abduxit ab humano procul auxilio. Alios DEUS ad se vocat, & illi ad honores mundi, nam etiam Heli idem est quod *ascendens*. Postquam hoc & hoc obtinuero, tum convertar Sed Eccli. 5. *Ne dicas miseratio Dei magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira citò ab illo proximant.* Differas converti, jam de te quæritur apud Job. 19. 16. *Servum meum vocavi & non respondit mihi, ore proprio deprecabar illum.* Sed quid cum Samuele innocente moror cum propiora habeam exempla? &c.

Sed antequam hodiernos invitatos accedam. Sumite ad considerandum sententiam S. Maximi Monachi Constantinop. & M. *Si Rex aliquis volens dona regia elargiri, ipse mittat epistolas ad omnes, in hunc modum. Festinate ad me, idq; statim venite, ut regia à me munera reportetis, & qui non venerint, nihil illis proderit has epistolas legisse, quin potiùs ob negligentiam & contemptum, rei mortis erunt. Sic etiam DEUS divinas scripturas misit &c.* Audite jam *primum* ex hodiernis. *Emi villam.* August. serm. 33. de verb. Dom. *In villa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur.* Villam emit, itaque non cœlum, *cælestis urbs Jerusalem.* Ad infernum mavult ire per portam superbiæ. Origen. in 16. Matth. *Sicut civitatum portæ proprium quæq; nomen habent ita inferorum nominari possunt juxta speciem peccatorum, ut una quidem inferorum porta vocetur scortatio, per quam ambulant scortatores. Alia verò &c. Et procedunt juxta peccatotum choros profundiùs ac profundiùs, superbia verò profundissimè.* Ad portam superbiæ spretâ cœnâ, etsi non vocatus venit. Unde id cognoscemus quòd quis velit per aliquam ex his portam intrare? B. Jordanus hoc docebit. Si *quispiam cras & post cras, & pluribus diebus ad cœnobium veniens, præ foribus continuò aliquem*

quem adolescentem sedere animadverteret, nonne de facili, ipsum ordinem velle ingredi putaret? quomodo igitur non est credibile quod intrent infernum qui tamdiu sedent in ejus porta? Emit villam, itaque stabilem possessionem. De superbia scripsit S. Antioch. hom. 44. *Execrabilis hic dæmon, viros, ut mihi dictum est, jam in perfectionis culmine constitutos, ac maximè, qui sublimis theoriæ meritò ad cælorum fastigium conscendisse videbantur, modis omnibus admolitur ut subruat, ac præcipitet. Sed ne illos quidem post lapsum sinit ad pœnitentiæ portam reverti. Quo enim pacto isti ad pœnitudinis sinum se conferant, qui totum diabolum excipientes in se per superbiam, DEUM per hoc colluctatorem sibi constituêre? DEUS enim superbis resistit, & qui se exaltant eos humiliat.* Jacob 4. 6. Luc. 18. 13.

In *secundo* quis emit boves completum est illud. *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* Matth. 6. 24. Et illud. *Qui volunt divites fieri incidunt in laqueos diaboli.* 1. Tim. 6. 9. Aug. in Psal. 61. *Præda illa quam vis rapere in muscipula est, tenes & teneris.* Emit juga boum, & cœnam tantam perdidit. Hic est fructus avaritiæ. Quid diceretis de illo, qui assereret se velle intrare per angustias, interea sarcinas grandes super se cumularet? *Angusta est porta quæ ducit ad vitam.* Matth. 7. 13. Vadat si vult cum suis sarcinis transire, ad latiorem. Luc. 18. Quidam juvenis constituerat ire ad cœlum. *Magister bone quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit Christus. *Vende omnia quæ habes.* At ille contristatus abiit. Tum subjunxit Christus. *Faciliùs est camelum per foramen acûs transire.* &c. Quia ut Isid. Pelusiota de avaritia. lib. 3. epist. 412. *Inexplicabilis hic morbus est, atq; ænigmati similis, cùm curatur aggravatur, per excogitatum remedium atrocior efficitur.* Præscribitur eleemosyna, magis indurescunt. Necessaria est restitutio, quis illam facit? Scribit Antonin. 2. parte summæ cap. 7. § 3. Cuidam facto

facto diviti cum sacerdos suaderet restitutionem,& hoc ipsum majorè filiis consuleret. Ille reposuit *Ego ostiatim mendicabo? Filii mei in nosocomio erunt?* Sic mortuus. Minor filius totam hæreditatem accepit, illa verba sibi pravè approprians. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Ezech. 18. 20. Et paulò post mortuus. Major factus Monachus dum pro illis orat. Videt in inferno Patrem cum Filio juniore inter blasphemias se conviciis lacerantes, Verè dixit de talibus S. Hieron. dum jam agonisans exhortaretur. Ut retulit Euseb. epist. ad Damasum. *Si Christus verax est, hujusmodi hominum vix unus de mille aptus regno Dei invenitur.* Hoc ipsum illustrat exemplum Tondali Equitis aurati, quod refert Dyonis. de 4. novissimis. Hic spreto sæculo factus Carthusianus, nihilominùs dum moreretur, ostensus illi fuit pons ad cœlum ducens, palmum latus, tres leucas longus, elevatus supra stagnum sulfureum pedes 260. per hunc jussus ire ad cœlum & quidem in jumento efferato calcitrante, quod aliquando sæcularis rapuerat. Nolim tamen desperare avaros, & remedium illis præscribo quod tali homini ex instructione boni sacerdotis medicus præscripserat apud Petr. de Palude enarrat. 2. in Domin. infra Oct. Epiph. Inciderat avarus in morbum, opus erat restituere, timendo filios relinquere egenos, nolebat. Laborabat sacerdos. Sed frustra, cùm ille filios obtenderet. Tum medicus sacerdotis instinctu cœpit promittere ægro sanitatem, dummodo possit haberi adeps è vivo homine per ignem extractus, debere verò illum extrahi ex aliquo filiorum. Admovetur uni filio candela ut stillet adeps. Non sustinet, idem de aliis. Tum sacerdos. Volentne isti pro te ardere in inferno qui guttam adipis negant? & tu vis pro illis? &c. Talia benè meditentur. S. Aug. serm. 102. de tempore. *Hæc si humili & contrito corde assiduè cogitare volumus, medicamenta nobis de alienis vulneribus facimus, & aliorum mores prosunt ad nostram salutem.*

Tertius

Tertius ait *Uxorem duxi*, Greg. homil. 36. *Quid per uxorem nisi voluptas carnis accipitur?* Non possum venire. Ex parte verum dixit, quia ex tali peccato difficillimè exitur. Ps. 118. *Viam iniquitatis amove à me*, Cur non pedes à via? passim conjiciunt Davidem hoc loco de Bethsabea loqui, tam difficile est ex hac via recedere, ut potiùs viam sit amoveri necesse. Salvian. lib. 7. de gubernat. *Usq; adeò exclusâ naturæ originalis sinceritate aliam quodammodo naturam vitia fecerunt.* Ut naturam oportet mutare qui vult ex hoc peccato surgere. *Non possum venire.* Jam putat se è libero factum servum & non liberum. Aug. lib. de perfect. Justorum. *Pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem* scilicet moralem. Hoc ipsum attestatur Hildebert. epist. 42. *Vix de cupiditate triumphat, de quo semel cupiditas triumphavit.* Sed utroque fortiùs Oseas 5. *Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad D. DEum suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* Imò si tantùm se jungat hoc scelere infectis Eccli. 18. *Qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.* Addidit aliquid speciale B. Ægydius S. Francisci socius, qui cuidam dicenti: Equidem à fœminis abstineo contentus uxore meâ. Respondit. *Putasne hominem è suo vino non posse fieri ebrium?* S. Franc. Sales praxis spirit. parte 3. c. 10. ait quòd S. Catharina Senen. Multos conjugatos viderit in inferno ob violatum matrimonium. Quod remedium huic malo? Quidam ex ordine S. Francisci tentatus carnis stimulis, desiderabat videre B. Ægydium, ut ab illo acciperet medicinam, sed hic aberat, comparuit tamen illi dormienti, & quæsivit ab eo, quid faceret si eum canis invaderet? respondit ille. Ego illum verberibus à me agerem. Tum Ægydius. Hoc ipsum facias in hac tentatione. Oportet asinum fame affligere, ut de pabulo potiùs co-

tiùs co-

tiùs cogitet quàm de lascivia. Oportet &c. Quodsi hoc remedium fuerit debile. Agendum sicut quidam egit in vitis PP. lib. 4. Hic se urebat lampade, dicens. Proba teipsum ex hoc si potes sustinere ignem æternum. Hoc remedio salvatus. S. Josaphat filius Abenner Regis Indorum, ad quem cùm fuisset immissa mulier ut ejus invaderet pudicitiam, raptus in extasim vidit pœnas inferni, & integer permansit, ut scribit Damasc. in vita Barlaam cap. 20.

Vidimus, qui se excusârunt à cœna magna, quale habuerint prandium, videamus cœnam eorundem. Ecce audio superbos Sap: 5. *Quid nobis profuit superbia?* Avaros, *aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt hæc omnia*. Ubi honores, ubi voluptas? Chrysost. serm. de Eutropio. *Ubi nunc inclytus consulatûs ille splendor? ubi applausus illi? ubi parasitorum examen? ubi potentatûs cultores? Omnia nihil.* 2. Paralip 9. *Divitias nihil duxi.* Amos. 6. *Væ illis qui lætantur in nihilo.* Omnibus qui vocati venire recusârunt accidit illud, de quo in Promontorio malæ spei. Toleti quidam vocabatur ad meliorem vitam, incidit in morbum, confiteri noluit, dum sacerdotes genuflectunt coram Crucifixo ut impetrent hominis conversionem, ac in Ps. *De profundis* &c. ad illa verba perveniunt. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Avulsis à Cruce manibus Christus clausit utramque aurem. *Quia vocavi te, renuisti, ego quoq; in interitu tuo ridebo.*

Eadem Dominica CONCIO II.

Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam,
Lucæ 14.

CUr iste Paterfamilias ita exarsit contra eos qui non venerant invitati, licet se excusare conati? aliud si præce-

præcepisset. Certè, hic homo significat DEUM, DEUS unam cœnam habet, unum cœlum. Non gustabunt cœnam meam, non erunt in cœlo. Et tamen justè facit, spectemus in hoc facto justitiam.

Dixit Spiritus S. per Ecclef. *Omnia Deus fecit in pondere, numero, & mensura.* Itaque justè fit cùm datur ad pondus &c. Sic mercatores justi. Sic judex si non imponat majus pœnæ pondus quàm fuit delicti. &c. Observat DEUS mensuram, pondus, numerum, tam in meritis nostris ut præmietur, quàm in peccatis ut puniat. Dicamus primò de peccatis. Est certus DEO notus peccatorum numerus & mensura, quàm nisi regnum, aut homo compleverit, in hac vita non punit: sed eo completo sine mora infligit pœnam. Num. 14. Judæa toties peccabat, admittebatur nihilominus pro illa deprecatio Moysis aut Aaronis, & DEUS parcebat, Sed ubi tandem murmuratione peccârunt jam proximi terræ promissæ, rejecit illos rursum in defectum, neque tum oratio Moysis vel Aaronis admissa. Rursus Gen. 12. Promittit DEUS Abrahæ terram promissionis, sed addit, *Non tu illam ingredieris, verùm nepotes tui* Idque post quartam generationem. Cur non dat statim? Nondum impleverunt Amorrhæi mensuram peccatorum. Illam expecto, tum in pœnam illis eripiam terras & vobis dabo. Ubi hæc impleta est mensura, mittit DEUS Josve, jubendo, ne parcat Amorrhæis, Reges eorum suspendat, civitates evertat sine misericordia. Iterum 1. Reg. cùm Amalecitæ mensuram compleverunt, misit DEUS Saulem, ut neq; gregibus parcat, & cùm Saul pepercisset Regi Agag, jussit Regem trucidari à Samuele. Cùm verò Samuel totâ nocte oraret pro hac inobedientia Saul, noluit DEUS audire, quia hoc suo peccato Saul mensuram compleverat. Hinc intelligitur: cur aliquando DEUS sanctis viris dixerit, *Tu noli orare pro po-*

pulo isto. Si David, Noë, *Daniel oraverint pro populo isto non exaudiam.*&c. Quia mensuram compleverunt. 4. Esdræ 4. Priusquam DEUS puniat. *In statera ponderavit sæculum, & mensurâ mensuravit tempora.* Apoc. 9. *Metire templum & altare.* Sed & ipse diabolus attendit ad hanc mensuram, illam conjiciendo, & DEUM sollicitat ut puniat. Abacuc 3. *Egredietur diabolus ante pedes ejus, stetit & mensus est terram.* Salvian. lib. 4. de gubernatione dum illud expendit Isai. 50. *Ecce omnes ignem accenditis, & vires præbetis flammæ, ingredimini in lucem ignis vestri, & flammæ quam accendistis.* Sic ait. *Quando igitur primùm homo sibi æternum accendit ignem? scilicet, cùm primùm peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cùm utiq; peccatis peccata cumulârit. Quando verò ignem æternum introibit? quando irremediabilem jam malorum omnium summam crescentium delictorum iniquitate compleverit, sicut Salvator ad Judæos Principes ait; Matth. 23. Implete mensuram Patrum vestrorum.* Et adducit Salvian. exemplum de Amorrhæis suprà positum. Tum de Loth Gen. 19. cui dictum. *Omnes qui tui sunt educ. &c. tum subjungit. Diu profectò flagitiosissimus ille populus ignem succendebat quo peribat, & ideò completis iniquitatibus suis arsit flammis criminum suorum.*

Jam de pondere & numero meritorum. DEUS solos prædestinatos in cœlis collocabit Quos verò prædestinavit, eos constituit in cœlum recipere, non solùm per certa merita, sed etiam, quod inde sequitur in certo gloriæ gradu collocare. Ps. 46. *Elegit nos hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit* Romana editio legit. *Elegit nos in hæreditatem sibi ut essemus species Jacob.* Ut imitemur Jacob in meritis Greg. 1. Dialog. 8. *Perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc Electi ex labore perveniant, quatenùs postulando mereantur accipere, Quod eis omnipotens DEUS ante sæcula disposuit donare.* Hoc ita constituto afferat quis pauciora merita

rita quàm illa per quæ erat gloriam cœli obtenturus, an obtinebit? demus sanè hunc casum evenire potuisse, qui est impossibilis, talem fortè DEUS permisisset in mortale labi ac damnavisset. Nemo ergo dicit, suffecit latroni in ultima hora confiteri Christum, suffecit alteri tunc pœnitere, itaque & mihi. Ille cum paucioribus meritis fuit prædestinatus, tu cum pluribus & majoribus, ac proinde si absit DEI misericordia quam non mereris, damnaberis. Misericordia enim erit si te ad tot merita direxerit, malitia tua si illum ducentem secutus non fueris. Sed omissis DEJ consiliorum profundis. Virgines fatuæ habuerunt merita, quia habuerunt lampades cum quibus usque ad sponsi januam pervenerunt, unus defectus fuit, quia defecit oleum, non sunt admissæ, *clausa est janua.* Intravit alter usque ad locum cœnæ, multi ibi erant æquè laceri, quia ex vicis & plateis æquè collecti, tamen ab uno solùm requisitum. *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et est expulsus ad tenebras exteriores. Ita de quadam Sancta legitur, quæ plena erat magnis meritis, ostensus tamen illi fuit infernus, in quem projecta fuisset, si majora non curavisset merita. Quia ad gradum gloriæ fuit electa altiorem. Plus debet unus quàm alter pro gloriæ gradu altero laborare. Et *cui plùs datum est plùs requiritur ab eo.* Inde est ut S. Bernardus docet. *Nugæ in ore sæcularis nugæ, in ore sacerdotis blasphemiæ, consecrâsti os tuum Evangelio, talibus aperire illicitum, assvescere sacrilegum.* Quid de Religiosis? S. Paula, ut scribit Hieron. in ejus vita. *Quod inter sæculi homines vel leve putatur, vel nihil, hoc in monasteriis gravissimum dicebat esse delictum.* Audi. *Erunt primi novissimi.* Peccator est novissimus, & fit primus in regno cœlorum. Dum iste agit in pœnitentia & humilitate, primi verò non curant esse meliores. Sed sufficit ad hoc. *Non omnis qui dicit Domine Domine introibit in regnum cœlorum.* Ex quo

patet. Si non omnis qui dicit hoc, quòd aliquis qui hoc dicit, intrabit, & quòd satis sit aliquibus hoc dicere. Nos illam orationem S. Joseph repetamus, de qua in Revel. S. Birgittæ. *Voluntatem tuam fac in me Domine.* Et quæ est voluntas tua, nisi nos salvare? Et quodcunque manus nostra operari potest, instanter operemur. Apoc. 1. *Qui sanctus est sanctificetur adhuc.* Si non proficimus, deficimus, ut in torrente qui navi non progreditur regreditur. Qui in negotiatione piger est, patitur dispendium. Sumus mercatores, nobis dicitur. *Negotiamini dum venio.* Sed verè S. Syncletica dixit lib. 5. in Vitis PP. *Divites quando multa lucrantur tunc plura desiderant, & quæ habent velut nihilum reputant: ad ea verò quæ nondum habent, omnem inentionem animi extendunt. Nos autem & eorum quæ quærenda sunt, nihil habemus, & nolumus possidere quæ necessaria sunt propter timorem DEI.*

Dominica III. post Pentec. CONCIO

Ecce hic recipit peccatores. Luc. 15.

DOminicâ præteritâ invitaverat ad cœnam, nemo venit: jam ipse vadit ad peccatores & cum illis manducat. Sed dum venit, abscondunt se, alii sicut ovis qui periit, alii sicut drachma, neque sic desistit illos quærere ut cum illis manducet. *O Domine quid est homo quòd memor es ejus, aut filius hominis quia reputas eum?* verè hîc *Apparuit humanitas & gratia Salvatoris.* Quid ille ad hoc? *Ego sum vitis vos palmites.* Natura est vitis producere palmites, natura mea ovem reducere, drachmam quærere. Sed cur alios quærit ut drachmam, alios ut ovem? respondebo.

Scandalisantur Pharisæi quòd quærat peccatores, & poterant adducere illud Levit. 11. *Qui tetigerit mortuum, & si*

ceciderit

ceciderit super eum mortuus, immundus erit. Imò res quamcunque cadaver attigerat, immunda fuit, præter aquam. Salvator est aqua nostra quæ nos abluit, & peccatores reputat aquam. *Effusus sum sicut aqua.* Et alteri dictum, *Effusus es sicut aqua.* Apoc. describitur Christus. *Iris in capite ejus.* Iris constat guttulis aquæ, hæc corona Domini nostri peccatoribus coronatur. Et ideò si currat ad illum Petrus peccator, indurat mare ut veluti per marmor procedat. Si Paulus promptè respondeat, *Quid me vis facere?* Doctorem illum facit Gentium. Si alius aliquis redeat, *Gaudium est in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente.* Defendit in adulterio deprehensam. Servum procidentem decem millium talentorum statîm absolvit. Ita amat peccatores: jam se gerit Pastorem, jam se gerit ut mulier Greg. homil. 34. *Qui significatur per Pastorem, ipse & per mulierem. Lucerna lumen in testa, lumen verò in testa, est Divinitas in carne.* Hinc & Pastores in Ecclesia habitum talem deferunt ut exprimant ovem in humeris. Isid. epist. 136. ad Herminum Comitem. *Amiculum quod Sacerdos* Archiepiscopus *humeris gestat, atq; ex lana non ex lino contextum est, ovis illa quam Dominus aberrantem quæsivit, inventam suis humeris sustulit, pellem designat.* Greg. Nyssen. *In mundo supermundiali relicto grege erroris experte,* Angelis, *ad ovem nostram, id est, humanam naturam descendit.* Chrysost. tom. 7. fol. 418. *Hæc mulier est Dei sapientia habens decem drachmas, Angelos, Archangelos, &c.* Et Adamum protoplastem, hunc ut quæreret, venit de cœlo, & assumpsit testaceam corporis lucernam.* (De testa olim fiebant lucernæ) *imponit eam crucis candelabro quærit drachmam.* Sed cur alios quærit ut ovem, alios ut drachmam, ex duobus id in Scriptura famosis peccatoribus pateat.

David erat peccator, quærebatur ut ovis. *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

oblitus. Ovis etsi periit, non obliviscitur Pastoris, balatu illum requirit, displicet illi error. Peccavit David ut notum est. Miserat enim ad bellum Ducem Joab. 2. Reg. 11. successit. *Vastaverũt filios Ammon*, & metropolim illorum obsederunt Rabbath. Aspicit David è fenestra mulierem lavantem. Aug. in Ps. 50. *Dicam non quod volo, sed quod cogor. Captus Rex, mulier longè, libido propè.* Galen. in prognosticis, amorem improbum dicit esse, *dæmonem quendam pusillum, recens natum, gerentem faces.* Et Antonio magno ut Athanas. in ejus vita. *Ostensus dæmon pusillus libidinum arbiter.* Intravit per oculos in Davidem, dementavit illum ut ebrium. Ideò Apoc. 17. Meretrix tenet poculum. Peccavit David, attamen DEI non est obitus. *Statimq́; Betsabee sanctificata est ab immunditia sua.* Remittit illam ut legi Divinæ satisfaciat. Progreditur David in peccatis, nam mulier *mittens nunciavit David, & ait concepi.* Quid hîc? ut adultera lapidabor, maritus abest, ego concepi. Chrysost. hom. 1. in Ps. 50. *Prægnans facta vadit ad Regem, & dicit ei, perii, perii, accusatorem intrinsecùs habeo, & in ventre profero proditorem.* David ut peccatum tegat, advocat maritum Uriam, & jubet ut suæ domi quiescat. Sed, *Dormivit Urias ante portam domûs regiæ.* Allegans, *Arca DEI habitat sub papilionibus.* Quia in castris fuit. Urget David ut eat domum. At Urias jurat. *Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ non faciam rem hanc.* Inebriavit illum David, neque id successit. Denique scribit ad Joab ut illum periculo exponat, & sic Uriam occidit ut tegeret peccatum, & Bethsabeam in uxorem acciperet. Et hic probabile quòd rursùs David ad DEUM clamavit, nam & Bethsabea planxit mortem Uriæ. Errabat David ut ovis, quæritur per Nathan ut ovis sub parabola de ove. Et statim ut ovis redit ad Pastorem, *peccavi Domino.* Vera contritio. Non ideò dolet quia sibi peccavit, in suũ malum, infernum promeruit, sed quia Domino. *Tibi soli peccavi.*

Alter

Alter peccator Nabuchodonosor, hic velut drachma muta jacuit in peccatis, & velut drachma quæsitus est. Illum ita describit Cyril. Jerosol. *Erat homo sanguinarius, ossa ex sepulchris Regũ ejecit, Populum captivum abduxit. Regis oculos excæcavit, cùm priùs illi ostendisset filios jugulatos. Cherubim ex templo contrivit. Propitiatorium & velum templi conculcavit. Thuribulum ad idolorum delubrum transtulit, sustulit omnes oblationes, templum funditùs exussit.* Regi Joakim promisit quòd pacificè esset Jerosolymam ingressurus, interea & Regem occidit, & volucribus cadaver ejus exposuit. Divinatione usus sagittas jactando. Hæc fuit illius gratitudo pro eo quòd DEUS illi subjecisset Hebræos, Ægyptum, & Orientem, ita ut magnus appellaretur. Vicit Moabitas, Amonitas, Arabes, Sydonios, Medas, Persas, de illo Abacuc 1. *Tyranni ridiculi ejus erunt, & super omnem munitionem ridebit*, Et tamen salvatus est, ut sentit Aug. Ambr. Tertull. Cyril. Jerosl. Paulus Diac. Paulinus, Pacianus, Hippolit. Epiph. Videte quomodo hæc drachma muta jacuit. Accendit lucernam DEUS ut eum quærat, ostendit illi terribilem statuam, *& somnus fugit abeo.* Clamatné ad DEUM? Poterat ex illa statua variorum metallorum conjicere fortunæ instabilitatem. Metalla non stellis fixis sed vagis ac errantibus subjiciuntur. Cæsius de metallis l. 5. c. 1. Cordi respondet aurum, hoc est in capite statuæ. Argentum capiti hoc in pectore &c. Omnia perturbata, & hæc statua pedibus fictilibus insistebat. Et lapillus non projectus sed cadens de monte illam contrivit, quid ad hoc ille? statuam purè auream sibi erigit, idque ex auro quod tulerat ex templo Salomonis, & cùm eam noluisset adorare Daniel, projicit illum in fornacem. Jam DEUS scopas assumit, & everrit illius famulos Chaldæos quos ignis combussit, sed drachma adhuc in sterquilinio. Tum magis everrendæ domui se accingit DEUS, ostendit per somnium

arborem

rborem amplam, quæ illum ipsum Regem significabat, & jubet succindi. Explicuit illi Daniel quòd de illo ipso esset sermo. Quid ille? deambulans in aula Babylonis superbit. *Nonne hæc est Babylon magna &c.* Tandem jam ultimò DEUS adhibet scopas. Mutatus ut scribit S. Tho. lib. 2. de Regimine Princip. cap. ult. in Ursum. ut Epiphan. in vita Dan. in monstrum capite bubulo, corpore leonino. ut S. Paulin, in monstrum bove, leone, vulture mixtum, ejectus ab hominibus. Tum denique ut S. Pacianus parænesi de pœnitentia. *Rex ille Babylonius exomologesim deserti operatur, & septenni squallore decoquitur.* Tum laudat DEUM, Danielem quem læserat vocat Balthasarem, & Filium.

Si leni modo ut ovis à DEO volumus reperiri; cùm in peccata lapsi sumus, ex nostra parte agamus quod possumus ut surgamus, clamemus. *Quære servum tuum.* Ita fecit Victorinus lapsus in carnale. de quo Gregor. homil. 34. *Studuit toto mentis adnisu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, furtivas orationes quærere, quotidianis se lachrymis lavare, despectum sui appetere, oblatam à fratribus venerationem timere, vigilias prævenire ut se in fletu liberiùs mactaret, contemplabatur districtionem venturi Judicis.* Demum audivit. *Dimissum est peccatum tuum.* Ita alter etiam lapsus, de quo Palladius in Lausiaca cap. 46. *Pœnituit in sacco & cinere donec audiret. Accepit DEUS tuam pœnitentiam & tui est misertus, deinceps autem vide ne decipiaris.* Tales Christus ut oviculas colligit. Sed in peccatis dormientes, ut drachmam. *Domum everrit*, vel ut legit Greg. *evertit*, & de utrisque est in cœlo gaudium majus quàm de 90. justis. Cypr. de dupl. Martyrio. Quod *non ita accipiendum quasi DEO & Angelis ejus gratiùs sit post lapsum redire ad pietatem, quàm contra lapsum perseverare in innocentia, sed scriptura secundùm humanos modos loquitur.* Quia ut Greg.

Greg homil. 34 *Tales DEO ferventiùs serviunt. Damna præcedentia sequentibus lucris recompensant.* Et addit Cypr. l. c. *Non hîc loquitur de verè justis, sed de justitia Pharisaica.*

Dominica IV. post Pentec. CONCIO I.

Totâ nacte laborantes nihil cepimus, Luc. 5.

EVangelium præter historiam continet aliquid aliud. Nam etiam ipsam noctem aliter sumit Rom. 13. *Nox præcessit.* Et Joann. 9 *Venit nox in qua nemo operari potest.* Retium etiam & piscationis variæ sunt expositiones. Dabo aliquot hujus Evangelii explicationes.

Prima, si homo sit in peccato quidquid agat, nihil lucratur. Uxor Phinees peperit filium postquam arca Domini est capta, 1. Reg. 4. Et vocavit illum Ichabod, hoc est, *inglorium*, dum arca est nostra capta, quidquid agimus, est inglorium, Erigat quis monasteria &c. Si est ipse in peccato, est filius inglorius, non operatur gloriam cœlestem. De Jechonia filio Joakim Rege Juda. Jer. 22. dictum. *Scribe virum istum sterilem.* Utique habuit duos filios. Sed neuter venit ad coronam regiam Patris. Multi putant se multa cepisse, veniet dies, *nihil invenerunt in manibus suis.* Ps. 75. 6.

Altera, in tenebris quærentes opes nihil capiunt. Qui per peccata quærunt, malis modis, in tenebris quærunt. Nolunt videri suas fraudes. *Qui malè agit fugit lucem.* Joan. 3. 20. Mirum est quod Davidi accidit. 3. Reg. 1. *Cùm operiretur vestibus non calefiebat.* Ille tam vividus qui ursos, leones, lacerabat junior, neque modò adeò senex pro illo ævo Quæ causa quod non calefieret sub vestibus? quia partem vestis absciderat Sauli. Lyran. quòd non calefieret, *fuit in pœnam peccati quia Sauli absciderat oram chlamydis.* Hæc particula ve-

ſtis alienæ extingvebat omnium veſtium propriarum vim calefactivam. Alieni aliquid habere inter propria, eſt venenum cibis bonis miſcere. *Niceta qui noxiam cibum ſumpſit, unà etiam cum illo probos evomit.* Eſt alienum etſi modicum, veluti fermentum, quod totam farinæ maſſam cui injicitur coinquinat. Venerat ad S. Spiridionem quidam dives ad magnam pauperiem delapſus, oravit ab illo ſubſidium. Erat tum Sanctus in horto, & avellens ramum ab arbore in aurum vertit, ac homini dedit cum his dictis. Vade, hoc aurum oppignora, pecuniâ labora, & lucraberis, ramum hunc ipſum poſt annum mihi reſtitue. Retulit ille homo. Tum ſanctus eundem vertit ramum in ſerpentem, & dixit. Hic eſt qui devoraverat tuas opes. Habet domi *ſerpentem*, rem alienam, quid ſi apud alios non jam ſerpens ſit ſed draco, & mirantur quòd laborando nihil capiant. Cur ſtatua Nabuchodonoſor ſubverſa exili eſt lapillo? Dan. 2. 34. Quia pedes habebat argillaceos. Unde hæc argilla? redigerat in ſervitutem injuſtam Judæos, juſſit illos circa argillam operari, lateres coquere, muros extruere, hæc fuit argilla. Accidit per fraudem lucra quærentibus, quod mercatori injuſtâ menſurâ ac pondere utenti. Venit Reviſor, advertit fraudem, & lucra repetit, & mulctas imponit, hoc idem facit DEUS.

Tertia explicatio eſt de illis qui uſque ad noctem piſcari differunt, bona opera usque ad morbum in quo tenebreſcunt ſenſus, intellectus, nox fit. Sed iſti an aliquid capient, ex hoc colligi poteſt. Conſiſtit aliquis in navi, aqua ſenſim fluit in navim, ille contemnit, quando plus influet aquæ tum occurram. Similiter, concipit ignem domus, negligit; tum extingvam, quando majus erit incendium. Similiter phtyſi correptus differo medicinam, poſtea me juvabo, interea morbus efficitur incurabilis. Poteſt & magnum incendium extingvi.

Poteſt

Poteſt & navis propè aquâ plenâ ſalvari, ſed quàm id difficile? Duo ſunt ad pœnitentiam neceſſaria. Gratia DEI & noſtra cooperatio. Sed qui toties ſprevit gratiam DEI quomodo etiam tunc non ſpernet? ita agimus prout aſſvevimus agere. *Deus omnia operatur propter ſeipſum.* Prov. 16. 4. Tu qui differs pœnitentiam cùm agebat DEUS propter ſeipſum dando gratiam, ſpreviſti, vis ut agat propter te, quando jam agitur de te, nam ſi tunc de te non ageretur, non curaret pœnitere, ſicut non curabat dum vitam ſperabas. Greg. in 1. Reg. 8. *Qui nolunt malum vitare cùm poſſunt, cùm volunt non poſſunt: liberari petunt ſed exaudiri non merentur.* Quod attinet noſtram cooperationem, qualis illa in morbo poteſt eſſe, cùm vix ſciamus an vivamus? Quid valet illius jejunium cui ligatum guttur ne comedere poſſit? quid illius genuflexio cui ſucciſa genua? quid donatio illius qui nihil habet? donas quia tecum accipere non potes. Potiùs iſta ſunt bona derelicta quàm donata, non peccas quia non potes ampliùs. S. Bern. *Væ cui finis luxuriæ idem eſt qui vitæ.* Salvian. lib. 1. ad Eccleſiam de morientium eleemoſyna, ita dicit. *Quaſi verò DEUS quærit eleemoſinam non vitam, ut corruptorum, more Judicum argentum exigat, & pecuniâ vendat.* Meritum debet eſſe liberum ſicut fuit peccatum cum plena animadverſione, ubi verò in gravi morbo vacat animadvertere, cùm tota anima circa morbum occupatur, & ſtudium vitæ recuperandæ? Greg. homil. 12. *Videte ne tunc quæratis peccata fugere quando jam non licet ambulare.*

Quarta expoſitio. In nocte laborant qui ſine lumine divino, unde poſt multos labores nihil habent. Agunt juxta prudentiam humanam & falluntur. Piſcatur mercator, Paterfamilias, miles, &c. Sed dum piſcem putant ſe capere, capiunt lapidem &c. Dona ſua DEUS in aliis piſcinis ſervat

 quàm

quàm putamus. Quis credidisset servari in carcere Principatum Ægypti? servatus est ut patet in Josepho. Quis victoriam de Goliatho in bursa pastoris? fuit ut expertus David. Quis doctrinam pro toto mundo reti? fuit, ut probant Apostoli. Quis propaginem Gentium in cæde unici Filii? fuit, ut expertus Abraham. Quis liberationem populi ex Ægypto in fuga ad Arabes? ibi eam reperit Moyses. Sed si divino lumine destituimur, quærimus bona nostra in illo mari in quo non sunt. Juxta prudentiam mundi obtulit Saul sacrificium cùm hostis instaret & abesset Samuel, & in eo quærebat regni sui perennitatem, & ecce regnum amisit, & dicitur, illi. *Stultè egisti. Quod si non fecisses jam nunc præparásset DEUS regnum tuum super Israël in sempiternum.* 1. Reg. 13. 13. Juxta hanc prudentiam ille servus egit qui abscondit talentum, sed amisit. Matth. 25. 25. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Psal. 118. 105. Hoc illuminat probè intellectum ne possimus errare. Hoc docet. Vis providere filiis non opes tantoperè cura, sed ipse benè DEO servias. *Non vidi Justum derelictum & semen ejus quærens panem.* Ps. 36. 25. Vis ditari? *Quærite primò regnum Dei &c. Et hæc adjicientur vobis.* Matt. 6. 33. Vis te vindicare de inimico? condona sincerè, Deus vindicabit. *Mihi vindictam & ego retribuam.* Rom. 12. 9. Vis securus esse de anima tua? *instanter operare quidquid potest manus tua.* Eccl. 9. 10 Proinde oremus frequenter. *Mitte nobis Domine sapientiam de cœlis tuis sanctis, à sede magnificentiæ tuæ, ut mecum sit, mecum laboret, ut sciam in quo tibi sit complacitum.* Sap. 9. 10. Piscamur in aulis foris, sed si absque sapientia Dei gratis. Priùs Christus ex navi docuit, postea jussit laxare retia, illius verbum sequentur omnia etsi contra nostram expectationem, amisit vim urendi ignis in fornace Babylonica, mare induruit sub pedibus Petri. Natavit securis discicipulorum Elisæi. Benè Sapiens dixit. *Omnipotens sermo tuus Domine,* Sap. 18. 15. Sed tum est

nox

nox cùm terra est supra solem, sol infra, cùm terrena primò quærimus. Sed quid hæc sunt? Sap. 5. 9. *Ttransierunt hæc omnia tanquam umbra.* Umbras captamus. Sed & ipse homo quid est? *Quærit DEUS Adam ubi es?* Gen. 3. 10. *Adam ad hoc propriè respondere poterat*, ait Philo de insomniis. *Nusquam. Eò quòd humanæ res nunquam in eodem statu maneant* Transierunt *ut nuncius velociter currens.* Interroga cursorem de re aliqua, respondet & abit. Ita res omnes. Hildeber,. Epist. 56. *Bona vaga, bona pennata sunt hæc omnia.* Ut avis intenta in occasionem avolandi. Transierunt *tanquam navis.* Salomon dicit Eccl. 1. 12. *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel.* Hugo Victor. in l. c. hom. 5. *Rex fui jam non sum.* Utique cùm hoc dicebat, Rex erat. *Res istæ etiam dum sunt potiùs non sunt quàm sunt.* Transvolat ut navis. S. Salvius à mortuis redux, ut scribit Greg. Turonen. l. 7. c. 1. *Audite hist. filii, Adæ, & intelligite quàm nihil est quod cernitis in hoc mundo, sed omnia vanitas, omnia ergò ut vana contemnite, ut veram gloriam DEI mereamini adipisci in cœlo.*

Eadem Dominica CONCIO II.

Laxate retia ad capturam. Luc. 5.

NOn solùm jubet Christus piscari, sed etiam ipse piscatur Nazianz. Orat. 31. Christus *fit piscator, & quod mirandum est, piscator quidem in mari est, in terra verò pisces.* Homines sunt isti pisces. Abacuc. *Facies homines quasi pisces maris.* Dæmon Christum imitatur, & ipse piscatur. Ostendam differentiam inter piscationem Christi & Dæmonis.

1. Dæmon quia non curat vitam piscium *Fur & latro mactat*, homo capit, & illum diversâ tegit escâ. Jam carnibus, jam pisciculo ex metallo facto, jam plumulâ

vanitatis. Sed ista esca est velut convivium Absalonis 2. Reg. 11. in quo fratrē occidit, alios terruit, ut de illis dici potuerit illud Ps. 77. *Adhuc escæ erant in ore eorum & ira DEI descendit super eos.* Permittit hamum donec totus à pisce devoretur, ut se deinceps ab illo piscis liberare non possit. Permittit orare, lachrymas fundere, esse in confraternitatibus &c. Tamen in hamo tenet, cavendo ne verè homo conteratur, confiteatur, restituat, socios malos dimittat &c. Interea semper hamus in viscera descendit, conscientia amittitur, consvetudo peccandi roboratur. Videte exemplum. Herodes qui deinde Joannem Bapt. occidit. *Multa bona faciebat propter eum*, id est Joannem, æstimabat illum, audiebat ejus conciones. &c. Sed dimisitne Fratris sui uxorem? demum certus de illo dæmon quòd jam hamum benè deglutierit, potitus est illo. Solet potissimum sub tempestate piscari. Eccles. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Cùm nubem intellectui ambitio, vel passio quædam induxit, cùm voluntas quasi mare fluctuat, cùm in passione iræ tonat, in desiderio irides apparent, cùm in nemore ignes fatui. Cùm turbo insurgit ut vix homo possit invenire consilium. *Impii in circuitu ambulant*, ut rota molaris, nulla stabilitas.

Christus reti utitur. *Laxate retia.* Et antequam hoc fiat, reducit à terra naviculam, subtrahit terram oculis, contemptum inducit temporalium. Gen. 13. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Aliò mentem verte, cogita quare es creatus. Quare corpus & animam habes. Si arborem ornes monilibus, rem vanam facis: si animam velis opibus, honoribus, beatam facere, nihil facis. Bos non curat aurum, quia non propter illud factus est, nec tua anima propter opes, istis illam non satiabis. Quid corpus nisi saccus luti? induat quis saccum luti serico, monilibus, flectit coram illo, gemit, &c. Non hoc lu-

hoc luto debetur, conserva illud quamdiu necesse; sed illi non servias. Deinde pisces suos Christus reti concludit. Non permittit liberè vagari intellectum illorum ut credat quod illi placet, extra rete quærat pascua: Voluntas stringitur præceptis, caro jejuniis &c. Unum habet rete, unam Ecclesiam, concordia est piscium etsi diversi fuerint, cor unum, una anima. *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare.* Hoc est Ecclesia. Rumpitur aliquando rete, pisces tamen manent, excitatur persecutio contra Ecclesiam, manent. Dum pisces sunt in reti, non separantur boni à malis, sed hoc demum fit in littore. Quia in Ecclesia sunt boni & mali, cùm rete in fine mundi ad littus adducetur, tunc *separabunt malos de medio bonorum.* Rete ducitur non per aliquem fluvium, sed per mare, quia in toto orbe est Ecclesia. Rete Christi jussu laxatur, quia nemo vadit ad piscaturam nisi jussus. Rete navi non ex terra mittitur, quia non terrena prædicantur. &c.

Dominica V. post Pentec. CONCIO I.

Nisi abundaverit justitia vestra &c. Matth. 5.

CUM lamentaretur David supra justitias hominum, dicit Psal. 6. *Mendaces filii hominum in stateris.* Quia maximè in rerum ponderatione locum habet justitia, unde etiam cum bilance pingi solet, ad hoc revocatur quævis mensura. Fallaci utebantur staterâ Pharisæi, quæ ostendebat illis plus eos valere quàm cæteros: plus cæteros quàm DEUM. Sed, *nisi abundaverit justitia vestra &c.* Nisi meliori bilance utamur. De hac bilance erit sermo præsens.

Pluris faciebant seipsos Pharisæi quàm alios. Unde ille *Non sum sicut cæteri.* Et ut pro ejusmodi haberentur, multa faciebant Matth. 23. *Faciunt opera sua ut videantur ab hominibus.* Bonum

num quidem eſt facere bona coram hominibus & occultare mala, ſed non ideò ut habearis non ſicut cæteri. Aug. l. 2. de ſummo bono. *Duplicis culpæ eſt reus qui apertè delinquit, quia agit, & docet.* Joan. Cluniacen. cum illa verba. *Homo inimicus ſeminavit Zizania,* conſiderat, ait. *Ut intelligat cùm ſibi ſoli nocet, eſt peccator: cùm aliis, eſt inimicus.* Ob hanc vanitatem Phariſæi aſſiduè orabant; præſcribebant ſibi continentiam ad quatuor, octo, aut etiam decem annos. Et ad hunc finem in aſſere anguſto cubabant, aut etiam in ſilicibus, in ſpinis: jejunabant bis in Sabbato: decimas, primitias, trigeſimas, quinquageſimas bonorum ſuorum dabant templo. Vota quæ fecerant ſolvebant exactiſſimè Deo, ut ſcribit Epiphan. in Panatio. Sed ut eſſent ſupra cæteros appellabant ſe Phariſæos, quaſi à populo diviſos. *Phares* enim Hebr. ſignificat. *Diviſionem* præſeferebant ſummum Eccleſiæ cultum, & populum docebant magnum eſſe malum ſi quis è Synagoga ejiceretur, & ad hoc reſpicit Chriſtum dum prædicit Apoſtolis, *absq; ſynagogis facient vos.* Synagogæ erant plures ad quas conveniebant ut audirent lectionem S. Scripturæ, unum verò fuit templum in quo ſacrificium offerebatur. Ejectio de Synagoga ſimilis fuit excommunicationi. Sed hæc apud nos multò gravior. Privat enim orationis fructu, quem perciperet talis ſi pro illo cæteri orarent, indulgentias conſequi non poteſt, abſolvi à peccatis non poteſt: coram illo Sacerdos ſacrificium offerre non poteſt. non ſepelitur in loco ſacro; Beneficiorum Eccleſiaſticorum non eſt capax. Non poteſt eſſe Judex, Teſtis, Actor, Advocatus. Sunt verò nonnulla peccata quibus excommunicatio eſt adnexa, ut percusſio Clerici, duellum, Simonia, coactio fœminæ ad monaſterium vel ab illo impeditio. &c. Tam gravis res eſt excommunicatio, ut cùm quidam eam poſtularet ferri à S. Antonino Archiep.

Floren-

Florentino contra suum adversarium, ut Sanctus ostenderet quàm res magna peteretur, protulit excommunicationem supra panem candidum, & statim factus niger, & eâ ablatâ iterum ad candorem rediit.

Interea Oseæ 12. *In manu ejus statera dolosa.* Scandalisabantur Pharisæi quòd Dominus peccatores reciperet tanquam respectu sui indignissimos. Quòd sabbato paraliticum curaverit. Ipsi verò pro re licita usuras reputabant. Subvertebant omni dolo proximos. Viduas spoliabant. Docebant ut Filii Parentibus egenis non succurrerent sed potiùs sacrificium offerrent, quod in lucrum Pharisæorum cederet. Omni peccato pleni erant sed occultè. Nulla peccata cogitatione perpetrari, sola facta exteriora à DEO esse prohibita. Agebant sicut Jezabel quæ se depinxit in facie & adulterium quæsivit. Sed verè dixit Isid. apud S. Tho. in catena. *Qui cibis abstinent & mala agunt, dæmones imitantur, quibus cibus abest culpa adest.* Planè agebant sicut Saul 1. Reg. 15. *Peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini &c. Etiam hâc vice honora me coram populo.* Interea ex his quæ DEUS sibi offerri præcepit, optima quæque abscondit, id est ex gregibus &c. Unde illi Samuel nomine DEI. *Quæ est vox gregum quæ resonat in auribus meis?* Ideò Christus Pharisæos vocabat *sepulchra dealbata.* Occidebant Prophetas clanculùm, & ut pietatem palam ostenderent, sepulchra Prophetis ædificabant. Exterminabant facies suas per varias artes ut ab hominibus viderentur emaciati jejunio.

Statera hæc fuit dolosa quæ illos decepit, & decipiet quécunq; illorum sequacem. Imagines istæ fuerunt virtutum, nõ virtutes Cõtent⁹ quis equo picto, quomodo in illo iter aget? Vult placere hominib9 interim optat & Deo placere, & sic agit corde duplici. Aug. *Væ duplici corde, partem dant Deo, partem diabolo, iratus Deus discedit, & totum diabolus possidet.* Ab intentione, à fine actus sumit speciem, quidquid facit fur ut furtum exequatur

ad furtum ſpectat. Phariſæi illa opera faciebant propter vanitatem, & omnia fuerunt vanitas. Quid lucri ex his? Facis ut laudet homo, ecce tui operis merces eſt laus hominis, à DEO nihil expecta. Et hoc eſt frequens malum quod multos decipiet, qui dicunt ſe propter DEUM, propter cauſam honeſtam agere, cùm ſit in re aliud. Væ nobis quando opera noſtra ab hac larva nudabuntur, quæ modò apparent roſæ, videbuntur ſpinæ. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra &c.* Ornat ſe uxor nitidè, & dicit ſe id facere in gratiam mariti, & tamen quando domi eſt & à ſolo marito ſpectatur, negligit ornatum. &c.

Sed quænam poſſunt eſſe ſigna, per quæ colligamus an propter DEUM agamus? 1. Si ita agis cùm nemo videt, atque cùm vident perſonæ honoratæ, quia etiam nullo vidente, DEUS videt. Orat filia dum videt mater, ſtudet filius dum videt pater, his abſentibus nihil agunt. Quomodocunque dicant ſe propter DEUM agere, non credam. 2. Amico benefacit, & caræ perſonæ, non facit ei qui ſe offendit, etſi æquè petat, egeat. Non facit propter DEUM qui tam pro illo quàm pro iſto eſt remuneraturus, ſi propter illum detur & non propter amorem hominis. Imitator eſto illius qui pluit ſuper bonos & malos. Idem eſt de eo qui perſequitur peccatum in eo quem odit, diſſimulat in illo quem amat. Aug. *Ama id quod fecit DEUS*, id eſt, *hominem, non ama id quod fecit homo*, id eſt peccatum.

Eadem Dominica CONCIO II.

Qui iraſcitur Fratri ſuo &c. Matth. 5.

HOc lecto Evangelio putaret quis nunquam non iraſci debere. Sed Hieron. *Qui iraſcitur cum cauſa non eſt reus.*

Et cer-

Et certè iræ affectus datus eſt ad repellenda à nobis mala, qui ergo vera mala repellit, facit ad quod data eſt ira. Et ad hoc Spiritus S. promovet. Greg. in 1. Reg. 11. *Saul ut iraſci nimis potuerit, priùs in eum Spiritus DEI inſilit.* Oſtendam modum, qui eſt permiſſus, iraſcendi.

Triplex fuit tribunal apud Hebræos ut docet Franciſcus Lucas. Primum, Triumvirûm, in quo judicabatur de cauſis pecuniariis. Alterum viginti trium Judicum, in quo de criminalibus. Tertium vocabant Synedrito, conſtabat ſeptuaginta duob⁹ viris, in hoc de rebus ad fidem ſpectantib⁹, quales ſunt hæreſis, idololatria, apoſtaſia à fide. Priora duo vocabant judicium: ultimum dicebant concilium. Gehenna erat vallis, in qua aliquando lapſi in idololatriam filios concremabant in honorem idoli Moloch. Et vox Gehennon, ſignificat vallem filiorum Hennon, quia iſtorum iſte fuit fundus. Cùm reſipuerunt Judæi, in eum locum omnes ſordes civitatis ejiciebant, ut coriariorum &c. Et quia antea cremabantur in eo loco hominum corpora, translatum eſt nomen ad appellationem inferni. Ita Arias Montanus in Jeremiam. Dicit ergò Chriſtus, qui iraſcitur fratri ſuo, dignus eſt judicio, ut ſcilicet ita cum illo agatur ut cum reo debente magnam pecuniam. vel cum homicida. Qui dixerit Racha, reus concilio, ut procedatur in eo rigore tanquam contra deſertorem fidei. Hanc vocem *Racha* vult Chryſoſt. idem valere atque ſi honoratæ perſonæ diceres, *Tu.* Aug. vult eſſe interjectionem quæ exprimat murmurationem. Hieron. vult æquivalere his contumeliis: Tu miſer, inops, levis, &c. Alii huic æquale eſſe, ac ſi diceretur alicui, tu inſtar ſputi apud me: cùm in lingva Syrorum *Racha* ſignificet ſputum. Hinc videamus quanti Chriſtus faciat iram noſtram, convitia, contumelias, & qualiter ſit ipſe judicaturus.

Ne hoc periculum incurratur, qui irascitur sit superior illius cui irascitur, & hunc modum in ira teneat quem SS Patres præscribunt. Pessimè egit Heli quia non irascebatur filiis ut oportebat non castigabat, sed solùm lenibus verbis monebat quasi conniveret. Greg. in Job 5. *Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit.* Sed ut idem Greg. *Qui ut debent irascuntur, in corde se illis quos reprehendunt, postponunt.* Faciunt id cum omni amore, & si videant illos pœnitere, recipiunt ut Patres. De quo idem Greg. multa in Pastorali. Quidam ab Ordine Prædicat. defecerat. Laborabat B. Jordanus ut iterum reciperetur, consentiebant alii in Capitulo, unus contradicebat. Opposuit hoc Beatus. Plura hic frater peccabit si desperaverit. Se id, ille contradicens, dixit non curare. Tum Beatus. *Certè, frater, si tu pro isto tantillo viro unam duntaxat sangvinis guttam fudisses, sicut Dominus noster pro ipso sangvinem fudit, aliter responderes.* Rem quam aliquis carò emit, v. g. horologium, torquem, &c. si destruatur, non statim malleo tundit, satis ipsi esset inhalare si hoc sufficeret ad reparationem. Christus aliquando flagellum fecit è funiculis, sed non legitur ullum flagellâsse. B. Humbertus. *Lupus non comedit erycium, neq; Lucius percam propter aculeos, sic nec diabolus aliquem in asperitate pœnitentiæ viventem.* Et homo talem comedit? Rex quidam valdè picturâ delectabatur, & quas pinxit imagines ita vehementer amabat, præcipuè illas in quibus suam faciem pinxit ut si quis illi aliquam læsisset, subitò illum projecisset in ignem. Quid si quis imaginem confodisset, concerpsisset? Rex noster pinxit in homine suam imaginem, & multùm illam amat, & tu lacerabis? licet imaginem à pulvere abstergere, si malè jaceat, collocare meliùs &c. Sed non concerpere. Si incederes inter pulveres pyrios cum igne, etsi aliquid tibi in in illo displiceret, non statim in illum jactares
ignem,

ignem, quia pulvere accenso ipse perires. Accendes contra te, *Reus erit concilii*, *Reus erit gehennæ*, Et si sis superior si non juxta leges corripis, si ignem jactas, si læsus agis tanquam vindicando, seu vindictam sumendo, & sumis si magis irasceris quia tibi facta est offensio, quàm, si fieret alteri tibi pari.

Omnia interna peccata pro nullis reputabant Pharisæi, imò & dicti prolata si non prodiissent in opus. Tamen de solis peccatis iræ Christus agit. Quia in aliis faciliùs apparet turpitudo, ut in concupiscentia, furto, temerario judicio. Ira etiam illicita se tegit larvâ virtutis zeli. Unde multò minùs à Pharisæis æstimabatur. Attamen verum est quod dixit S. Agathon. *Iracundus si mortuum suscicet non placet DEO.* Quare hoc, quia opus insani non placet. Audi Ethnicum Senecam de ira cap. 1. *Iram sapientes dixerunt brevem insaniam.* Aliam rationem ex Ambr. lib. 1. Offic. accipe. Quia in irato DEUS non suam sed dæmonis videt imaginem. Sic enim ait. *Non inveniat in te adversarius* Dæmon, *imaginem suam, non rabiem, non furorem*, in his enim *imago nequitiæ est.* Christus est Agnus, ille *ut leo circuit quærens quem devoret.* Si imaginem DEI rejicit & bestiæ accipit, non amat DEUS quòd non fecit. Nulli præcepit, irascamini, sæpiùs verò repetiit, *dimittite, diligite. In hoc vos cognoscent quòd discipuli mei sitis si dilectionem habueritis*: Si non habueritis, cognoscent quòd non mei sitis. Cujus ergò? dæmonis. *Discite a me quia mitis sum*, Quis ergò est præceptor iræ & vindictæ, nisi dæmon?

Dominica VI. post Pentec. CONCIO.

Misereor super turbam.

MUlta ex isto Evangelio sumi possunt, & siquidem tam liberaliter distribuit panem, etiam alia sumere Christus permittet, consideamus interim in terra, consideremus quantus sit ille qui dat, & nos quàm viles qui accipiamus, ut sic paratis det uberiùs, & artem multiplicandi panes concedat.

Qui vellet considerare, quid in DEO magis appareat, etsi omnia sint in se æqualia, misericordiané an justitia? facilè concluderet, quòd misericordia. Ita Ps. 144. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Si Rex quispiam ita statueret, loquatur ad me mancipium verbum bonum, faciam illud regni mei hæredē, cogitet de me, dabo illi meas opes: quid de tali diceremus? Ita Deus nobiscum agit. Numerat studiosè si passus aliquos pro illo faciamus, si illum dicentem audire perseveremus, acsi gratiam fecerimus, reputat. *Ecce jam triduò sustinent me.* Et præmia disponis Domine. Tu illos sustines. Et quia longum videtur quibusdam cœlestia expectare, dat interim in solatium tædii temporalia, miraculum ingens facit panes multiplicando, qui simul, ut manna quondam, antequam daretur terra promissionis, vim potûs habeant. Sint svavissimi, quia non jam Angelorum ut manna labor, sed ipsius Christi hoc æstimat, quòd illi non comederint, certè & ipse Dominus non comedit propter illos, & tamen ait, *Sustinent me.* Isai 46. *Ego feci & ego feram.* Creavi illos, providebo illis. Non est Christus ut quidam Domini, qui plurimos recipiunt in famulatum nec ampliùs de illis curant. Neque solùm hodie tanc povidentiam ostendit, etiam Pharaonem Regem Ægypti cùm ventura esset

esset fames; ostendendo per somnium boves pingves & macros præmunivit. Tyrius scribit lib. 6. Quòd cùm exercitus Christianus oppugnaret Antiochiam, anno 198. omni pane destitutus, solo rore qui de cœlo in eum cadebat, reficiebatur. &c. Sed hoc evenit illis qui Christum sequuntur, nam & Pharaoni propter Josephum factum est illud beneficium. Obtulerunt hilariter panes discipuli, & fiebat sicut in Jordane, dum transiret Josve, quò magis aquæ defluebant, tantò magis aliæ in cumulum erigebantur. Cyrill. in Joann. lib. 3. c. 18. *In hoc miraculo ostenditur, quantò plura dabis, tantò plura largiùs confluent.* Hinc fiduciam habeamus, quòd non deerunt temporalia si Christum fuerimus secuti. Augebitur res Oeconomica si Missam non negligas, si des eleemosynam, verbum DEI audias. Sicut enim si neglecto Christo omnem adhibueris curam circa opes colligendas, effluent quâ viâ non putas: ita si Christum fueris secutus, affluent viâ quâ non expectas. Congesserunt Ægyptii opes modis injustis per oppressionem Judæorum, neque unquam putabant, quòd per ipsos Judæos illis auferendæ essent. quò enim Judæi cum illis, etiamsi abstulissent, evaderent? Obstabant montes, mare, solitudo invia, attamen evaserunt. Non sperabat Josephus Principatum in carcere, quæ enim via ad illum inde? Serviendo tamen DEO pervenit.

Causa verò potest esse, quare qui Christum non sequuntur, & quæ habent amittunt. Quia dæmon est famelicus. *Circuit quærens quem devoret.* Et si hominem devorat, procul dubio & res ejus. Quos verò devorat, si non eos qui Christum non curant? Greg. in Psalm. 4. Pœnitent. alludit ad illud Gen. dictum serpentis terram comedes. *Hostis terram comedit, quia peccatores quosq; in ventrem suæ malitiæ abscondit.* Unde sicut cibus fit pars comedentis, sic illi dæmonis. S. Bern. in Sept.

in Sept. ſerm. 1. *Abſciſſus à corpore Chriſti, Sathanæ incorporabitur.* Quod ipſum Greg. homil. 15. his verbis. *Certè iniquorum omnium caput eſt diabolus, & ipſi ſunt ejus membra.* Hinc veluti cibo refectus cùm devoravit luxurioſum, ejus lingvâ robuſtiùs utitur ad loquenda turpia, ejus oculis ad videnda &c. Cùm avarum, ejus manibus ad rapiendum &c. Qui enim in peccatis jacent faciliùs in alia proruunt. Hos cibos ſibi ipſi præparat, aſſat luxurioſos, infarcit avaros, concidit iracundos &c. Jam verò cùm hominem fecit ſuum, etiam res ejus, ut qui aliquem facit ſibi mancipium, etiam res illius accipit, quia verò neſcit niſi mactare & perdere, varios caſus affert in quibus res pereant. Dederat illi DEUS aliquam poteſtatem in Job, jam latrones, jam turbines, jam ignem &c. immiſit. Hinc mirantur quomodò dum laborant multùm, parùm habeant, cùm decimas negant, cùm miſſas ob laborem omittunt, cùm ſubditos de novo excogitatis oneribus premunt, quòd omnia è manibus elabantur. Dæmon devorat. Sequamini Chriſtum, & panis vobis multiplicabitur. Orabat S. Iſidorus & Angeli pro illo arabant. &c. Innumera ſunt ejus rei exempla. Sequebantur Judæi Moyſen qui erat figura Chriſti, & manna illis de cœlo pluebat. Receſſit Core, Dathan, Abiron à Moyſe, & terra & illos & ipſorum ſubſtantiam devoravit. Contulit ſe Saul ad Samuelem ut in eo, DEO munuſculum offerret, quartam partem ſtateris, invenit & aſinas amiſſas & regnum: acceſſit Pythoniſſam & regnum & vitam amiſit. &c.

Veniet tempus cùm videbit ſe miſer homo in ventre diaboli, qui modò, vellet tibi dare oſculum fugeres, in ejus ventre eris. Videbit ſe ut Jonam in ventre ceti. Quia verò cibus vertitur in ſubſtantiam comedentis, ac proinde illius animâ animatur, videbit ſe veluti animam habere diabolum, ab illo videbit ſuas gubernatas, manus, pedes &c. Videbit in eo loco Sathanam in quo ſolebat eſſe Spiritus S. Atque illud

illud evenisse, quod si è tabernaculo ejiceretur Christus, & loco illius positus esset dæmon, & talis hominis qui hoc fecit, meritum esse pœnas. Gaudebit alter qui secutus Christum, quia post solatium ab eo datum temporale, fruetur æterno.

Dominica VII. post Pentec. CONCIO

Omnis arbor quæ non facit fructus bonos exscindetur.

DEUS agit ut Hortulanus qui per otium deambulando considerat arbores in horto, & jam de hac pronuntiat. *Excindite ut quid etiam locum occupat.* De alia, purgate ut fructum plùs afferat, ramos inutiles amputate &c. Nostra interest videre ne jubeat nos exscindi, de quo sermo erit præsens.

B. Joannes Augustinianus ingredi solebat frequenter hortum, & in eo lachrymabatur. Quæsitus quare id faceret? respondit. *Quia video herbas & arbores & arbusta, & volucres, & terram cum suis fructibus obedire DEO, & homines quibus pro obedientia promissa est vita æterna, transgredi præcepta Creatoris sui. Hæc gemo & defleo.* Sed uberiores forté movebit lachrymas. Quidam accepit in suam curam egentem miserum, alebat eum, quotidie illi mittebat cibos. Imò cùm miser ille esset cœcus, claudus, paraliticus, sanavit illum impensâ in hac sua famâ, substantiâ, vitâ. At ille miser sanatus non desinit quotidie quæcunque displicent benefactori suo facere, cum inimicis ejus negotium habere, illius vitæ quantum in se est insidiari. An hæc malitia non est digna & irâ maximâ, & lachrymis? S. Bern. serm. 14. in Ps. Qui habitat. *Si quis oculorum lumen amissum tibi reddidisset, &c. Quomodo non quicunq; tibi vehementissimè succenseret, si quando beneficii immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum?* Alit nos quotidie DEus.

die DEUS, & jubet ut terra in alimenta proferat fructus, animalia cum morte sua carnes. Dedit oculos quid plus est quàm curâsse cœcum, majus enim est non natum esse cœcum, quàm à cœcitate sanatum &c. Ut majus est non fuisse unquam mendicum, quàm postquam mendicâsti, ditari. Ita B. Ægydius coram quodam divite interrogavit cæcum & claudum, quid redderet ei medico si quis eum sanaret? dixit ille, *me in servum huic medico traderem.* Tum Beatus verso sermone ad divitem. Ecce tibi DEUS dedit oculos &c. Quid si in hac arbore fructum non inveniat, ipsi cogitate quid de illa facturus? ita ditaverat Nabuchodonosorem & in specie arboris illi metipsi eum repræsentavit. Dan. 7. & dixit *Succidite.* DEUS noster arborem infructiferam non patitur, quomodo patietur ferentem fructus pestiferos scandali, sacrilegii &c. Matth. 21. Maledixit ficui quam sine fructu invenit. Si videremus Hortulanum urentem arbores fructiferas quæ tandem fructus ferre desierunt, quid putaremus acturum de illis quas in eorum locum plantavit, si etiam istæ non ferrent fructum? sumus Gentes in locum Judæorum adscitæ. Napelli venenati fructum DEO ferimus, ut illum quantum in nobis occidamus. Dicat quis suo Domino, tibi non obediam, te non colam, alteri serviam, &c. suum Dominum sibi occidit, hoc facimus DEO, cui in omni peccato præferimus creaturam. Peccatum enim est aversio à Creatore ad Creaturam. Hic fructus à mala arbore provenit DEO. Sed neque sibi meliùs fructificat peccator. Cogitate hominem insidentem sellæ, sed quæ telæ areneæ innititur, infra quam est barathrum plenum bestiis ignem vomentibus, sulfure &c. Totus ipse est ligatus ne possit aufugere. Gladius gravis impendet capiti appensus è filo tenui & debili, à lateribus stant milites intentis arcubus desiderantes quàmprimùm ferire. Hæc est imago

imago peccatoris. Hunc statum sibi pro fructu profert, ligatur funibus. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* Et si peccata in consvetudinem abierunt, funes difficillimè rumpi possunt. Greg. 15. Moral. *Prava consvetudo nonnisi cum vita peccatoris finitur.* Neque illos homo curat rumpere. S. August. Enchiridii cap. 82. *Peccata cùm in consvetudinem veniunt, aut parva, aut nulla creduntur, imò prædicanda videntur.* Primò facere pudet, postea amatur, tandem gloriæ ducitur, & relinqui non curatur. Aug. 8. Confess. 5. *Velle meum timebat inimicus, & inde catenam mihi fecerat.* Isai. 5. *Væ qui trahitis quasi vinculum plaustri peccatum.* Initio quidem ubi plaustrum animali alligatur, soli sunt funes & lora, sed postea plaustrum plenum innumeris peccatis. Oculi ligati, non videt, quò vadat. Sagittarii sunt clamores peccatorum vindictam postulantium. Sella telæ araneæ incumbit, id est vitæ humanæ. Gladius justitiæ Divinæ impendet; infra est infernus. Quid placent isti fructus? mereturné talis arbor locum? Nonne jam contra te in cœlo scribitur? Isai. 22. *Quis tu hîc, aut quasi quis hîc? expellam te inde.* Posuit nos DEUS in via ad cœlum & quidem 2. Timot. 1. *Non secundùm opera nostra.* Sed ex gratia sua, ecce supra barathrum considemus. Multis aliis relictis, dedit usum Sacramentorum quibus nos juvare in via possumus, & hoc gratis. Eccli. 32 *Quare dies diem superat? à Domini scientia separati sunt.* Ut dies supra diem, nihil ex nobis habuimus supra cœteros & ecce oculos, manus, pedes, dedimus in vincula. Appellavit nos ex nomine suo Christianos & spiritum suum supra nos appendit, & ecce nos gladium. Thom. Villan. conc. 2. de Nativ. *Si Christum non sequeris, quâ ratione Christianus es? cur te discipulum Christi mentiris, Christo applaudunt vocabulo, & nomine contradicunt.* Sicut cùm quis appellat palatium quod est stabulum, templum quod est caupona &c.

Quomodo cum tali fructu tolerabimur? qualis arbor ex his fructibus discemus. Judic. 12. Occupaverant vada Jordanis Galaaditæ, per quæ transire oportebat Ephraimitas, hi ut fallerent hostem fingebant se Galaaditas, sed isti illos examinabant jubendo illos proferre *sciboleth* seu *schiboleth*, qui hanc vocem benè expressit permittebatur vivere: Sed qui corrupti protulit sibolet, occidebatur. Scibolech significat spicam plenam, sibolet vacuam, si cum vacua spica non transitur Jordanis, quomodo sine ulla spica, sed cum baccis pestiferis, transibitur?

Dominica VIII. post Pentec. CONCIO.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16.

Putabat se fortè aliquis rerum suarum dominum, & de illis se nulli rationem redditurum, aspiciat hodiernum villicum, *In quo* ut Ambr. in Luc. 16. *discamus, non ipsi esse Domini, sed potiùs alienarum villici facultatum* in hunc ipsum locum Chrysost. tom. 7. *Cognoveris unumquemque tanquam rerum alienarum dispensatorem* itaque ut idem. *Arbor stat propè viam Domini, venit unus viator, quiescit, aliâ horâ alius, tertiâ tertius, & abeunt, venit Dominus quando vult arborem tollit.* Ita DEUS fecit de bonis quæ putamus nostra. Idem: *Ut larvas, qui ludos, & dramata exhibent, sic terram, & quæ in terra sunt, unus post alium tanquam vestem induunt.* Reddenda itaque ratio, & ante sententiam Domini, prudentiam imitemur villici quam laudat Christus. Joan. Geometra *Laudavit Dominus ingenium non factum.* Quod faciendo ait Anonymus Græcus, nullus in DEUM *injurius fuerit, imò pro parvis majora recipiet* Prudentia in hoc fuit quod futura prospexerit, & de hac prospectione loquar.

Multa nos urgent ut futuris prospiciamus, Hieron. in cap.

in cap. 7. Dan. *Formidabiles libri aperientur in quibus scripta sunt opera nostra, & actus, & verba, & quecunque egimus in hac vita, non solùm actus, sed cogitationes & intentiones cordis.* De tot ergo rebus reddenda est ratio & quidem publicè, Si honestus aliùs Adolescens deprehenderetur in furto, & omnibus ostenderetur, si puella &c. Quæ confusio? Scribit Spondanus ad annum Christi 1277. quòd cùm Ottocarus Rex Boëmiæ cum Rudolpho Cæsare pugnaturus prodiisset, conventum fuisse, ut Cæsari in ejus tentorio occultè juraret, venit ad hoc Otto: sed dum flectit juraturus arte Cæsaris demittitur tentorium, & ab utroque exercitu conspectus est Rex flectens, de quo ita erubuit, ut statim cum Cæsare conflixerit & occubuerit. Dio Cassius narrat, quòd cùm Nero Senatores non potuerit ad hoc adducere ut ludos histrionicos in theatro exercerent, saltem persuasit ut larvati id facerent, sed cùm facerent jussit illis larvas coram populo detrahi, multi illorum præ pudore se deinde occiderunt. Detrahetur & nobis larva, dimittetur tentorium. Spectate Sancti pro quo orastis &c. tu interim redde rationem. Alterum, nemo pro hoc villico loquitur, & tamen videtur cum sociis bona dissipâsse, ubi sunt illi? Tu solus responde. Hugo de S. Victore lib. 1. de Anima cap. 2. *Tunc Anima, intuens os, oculos aliosque sensus*, Socios, *per quos solebat delectari in his exterioribus, revertetur ad se, & videns se nudam ingenti horrore concussa desperatione deficiet in se, & cadet sub se.* Planè accidit ut illi, qui habuit tres Amicos quibus plurimùm boni faciebat, captus ab hostibus & ad vitæ periculum adductus, invocat priores Amicus. Sed unus illi respondet, faciã tibi obsequium cùm lata fuerit contra te sententia, promptè illam exequar. Alter dabo tibi indusium in quo sepeliaris. Tertius, meritò morieris, egoipse contra te causam urgebo. Primus

eſt dæmon, alter mundus, tertius caro. Climachus gr. 7. narrat de Stephano Abbate, qui videbatur in ſanctitate 40. annos vitæ Eremiticæ exegiſſe. Quòd cùm eſſet in agone, quaſi rationem redderet, reſpondebat aliquando. *Ita ſanè, ſic reverà: ſed pro hoc tot annis jejunavi. Aliquando, non, certè non: ſed mentimini, rurſus, verè me accuſatis, tum. Ita ſanè & quid ad hæc dicam non habeo.* Cur alii non juvant? ubi bona opera? Thren. 1. *Non eſt qui conſoletur eum ex omnibus caris ejus.* Bona opera, ſi in ſpeciem, ſi malè facta, &c. Lex dicit A de pignore. *Nummis adulterinis ſolutio nulla peragitur*, fuerunt acſi non fuiſſent. Tertius, accuſator exercitatiſſimus in arte dæmon qui jam plurimos ſubvertit. Accedent illi in ſubſidium, peccata noſtra Jer. 2. *Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te.* Ambr. epiſt. 20. in perſona DEI. *Quaſi Judex loquatur, ego te non judico, ſed facta tua ipſa te accuſant, & condemnant.*

Jam verò quàm multa ſunt quæ nos ad diſſipanda Domini bona ducunt? Dæmon imprimis conatur caliginem menti offundere. David ſuper ſenes intelligebat, & tamen in peccato hæſit per annum non attendens in quanto eſſet periculo, & quòd ex uno peccato in aliud volveretur. Caro hoſtis quem amare cogimur. Ex mundo exire non poſſumus, & plenus eſt laqueis. Cogitate unam ſphæram vitream in columna alta poſitam ex qua levi quolibet motu devolvi poteſt, & vehementer eam impetunt venti, præterea ipſa eſt plena vivis carbonibus à quorum æſtu rumpi poteſt hic eſt ſtatus hominis, carbones ſunt originale peccatum quod continuò incendit, venti tentationes, dæmon impellit ad ruinam, homines mali lapides jactant. Quamdiu hoc vitrum integrum erit? nulla ætas, nulla hora eſt ſecura, ceciderunt robuſtiores. Quid peccata occulta, quid aliena? quàm facilè Domini bona diſſipamus, & ſtricta eſt reddenda ratio, proſpiciendum nobis, ſed quomodo?

Utar

Utar parabolâ Barlaam quam posuit in ejus vita. S. Damasc. cap. 14. In quadam urbe mos erat novum Regem quovis anno eligendi, quo exacto relegabatur prior in quandam insulam hominibus ignotam & inaccessam omnibus necessitatibus destitutam. Unde qui eò venerunt cogebantur mori fame, sic multi perierunt Reges. De insula nemo sciebat nisi qui deportabant in illam. Unus Regum sapientior deportatores illos corrupit pecuniâ, & per eosdem in insulam ingentem vim necessariorum misit, & exacto anno haberet in ea, quæ opus erant. Deportabimur & nos in ignotam insulam, præmittamus misericordiam in pauperes, cùm nobiscum Judex volet severè agere, dicemus, promisisti Domine, *Misericordes misericordiam consequentur.* Præmittamus condonationem injuriarum & dicemus. Dixisti. *Dimittite & dimittetur* vobis &c. Præmittamus vestes albas castitatis, rubras patientiæ &c. Præmittamus solutionem pro peccatis ut fecit Joannes Abbas, de quo Clim. gr. 4. Hic primâ nocte quâ ingressus fuit monasterium fuit in visione citatus ad Judicem tanquam reus librarum auri centum, quare ut solutionem præmitteret dedit se totum triennio obedientiæ, patientiæ, injuriarum tolerantiæ, quo facto revelatum est illi ex debito libras decem sublatas. Rursus majori fervore easdem virtutes exercuit per annos tredecem, & significatum quod omne debitum fuisset remissum. Ita provideamus nobis. Sæpè in mente revolvamus, *Quid fasiam cùm à vilicatione amotus fuero?* &c. Prudentia hæc laudata est in villico.

Dominica IX. post Pentec. CONCIO I.

Flevit supra civitatem. Luc. 19.

PLanè ita Christus processit cum Jerusalem, sicut parens in Filium laturus capitalem sententiam plorat, & fert, commemo-

memorat beneficia & enunciat pœnam. Titus Bostren. Episc. in Luc. *Christus civitatem deflet uti & nos amicos solemus, ostendens quòd punire non desiderat, sed id invitus faciat.* Periit Jerusalem, neque ejus casum avertere possumus, animæ nostræ possumus quæ per Jerusalem significatur. Chrysost. in Catena Corderi. *Prospiciamus ne & nos Dominus deploret; nos enim sumus illa civitas deplorata Jerusalem, imò etiam illâ infeliciores, si postquam revelata sunt nobis mysteria veritatis, ac sermo salutis nobis prædicatus est, adhuc peccemus* ad quod juvabit si consideremus & amorem Christi erga nos & justitiam.

Amorem videtur majorẽ Christus erga nos ostendere quàm ergo seipsum; mors ipsi iminebat, se non deplorat, minebat exitium Jerosolymæ, deplorat. Sudavit in horto sangvinẽ sed non apprehẽsione mortis suæ, verùm ut Simon de Cassia docet, quia multi erant lapides ibi quibus Stephanus erat lapidandus. Rupert. de Operibus Spiritûs S. lib. 6. cap. 4. *Tuos ô Stephane Christus lapides numerabat, tuumque sagvinem meditabatur, hinc factus est sudor.* Propterea non de se sed de discipulis sollicitus dicit. *Ego sum, sinite hos abire* Injuriam sibi illatam non vindicat, pro nostra agit, perstingebat Pharisæus non solùm Magdalenam, sed & Christum in domo Simonis leprosi. Greg. hom. de Magdal. *Ægram reprehendit de ægritudine, Medicum de subventione,* pro illa solùm agit. Cain vilia offerendo læserat DEUM, non punitur. Peccavit servus in eum decem millium talentorum reus, dimittit: peccavit in conservum punit. Chrysost. hom. 26. in Matth. *Cum in se peccatum ad solos preces dimittit, cùm autem in conservum suam removet liberalitatem.* Occisura Christum erat Jerusalem, memorat solus Prophetarum mortes. Hæc bonitas, hic amor in nos. Videamus justitiam ex verbis Evangelii.

Venient dies in te, id est contra te quando te hostis obsidebit, ex

bit, ex domibus tuis volet pellere. Quid tunc Jerusalem? quid tunc Anima mea? Eccli. 12. *Venient dies de quibus dices non mihi placent.* Jubebunt te egredi de domo tua, instat hostis, vocabis famulos, sensus, nolent obedire, vocabis amicos, non poterunt juvare. Sentire incipies famem quam nunc dissimulâsti, fames tanta Jerosolymis fuit, Matres absumebant filios, spectabis tuos filios, tua opera, absumpta sunt bona à malis ut boves Ægyptii pingves à maceris prævalent numero, robore peccata. Cognosce modo *tempus visitationis tuæ.* Visitaverat Carolus aulicum suum ægrum, offerebat illi omnia tum æger, da Cæsar vitam Cæsar ait se id non posse tum æger. Heu mihi qui totum tempus in aula perdidi? Visitat te sæpè DEUS. Ne tardes converti, nihilominùs differt. An ista quibus servis dabunt tibi vitam? Aug. apud Fabium in Paradiso Conc. 8. § 34. *Vix è centum millibus quorum fuit mala vita, in morte Divinam indulgentiam obtinebit unus.* Greg. hom. 39. *Suam hîc diem habet perversa anima quæ transitorio gaudet in tempore, grave damnationis scandalum habebit in die aliena.*

Circumdabunt te inimici tui vallo. Ita enim fecit Titus ne aliquis Jerosolymis egredi posset. Circumdabit in morte dolor. Si enim cum anima ex digito amputato recedit, dolor est, quanto major erit cùm veluti arbor ex terra cum ejus convulsione de corpore evelletur: Ps. 114. *Circum dederunt me dolores mortis* Cognosce tempus visitationis tuæ. Spectas, audis alios morientes, hoc ipsum de te erit. Justinianus cap. 11. in Tobiam scribit. Philosophus quidam moriturus rogabatur ut doctrinam suis relinqueret, cum loqui non posset, scripsit duas cifras. Quotquot sint cifræ si numerus non addatur, nihil sunt. Quidquid habemus, si rationem nobiscum non inimus, de salute cifra est. Vide quam cifra sunt Cæsarum opes

Aug. ſerm. 48. ad Fratres in eremo. *Romæ inambulans deductus ad videnda opera Gentilium, inter cætera ad videndum Cæſaris cadaver in ſepulchro, inveni vermium catervam & dixi, Ubi nam eſt corpus Cæſaris?* Hoc eſt ipſum. *Circumdabunt te vallo* vallum fit ex terra. Homo in terram redibit, provide tibi.

Circumdabunt te, nimirum, legiones Romanæ, Græci, Arabes. Hoc factum cum Jeruſalem, tecum ô Anima quid fiet? Iſai. 14. *In occurſu adventûs tui ſuſcitavit tibi Gygantes.* Circumdabunt te ut beſtiæ dæmones Thren. 2. *Aperverunt ſuper te os ſuum omnes inimici tui, ſibilaverunt & fremuerunt dentibus ſuis, & dixerunt, devorabimus.* Noſter es, ad nos ſpectas, *iſta eſt dies quam expectabimus, invenimus, vidimus.* &c.

Coanguſtabunt te undiq; Adducent contra te ô Homo, vendidiſti te nobis noſter es, reſpondebis, pro quo vendidi? reponent pro voluptate, vindicta &c, dices, parva hæc fuerunt & tranſierunt, at illi, tantò ſtultior es qui pro re tam parva te vendidiſti. Convertes oculos ad SS. Patriarchas, at illi nos miſericordes fuimus, tu immitis locum inter nos habere non potes. Ad Prophetas, nos devoti, tu indevotus; ad Apoſtolos, nos pleni charitate, tu non. Ad Martyres, nos patientes, tu non. Ad Confeſſores, nos pænitentes, tu non. Ad Virgines nos caſti, tu non. Quis te chorus Sanctorum recipiet? quære locum? Dan. 13. *Anguſtiæ ſunt mihi undique.* Omnis ſpes tollitur. Job. 21. *Lucerna impiorum extingvetur.* Sicut in tenebris neſcies quò te vertas. *Et ſupervenit eis inundatio.* Ante æternitas, ſurſum ira DEI, ſubtus infernus, retro remanſerunt omnia.

Ad terram proſternent te & muros tuos illæ machinationes tanquam turres altæ ruunt ipſe ad terram projicieris ô terra miſera? Job. 10. *Terra miſeriæ, & tenebrarum, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Vide habitationem quam promeruiſti

meruisti. Ponebas veluti lapides supra lapides, opes supra opes, assurexerant ut murus. Greg. in l. Job. *Perversa mens dum perversæ cogitationi adhuc perversiorem adjicit, quid aliud quàm lapidē supra lapidem ponit, sed dum ad ultionem ducitur, omnis constructio dissipatur.* Et ut dissipetur sufficit ad hoc, cogitatione peccâsse. Scribit Paulin. in Itiner. paradisi serm. 11. de quadam vidua in pauperes liberali, devota, & vulgò credita sancta. Hæc semel conspecto viro complacuit sibi in eo turpiter, & quia paulò post aversata, & non accessit actus externus, nunquam id confessa. Mortua deinde, jussu Episcopi in sacello templi deposita velut sancta. Nocte insequente surgit Episcopus ut oret Matutinum, & ecce totum illi videtur sacellum esse in igne, accurrit & ecce viduam videt à dæmonibus assari in crate. Adjurat, respondet illa se damnatam ob causam supradictam. Aliud refert Biderman. lib. 2. acromate 4. Adolescens assuetus molitiei, confitebatur & relabebatur, consilia vitandi exequebatur, sed frigidè, per morbum adductus ad agonem rite expiatus, moritur omnes sperant bene, sed sacerdos qui illum præparaverat ad mortem dum pro illo oblaturus progreditur ad altare, à manu nō visâ per fimbriam retrahitur, nihilominùs procedit sed dum conatur sacrum incipere. Audit vocem ex fumo quodam predeuntem, *relinque.* petit, quare? respondetur, dum moriens luctor cum dæmone, voluptas mihi occurrit peccati, & eam si vicissem, beatus essem, sed complacui & damnatus sum. Chrysost. in catena Corderi in Luc. 19. *Etsi enim longo tempore quis rectè vixerit, & alios ad virtutem informârit, vincatur tandem, destruetur domus ejus.*

Filios tuos in te impletum est hoc, quando Romani quærendo aurum, scrutabantur Judæorum viscera, quando triginta uno denario vendebant. Fortassè implebitur in Anima

quod Isai. 14. *Præparate filios ejus occisioni.* Quando opera quæ putabat viva apparebunt mortua: quando putabat se habere aurum & reperiet plumbum. *Annos comedit bruchus, locusta.*

Non relinquunt lapidem supra lapidem. Ut non sit spes reparandi. Impletum in illa urbe, quam postea dum Julianus apostata, ac præcipuè templum reparare vellet, ignis erumpens ejecit lapides è fundamentis. Non licebit in æternùm reparare! Aug. in Ps. 36. conc. 2. *Quid appendis cum infinito quantumcunq; finitum, decem millia annorum, decies millies centena millia, si dicendum est, millia millium? quæ finem habent cum æternitate comparari non possunt.* Ergò si causam semel perdidisti, nunquam reparabis! nunquam? Bonav. de inferno cap. 49. Haberent solatium magnum damnati, si annis singulis centenis unam lachrymulam funderent, esto tamdiu manerent in igne, totum hoc universum donec implerent. Sed lapis supra lapidem non relinquetur. Lapides apud Romanos signum erant finiti milliaris. Non erit lapis qui finem indicet. Aug. in Ps. 2. *Quidquid æternum, est semper est.* Apoc. 9. *Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.*

Agnoscamus tempus visitationis nostræ, dum ad hoc pulsat, dum vocat ad pœnitentiam, &c.

Eadem Dominica CONCIO II.

Flevit supra civitatem. Luc. 19.

Planè DEUS sicut parens dum filios considerat, ex hoc habebo solatium. Es. 3. *Lætabitur in operibus suis.* Ex hoc habebo planctum, & flet supra Jerusalem, sed cur fles? nihil hoc proderit isti urbi, nihilominùs flet, & ita ut Micheæ 1. *Super hoc plangam & ullulabo, vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum quasi struthionum, quia desperata est plaga ejus.* Periit Jerusalem, tamen lachrymæ tuæ Christe sine fructu esse non potuerunt, scrutabor hunc

hunc fructum, & vobis proponam ut ex eo fructum aliquem capiatis. Nihil mali, ne peccatum quidem, ut docet Aug. permitteret DEus nisi ex eo bonum fructum sciret elicere. Vendi permisit Josephum, Euchar. in 1. Gen. *Venditus ne adoraretur, & ideò adoratur, quia venditus*. Cur stella magos duxit. Quia ut scribit S. Remig. *Chaldæi stellam pro DEO colebant*, ex illorum idololatria hic fructus, &c. permisit Moysen in mari ejici, & per eum liberat populum &c. Flevit ergò supra civitatem à qua mala poterat avertere. *Virtus de illo exibat & sanabat omnes*. Omnia habent suas infirmitates. Sanavit in cœlo Angelos dando præservantem medicinam ne peccarent, qui non peccârunt. Dedit eandem hominibus in paradiso ne post peccatum, ut merebantur, omninò interirent, & quia propter peccatum, etiam sol, luna, in pœnam hominis debuissent omni luce privari, servavit in illis septimam lucis partem. Non sanavit Jerosolymam ut abduceret & homines à præsumptione de sua misericordia, ne spe veniæ peccenr, spe confessionis, maximè in eadem relabantur. Videant pœnam in Jerusalem quæ in homicidia Prophetarum, in contemptum morientium relabebatur. Omnia tamen dedit illi priùs ad resurgendum sufficientia, sed noluit quædam facere, sicut non creat aquam, ut infans baptisetur, qui defectu aquæ non baptisatus peribit, alioqui nemo à peccando vellet desistere, quod DEUS & possit illum solvere, & habeat modos illum salvandi, si nesciret, non omnibus modis ut DEUM ad salutem nostram omnium quibus uti posset, Sed illis quibus homo si velit salvari possit. Si verò hoc metu non continerentur homines, quæ non scelera essent in mundo? cùm quisque persvaderet sibi se certò salvandum. Dum etsi è peccatis nollet surgere? Et hic est primus fructus à quo totius mundi pendet salus & integritas.

Secundus fructus, cùm asserit venturum sangvinem Abelis mortui ante aliquot millia annorum, supra Jerosolymam, mox patebit, ubi priùs solverimus. Quomodo Jerusalem pati debuit pro Abele, cùm nec in mundo fuerit quando ille occisus? si fuerunt illius majores, scriptum tamen est, *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Sed ita DEUS procedit sicut aliquis Princeps. Rebellavit contra illum aliqua civitas, pepercit; mortui sunt etiam qui rebellârunt. Filii mortuorum iterum rebellant, & his parcit, & isti morte suâ decesserunt. Nepotes mortuorum iterum rebellant, tùm dicit Princeps, quamdiu patiar? punit civitatem, evertit &c. Sed jam non punit pro peccatis Avorum, quia si Nepotes non peccavissent suo peccato, non illos puniret, sed tamen Majorum peccata aggravant peccatum Nepotum; quia sciebant DEO suorum Majorum crimina displicuisse ut illis Prophetæ proposuerunt, sciebant subinde aliquos ex illis à DEO castigatos, sciebant DEUM ideò cum majoribus dissimulasse ut Nepotes meliùs agerent, sic sangvis venit in Jerosolymam: sciebant ob illum fuisse Cain punitum &c. sciebant Prophetas innocentes occisos & cædem illorum DEO ingratam &c. tamen hæc eadem faciebant, puniti sunt pro suis delictis sed quæ majorum peccata aggravârunt. Hinc sumat v. g. luxuriosus fructum. Orbis submersus propter luxuriam, Sodoma exusta, &c, *Venit super eum omnis sangvis* totius Orbis & Sodomæ, sumat fructum homicida, avarus &c. Et hinc posteriora peccata graviùs puniuntur. Qui occiderit Cain punietur septies, qui occiderit Lamech punietur septuagesies septies &c. Et supra Jerusalem plura sunt adducta mala quàm supra alios qui Prophetas occidebant. Passa cædes mutuas, discordias, hæreses, falsos prophetas, templi violationem, eversionem, ac sacrorum perpetuum interitum, ludibria, captivitatem incendia, pe-

dia pestem, bellum, latrocinia, & fortè quidquid malorum unquam reperiri potest. Hinc videas quid timere debeat luxuriosus saltem post mortem. quando infernus omnes pœnas mundi sine comparatione superabit, videat homicida, videat &c. & cognoscat tempestivè tempus visitationis suæ, *ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.*

Tertius fructus, ut cognoscamus bonitatem DEI qui invitus castigat. Cùm mundum puniturus esset diluvio, *tactus dolore cordis intrinsecus.* Cùm Sodomam, dat Abrahæ occasionem ut interveniat, & si unus justus fuisset repertus in illa Pentapoli, ait S. Hieron. quòd DEUS pepercisset. Agit sicut Mater filium castigatura quæ circumspicit si fortè aliquis pro illo intercedat. Agit sicut aliquis vir fortis provocatus ad pugnam à debili, excusat, deprecatur certamen ne debilem vulneret, sed cùm hic nimiùm instat, tandem prodit. Plorat sicut ille cui putre membrum est abscindendum.

Sed quis scit, an non supra aliquem etiam nostrûm ploret, & postquam nihil obtinuerit, paret plagas quas inflixit Jerosolymæ. Venient dies in te qui differs pœnitentiam, quando sicut Jerosolymis turbabuntur in te omnia, pugnabit calor cùm frigore, siccitas cum humiditate, oculi non percipient lucem, venæ obstupescent, &c. Venient latrones, quos Lucifer contra te submittet, illi te canculùm assilient. Veniet fames, cogêris pessimis tuis filiis malis operibus vesci. *Vomitu ignominiæ tuæ potabit te.* Prosternent te ad terram, eris putridum cadaver, *subtus te sternetur tinea, & vermes erunt operimentum tuum* hic lectus tuus, hæc quies in inferno! Cognoscite, cognoscite, tempus visitationis vestræ. Amemus hunc tam bonum Dominum & ejus bonitate non abutamur. Non simus ut ille de quo Job. 15. *Tetendit adversùs DEUM manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est, cucurrit adversùs eum*

tum erecto collo. Sed quis pugnæ eventus, quando ex una parte Omnipotens, ex altera qui manum movere non potest nisi Omnipotens moveat illam? Quando ex altissima turri teneo manu aliquem in aëre, & ille vult è manu dimitti & ad hoc me provocat? Quando ex una parte omnes Angeli, Creaturæ, dæmones; ex altera statua ex luto fluente formata? quando ex una mons saxeus, ex altera olla fictilis? Quis eventus facilè ipsi colligetis. Et, pro quo pugnat homo? ut ardeat in æternum &c. Videte nihilominùs bellum peccatoris. Christus totâ suâ substantiâ unam pretiosam margaritam comparavit, animam nostram, illam peccator conculcat. Christus ut verus Dominus præcepit, ille si non verbis reipsâ dicit, non obediam. *Nolumus hunc regnare super nos.* Et ita illi civiliter vult tollere vitam, cùm eum privat suâ dignitate quantum est in se. Christus comparavit pretium quo se ab inferno redimere possit, non vult illo uti peccator. *Intelligite insipientes & stulti aliquando sapite.* Videte quid agatis. Descripsit hanc rebellionem & eventum ejus. Sophon. 2. *Hæc est civitas gloriosa quæ dicebat in corde suo, ego sum, & extra me non est alia. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ.*

Domin. X. post Pentecosten CONCIO.

Duo homines ascenderunt in templum &c. Luc. 18.

DUo ascenderunt in templum. Pharisæus plenus bonis operibus. *Jejuno bis in Sabbatho.* &c. Publicanus nihil horum attulit, tamen hic misericordiam obtinuit non ille, & tamen prior videbatur omnia habere ad obtinendam gratiam, Publicanus nihil. Dicam quæ ars defuit Pharisæo & quâ usus Publicanus.

Ascendet homo ad cor altum, & exaltabitur DEUS. Hanc ratio-

rationem tenet DEUS, ut Aug. in l. c. est altus, sed si te exaltes, ille se magis exaltat ut ad eum pertingere non possis; si te deprimas, ita se demittit, ut eum tenere possis. Sciebat hanc DEI indolem Abraham cùm benedictionem ejus & prolem optaret. Venerat ad illum Deus in tribus Personis Gen. 18. Proponit illum ut erat dives, omni excipere humanitate, apponere mensæ vitulum &c Et quid ait dum eum invitat ad mensam? *Ponam buccellam.* Extenuavit sua, quasi totum convivium esset buccella. Abulen. *Loquitur humiliter non jactans res suas.* Et hac arte quod optavit, obtinuit, Cant. 6. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Capilli ut S. Bern. sunt cogitationes. Has ita viles de se habuit sponsa quasi essent caprarum. Nihil se putabat altum sapere, sed quid factum? *ascenderunt de monte,* mons conscenditur, de monte descenditur. Richard. à S. Laurent. lib. 4. *Ascenderunt, licet descenderunt, quia hujus descensus in oculos suis ante oculos DEI erat magnus ascensus.* Demisit se, & DEUS ad illam descendit, & se capi permisit qui est magnus ascensus. Ne verò quenquam hoc DEI arcanum lateret, statim ab initio cùm homini victum provideret, patefecit illud, ut simul cum cibo occurreret Gen. 2. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, ut sit Vobis in escam,* Et statim addit. *Et cunctis jumentis terræ.* Scias quod sis comparatus jumentis & in quantum es animal ab illis non differs. Oleast. in l. c. *Ut si quando te imago DEI extolleret, pulvis reprimeret,* Cera non desinit esse cera, etsi imago Regis imprimatur, neque tu desiisti esse terra etsi tibi impressa DEI imago. Æquè est lutum & in Principe & in mancipio, vide post mortem utriusque an discernes?

Hæc virtus defuit Pharisæo, unde ait. *Non sum sicut cæteri.* Hæc abundavit in Publicano unde nec oculos ausus in

cœlum attollere. Qui vult scientiam consequi, debet studere: qui vult artem aliquam, debet se in illa exercere: sed qui vult DEI misericordiam debet se humiliare. Misericordiæ objectum est miseria, sed quomodo ille miseriam ostendit qui dicit. *Dives sum, & nullius indigeo?* Scit DEUS quod tu sis miser & miserabilis, imò & stultus cùm dicis, *Dives sum*: sed gerit se ita acsi nesciret priusquàm tu hoc ipsum sincero corde proposueris, & cùm illi proposuisti tuum nihil, jam putat suam rem agi, illi proprium est ex nihilo creare, jam ex nihilo tui creat sua in te beneficia. Cùm audit Davidem, *Ego sum servus tuus & filius ancillæ tuæ.* Exaltat thronum ejus in Christo usque in sempiternum. Cùm Abrahamum. Ego *sum pulvis & cinis*, Patrem illum populorum facit. Hinc Sancti etiã dona quæ à DEO habebant, abscondebant: & solas miserias suas oculis ejus objiciebant, & sic majoribus gratiis replebantur. S. Paulus 2. Cor. 12. cùm necessitate adactus de donis DEI sibi collatis loquitur, ita tegit, acsi de alio loqueretur. *Scio hominem ante quatuordecem annos raptum &c.* Abulen. in 4. Reg. 4. quæst. 15. *Post quatuordecem annos primùm dicit suos raptus.* Tamdiu illos siluit. Si videant aliquem in peccatis ipsi se majores reputant peccatores. Si ex officio errantem corrigant, ipsi in se plura reprehendenda. E contra Pharisæus non respexit mala quæ habuit sed sola bona, & DEUS ab illo procul se exaltavit. Hoc ipsum acciderat amicis Job sua bona extollentibus de quibus Greg. in Job 44. *Ecce præcipiti locutione perdiderunt bonum quod tanto labore mercati.* Laceraverant suas vestes ex compassione supra Job &c. perdiderunt meritum. *Non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job*, Ite, rogate, ut pro peccato vestro offerat & me placet.

Parùm est quòd sua bona ostentans, nova non accipiat, sed

ſed etiam iis quæ habuerat, privatur. Videat aliquis pauperem ſine tecto, ſine lare, non habentem ubi caput reclinet, concedat illi ad habitandum ſuam domũ quâ non eget. Si pauper jactet domum illam eſſe ſuam, de illa tanquã de propria contra mentem divitis diſponat, claudat feneſtras ubi ſunt, aperiat ubi non ſunt. &c. Certè recipiet ab illo domum dives. O homo, *quid habes quod non accepiſti?* non tua ſunt, data ſunt ut talenta, ut ex illis fructum facias, & ſi non feceris, & tollentur, & te pœna manet. Dona DEI ſunt bona fortunæ *Domini eſt terra.* Dona, ingeninm, eloquentia, &c. Joan. 9. ait Chriſtus. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, qui vident cæci fiant.* Luc. 12. *Cui plus datum plus requiretur ab eo.* Idem eſt de virtutibus, devotione, caſtitate &c. 2. Cor. 5. *Non quòd ſimus ſufficientes cogitare à nobis tanquam à nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra à DEO.* Nec unam cogitationem ſalutiferam à nòbis habemus, & quòd ad bona agenda ſufficientes ſimus, à DEO eſt: ſi te extuleris de his quæ dedit, ſi non juxta ejus placitum uſus fueris, tollet tibi. Scribit Spondanus de quodam Doctore Theologo Pariſien. qui cùm egregiè de Chriſto D. diſputâſſet, domum reverſus, putando ſe nimis multùm pro Chriſto feciſſe & in hoc complacendo, quædam dixit tanquam illi propterea Chriſtus deberet multùm. Subitò omni ſcientiâ privatus, ita manſit deinceps rudis, ut ne quidem *Pater noſter, &c.* dicere poſſet niſi præeunte puero. Multa ſimilia de divitibus ſunt exempla, ut illud de Nabuchodonoſore. *Nonne hæc eſt illa civitas magna Babylon quam ædificavi*, Et tamen non ille ædificaverat, ſed Semiramis. Audit. *Ut bos fœnum comedes.* Et ita factum &c. Sed Phariſæus ſit inſtar omnium. Habuit bona opera, neque enim falſum dicere auſus fuiſſet. *Jejuno bis in Sabbatho, &c.* quid contigit? non eſt juſtificatus, abiit damnatus. Imò ne fidem, quæ eſt fun-

damentum omnium superbis dignatur dare DEUS. Dixit, Christus, *quomodo potestis credere qui ab invicem gloriam accipitis?* Et si antea fidem habuerint labuntur in errores, ex superbia enim procedit hœresis.

Jam quod ad nos spectat, cogitemus duos in mundo esse, Duces, ad alterius signa necessariò est transeundum. Christus ad se vocat. *Discite à me quia sum mitis & humilis corde.* Lucifer *ipse est Rex super omnes filios superbiæ* vocat ad se, me sequamini. *Ascendam ad latera Aquilonis & similis ero Altissimo.* Quemnam ex his volumus sequi, an cum Publicano Christum! &c. Si Christum sequi volumus, ille *ascendit in altum*, & nos ascendemus: Si Luciferum, *illi paratus ignis & Angelis ejus*, à quo nos DEUS præservet.

Dominica XI. post Pentec. CONCIO

Adducunt ei surdum & mutum Marc. 7.

MEdici humorem peccantem, Astrologi syderum influxum, pro causis morbi ponunt, Si tamen quæratur quis eam dedit vim syderibus, quis humori? ad DEum recurrendum, itaque DEus est causa ultima morborum eos infligit, prout vide. Eccl. 38. *Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus Medici*, ægrotabit. Sic recusanti jejunare imponit ut Medicus præscribat diætam: respuenti mortificationem, ut toleret scartificationes, ustiones: acedioso, vigilias: lubrico inducit febrim; cui Medicus præscribet sanguinis minutionem, sitim, &c. cùm ergò DEUS sit ultima, morborum causa, ipse etiam illos curat. *Si nos ipsos judicaremus, non judicaremur utique, dum autem judicamur à Domino corripimur.* Duos morbos hodie curavit, Rogabimus Dominum, ut eorum causas amoveat, & faciet si ejus digitos quibus hodie sanat adhibuerimus.

Lon-

Longum esset omnes morbos prosequi, in duobus hodiernis sisto. *Adducunt ei surdum.* Hunc morbum rariùs corpori, sæpiùs animæ DEus permittit, cum ad ejus verba sumus surdi. Clamat *agite pœnitentiam*, resipiscite non audimus. Imponat jam ille auribus nostris digitum suum. Offensus fuit justè David Nabali, placavit Davidem Abigail, pepercit David. Quid tamen additum. *Fiant sicut Nabal inimici tui.* Quia Nabal dormiebat dum Abigail oraret, relicta super eum maledictio. Offendimus, orat pro nobis Ecclesia, dormimus. Ecce digitus DEI. *Fiant sicut Nabal, &c.* Non puta jam expiatum, ipse evigila, qui petis ut pro te alii orent. Tum vis pænitere quando ad Judicem ducéris. S. Alcimus. *Pœnitet ambiguè qui serò pœnitet.* Fassus suum furtum Achan, tamen jubet DEus illum lapidari. Judic.5. Cur non pepercit? Rupert in Josue 21. *Non tamen ullam mereri veniam debuit, quia confessio nimis tarda fuit:* quando scilicet jam deprehensus, ita & Virgines fatuæ, cùm clamor jam factus. *Date nobis de oleo vestro.* Et sunt à cælo exclusæ, hæreat tibi hic Christi digitus in aure qui differs converti. Alii, si confessi sunt jam non putant opus esse pænitentiæ vacare. Unde si illis de pænitentiæ operibus dicatur, sunt surdi. Sed sæpè in confessione satisfactio imponitur, non tam quòd per illum pro omni pœna sit satisfacturus. Sed ut Sacramentum omnes suas partes habeat, & dimissâ culpâ vix aliquid est diminutum ex pœna. Prævidit hoc qui dixit. *De propitiato peccato noli esse absque metu.* Sublata fuerunt per Baptismum, qui totam culpam & pœnam tollit, peccata Paulo, tamen metuebat. Commemorabat sibi jam post annos 23. quæ fecerat in Stephanum, quæ in alios 1.*Cor.*15. *Persecutus sum Ecclesiam DEI.* Baptismo eluit peccata Aug. & tamen stabant præ oculis delicta juventutis. Unde Serm. 62. de Verb. Dom. *Nos*

Nos qui vobis videmur de superiore loco loqui, sub pedibus vestris sumus. Sciebat sibi David omnia dimissa peccata: quia dimissum illi adulterium, & per Nathan id denunciatum, unum verò mortale absq; alio non dimittitur proinde omnia dimissa: tamen orat, Ps.50. *Amplius lava me ab iniquitate mea.* Quare? *Peccatũ meum contra me est semper.* Mittatur in aurẽ digitus Christi, iste est qui scripsit peccata, etiam illa quæ non putabant se habere qui adduxerant adulteram, Joan. 8. Sunt enim non pauca talia. Paulus ait. *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus, Dominus est qui judicat.* Multa advertit quæ nos ob nostram negligentiam non advertimus: non frustra David. *Ab occultis meis munda me.*

Alter morbus est esse mutum, hic immittitur illis qui nolunt rectè loqui. Origen. in 4. Exodi. *Eorum qui verba DEI loquuntur DEus os aperit.* Hic adstat ori bona loquentium, adstat Diabolus mala loquentibus, & de lingua eorum facit laqueos pro aliis capiendis. Laur. de disciplina cap. 13. *Cavendum est ne efficiamur laquei diaboli.* Loquitur de lingua. Nam cùm detractor loquitur, audientes capiuntur, dum ei assentiuntur. Bern. de tripl. custodia comparat hanc linguam lanceæ quâ Christi latus perfossum, quia occidit membra Christi, idque viva. Quid linqua pungens? Psalm. 63. *Protege me à conventu malignantium &c. quia exacuerunt in me linguas.* Considerat hæc verba in persona Christi dicta Gilbert. serm. 20. in Cant. & ait. *Horret magis linguæ stimulos quàm aculeos spinarum.* Quia dum spinis coronaretur siluit, dum in eũ in Cruce linguæ blasphemæ sævirent, clamavit. *DEus, DEus meus, ut quid me dereliquisti!* unde Cypr. in l. c. *Clavis terebrantibus pedes non quereris, sed satagis, ut innotescat, quare derelictus à DEO videaris, expositus contumeliis & ludibriis.* Et quia hoc detractionis peccatum, ut docet S. Thom. ex suo genere

est

eſt mortale, neque dimittur niſi quod per linguam ablatum eſt, reſtituatur, Eccleſ. 28. *Attende ne fortè labaris in lingua & ſit caſus tuus inſanabilis.* Quia raró admodùm fit reſtitutio. DEus ad hoc nos cum lingua creavit, ut cùm ipſi laus deceſſerit per lapſum Angelorum, & decedat quotidiè per blaſphemias infidelium, per noſtras linguas compenſetur, & nos ſæpè jungimur maledictis dæmonibus, de quibus poteſt dici, quòd per linguas noſtras loquantur, cùm Chriſtus dixerit de loquentibus laudes DEI. *Non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri.* Sic etiam cùm blaſphemias, calumniatoribus dixerit Chriſtus. *Vos ex Patre diabolo eſtis* Spiritus Patris eorum loquitur in eis, hæc lingua cùm DEO auferatur juſtè punietur, ſi muta reddatur, ut campana S. Rigoberto Epiſc. Remenſ. furto ſublata, quàm propterea perpetuò juſſit eſſe mutam. Ut Rolland. in ejus vita. Alii ſilent cùm loquendum eſt, neque hi ſunt absque culpa. Greg. hom. 9. *Habens alloquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, ſi cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedat.* Quid de illis qui habent vocem in Comitiis, in judiciis, & ſilent dum Eccleſia, vel juſtitia opprimitur? Ambroſ. 3. de Offic. *Si pro otioſo verbo reddemus rationem, videamus ne & pro otioſo ſilentio.* Si pro noxio alicui verbo damnabimur, quidni & pro noxio ſilentio? Iſaiæ 6. quia Oziam cùm oportebat non reprehendit, calculo ignito quem tulerat Angelus forcipé, os repurgatum. Unde *Væ mihi quia tacui.* Eſth. 4. dicitur Eſtheri: *Si nunc ſilueris, tu & domus patris tui peribunt. Dominus autem inveniet alium per quem liberabit populum ſuum.* Et invenit, & illos qui ſilebant jubet obmuteſcere, ut domus eorum deinceps non compareat in publico & ſine voce publica fiat. Oppreſſio innocentis non ſolùm fit voce, ſed & ſilentio. Talium lingua manu Chriſti eſt tangenda. Manu ullâ quæ Marci 5.

ci 5. tenuit manum puellæ mortuæ, meminerint novissima, ac præcipuè quid de illis fiet in ultimo judicio, ne super illos manum suam aggravet Dominus, *terribile* enim est *incidere in manus Dei viventis*, qui ferè severiùs vindicat peccata in proximum quàm in se commissa. Orabis ipse aliquando misericordiam, & Christus non respondebit, & reddet silentium pro silentio. *In qua mensura mensi fueritis*, *&c.* Non sola peccata commissionis sed & omissionis judicantur, ut patet ex Matth. 25.

Dominica XII. post Pentec. CONCIO I.

Quidam homo descendebat, &c. Luc. 10.

QUòd per hunc hominem descendentem ab Jerusalem in Jericho intelligendus sit homo ex bono statu transiens in peccatum, omnes in hoc P.P. consentiunt. Origen. hom. 34. in Luc. *Homo qui descendit ab Jerusalem, id est, de statu justitiæ, in latrones incidit.* Tit. Bossren. *Dæmones hominem illum temperantiâ, fortitudine, cæterisque virtutum indumentis miserè exutum, peccatorum vulneribus sauciatum, semivivum reliquerunt, &c.* Transiit Sacerdos Mosaicus & Levita, nihil profuerunt, quia Galat. 4. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Samaritanus curam suscepit. Quia *Samaria recepit verbum DEI Christum.* Semper tales sunt descendentes in Jericho, opus semper curatione, parabo illis vinum & oleum.

Sylva fuit dicta *Adonium* hoc est, locus sanguinum, propter crebra latrocinia, hâc viatori isti eundum erat ex Jerusalem in Jericho. Cur se tanto periculo commiserit, non ponitur alia causa, nisi *descendebat*, sic voluit. Job. 34. *Quasi de industria recesserunt à DEO, & sequi vias ejus noluerunt.* Valedixitnè saltem amicis? dissuasissent certò id iter, ostendissent

ſent pericula, cur ſine cauſa deſerit Jeruſalem? Jer. 2. *Quid Patres veſtri iniquitatis in me invenerunt, quia elongaverunt à me?* Vide qualis ſit via? Pſalm. 34. *Viæ illorum tenebræ & lubricum & Angelus Domini coarctans eos.* Nihil horum reticet viatorem, vadit, & contigit illi ut Job in ſe factum lamentatur, cap. 16. *Ego ille quondam opulentus repentè contritus ſum, tenuit cervicem meam, confregit me: & poſuit me ſibi quaſi in ſignum. Circumdedit me lanceis ſuis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terram viſcera mea, conſcidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gygas.* Hic ſtatus miſeri viatoris. Ubique vulnus, cui priùs parti affundam oleum & vinum? Lego. *Omni cuſtodiâ, cuſtodi cor tuum, ab ipſo enim vita.* Scio etiam quam perículoſa vulnera capitis, ab his duobus cura incipiat.

Multa peccatori infliguntur vulnera. Subtrahuntur ſpecialia Dei auxilia, Opera bona mortificantur, fit reus inferni, exul cæli, debilis in reſiſtendo tentationibus, &c. Sunt & aliæ pœnæ, morbi, peſtes, fames, ſed graviſſima ſunt duo in capite, hoc eſt in intellectu, & in corde hoc eſt in voluntate. De intelle. Sap. 6. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* De voluntate, Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Et licet hæc duo vulnera præcipuè per originale ſint inflicta, tamen per quodvis peccatum recrudeſcunt. Utriusque vulneris videntur exempla poſita in hoc ipſo Evangelio. Quoad intellectum: Legisperitus neſcit quis ſit proximus, omnia alia ſcit, quæ ſunt ad ſalutem neſcit. Quoad voluntatem. *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* Sciebat bene quid in lege ad eam poſſidendam fuerat præſcriptum. *Diliges &c.* hoc ipſum eſt in Sacerdote, ſciebat enim Iſai. 58. *Cùm videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris,* tranſivit. Legisperitus

LIII testans

tentans proposuit. Jam ad vinum & oleum. Greg. 20. Moral. 8 *Vinum adhibetur & oleum, ut per vinum mordeantur vulnera, & per oleum foveantur: quatenus quisq; qui sanandis vulneribus praeest, in vino morsum districtionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinũ mundentur putrida, per oleum sananda foveantur.*

Quod attinet intellectum, an pauci sunt qui sciunt quid sit faciendum, & agunt ac si nescirent, sciunt 1. Cor. 13. *Si habuero omnem scientiam &c. charitatem non habuero, nihil sum.* Tamen ita illam curant atque si de illa nihil scirent. De his Jerem. *Sapientes sunt ut faciant malum, bonum autem facere nesciunt.* Eminent scientiâ supra cæteros, sed ut camini pleni intus fuligine. Sunt ut epitaphia in templis ornatiora parietibus, sed plena intus mortuorum ossibus. Sunt ut turres altæ, sed quas nemo incolit. Sunt arbor illa vasta, Dan. 4. Sed sub qua bestiæ stabulantur, non homines umbrâ fruuntur. Quod vinum huic vulneri? *Scienti & non facienti peccatum est illi.* Non excusantur, & ut contra modò dictam arborem fertur decretum. *Succidite arborem, discutite folia, dispergite fructus.* 2. Reg. 16. Achitophel eâ fuit prudentiâ ut dictum sit. *Consilium Achitopel quasi quis consuleret DEum.* Sciens peccabat contra Davidem, etsi odium illius scientiam obscurabat, suspendit se. Fabri per centum annos ædificantes arcam Noë sciebant de venturo diluvio, non egerunt pœnitentiam, perierunt aquis, Sapientiæ 6. *Excæcavit eos malitia.* Debet homo invocare lumen Spiritûs S: debet collaborare illustrationibus Divinis, & tenebræ minuentur in intellectu, vulnus procedet ad sanitatem. Sed si egerit negligenter, ex peccato in peccatum procedendo tenebras augeat, peribit. Gratia DEI nulli deest, & eam facienti quod in se est, DEus non denegat. Hoc est oleum, quia in nobis est omne lumen & dabitur, arripere oblatum & augebitur. Datur quidem primò etiam non

non orantibus, sed respui non debet, etsi homo faciat quod ex se est, licet subinde erret, consequetur misericordiam. Fecit Paulus quod in illo erat, erravit nondum obtento lumine, condonatum est illi, 1. Timoth. 1. *Qui priùs plasphemus fui & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam DEI consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Alterum vulnus est in voluntate, ut volentes bonum non velimus efficaciter, & loco voluntatis sit velleitas. Prov. 26. *Piger in lectulo suo sicut ostium in cardine.* Proponit vitam meliorem, sed ad priorem redit, in cardine est. *Impii in circuitu ambulant.* His pro vino sit. Rom. 2. *An divitias bonitatis Dei & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurisas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei.* Ponis in thesauro quoties vocantem Deum spernis, hodie duos, cras tres &c. tales contemptus, aperietur deinde thesaurus, quantus erit cumulus? Perveniet ad peccatorum mensuram ultra quem te DEus constituit non tolerare, ita Antiochus 2. Machab 9. aggerebat peccata, habebat interim DEI instinctus, nam & vovit etsi non sincero corde sacra vasa se templo redditurum, fidem veram suscepturum &c. quid verò factum? *Orabat scelestus DEUM à quo misericordiam non erat consecuturus.* Quia dum antea sperneret instinctus, neque modò verè orabat. Debet esse dolor supernaturalis de peccatis ad quod gratiâ DEI opus, deberne tibi hæc gratia dari qui toties illam sprevisti? dabitur tamen. Sed raró obstinatis contigit illa, &c. Damianus scribit de quodam, qui se dæmoni inscripsit cum eo pacto, ut triduò antè ab illo de morte præmoneretur, præmonitus est, sed quoties cum illo aliquis de salute agere cæpit, toties somno obrutus profundo, & sic miser periit. Beda hist. Anglic. lib. 5

cap. 15. Proximus agoni quidam videbat apertum infernum, & in eo Caipham, ac locum sibi paratum. Monitus ut pæniteret, respondit: *Non est mihi jam modò tempus vitam mutandi cùm ipse viderim jam judicium meum completum.* Quocirca monet, Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Pro oleo sit huic vulneri Psalm. *Misericordia superexaltat judicio.* Oleum natat in vino.

Sunt & alia vulnera in hoc viatore, sed his præcipuis curatis faciliùs sarabuntur, illius tamen oblivisci non decet moniti, quod dedit Bern. Serm. 44. in Cant. *Frustrato suavium oleo monitorum, oportebit sanè uti mordacioribus medicamentis, & vinum compunctionis infundere.* in sanando admove DEI misericordiam, sed simul & justitiam.

Eadem Dominica CONCIO II.

Diliges Dominum DEum tuum, &c.

ACcessit petens à Christo, quid faciendum ut vitam æternam possideat. Christus in Compendio: *Diliges, &c.* Hoc possibile monstrant exempla illorum quos laudat Scriptura, in hoc Lex, Prophetæ. Et hoc sumo ad explicandum.

Tria sunt in nobis sub Compendio, scire quid faciendum, velle id facere, & facere, & hoc respondet illi. *Diliges, &c.* In Lege naturæ sensu visûs utebantur ad salutem, Rom. 1. *Invisibilia DEI à creatura mundi per ea quæ facta sunt conspiciuntur.* Videbant stellas procedentes, in his nulla sunt signa vitæ quam habent animalia, nec enim pascuntur, nec dormiunt, &c. Neque etiam sunt puri spiritus; quia non viderentur, itaque est aliquis qui ducit eas. Videbant elementorum dispositiones, emergit aër ex aqua, terra infra aquam descen-

descendit, unde hæc vis illis? Non à seipsis, alioqui aër vim haberet etiam descendendi infra aquam, est igitur aliquis qui hanc vim illis indidit. Viderunt malis bene in hac vita succedere, bonis sæpè malè. Si ergò aliquis est, qui stellas & elementa regit, etiam malos puniet, bonos remunerabitur, debet enim esse ille quid perfectum & supra alia potens. Ad perfectionem spectat ut velit punire, hoc enim est justitiæ; ad potentiam ut possit. Igitur punit. Igitur credebant DEUM esse, & bonorum ac malorum remuneratorem, & hoc illis sufficiebat ad salutem. Postea in lege scripta successit modus perfectior cognoscendi Deum, scilicet per intellectum, & quia hic nihil potest attingere in hac vita nisi quod aliquis sensus cognovit, ex visu verò non potuit cognosci Deus nisi esse, & justus, & aliqua attributa ejus, quæ in rebus videri possunt, videri verò non potest, ut est Trinus & unus, oportebat ut hæc nobis aliquis infallibilis de cælo veniens denunciaret, denunciavit Dei Filius. Hinc *fides ex auditu, auditus per verbum Dei.* Quia verò intellectus noster in rebus obscuris, & quæ illum superant, assentiri non potest, potest, nisi voluntas illum determinet. Obscura verò sunt & supra captum fidei nostræ mysteria. Trinitas videtur pugnare contra illud principium. Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Paternitas verò Patris est idem cum una indivisa essentia: Filiatio Filii est seu Persona est idem cum eadem essentia, non tamen Pater & Filius sunt idem. Contra incarnationem illud videtur esse. *Infiniti ad finitum nulla proportio.* DEus est infinitus, natura humana est finita, secum tamen sunt unita. Contra existentiam Christi in Eucharistia illud. *Locus debet commensurari locato.* Christi corpus est trium cubitorum v. g. quomodo est totum in parva hostiola? Voluntas determinat intellectum. Assentire, Deus dicit qui nec falli nec fallere potest, & ita intelle-

lectus se reddit captivum fidei, illam sibi præponendo, atque sit appretiatio DEI supra omnia, & diligitur ex tota mente propter voluntatem ad assensum determinantem. Suadet 2. Cor. 13. *Vosmetipsos tentate si estis in fide.* Quis credens de se dubitet? Salvian. lib. 1. de gubernat. *Fides est DEI mandata servare.* Credimus verbo, sed non semper facto. Dicit nobis aliquis noli hâc viâ ingredi certò peribis, si perire nolumus & tamen ingredimur, quis dicet nos credere, sed potiùs simulare fidem? Dicit Deus, dicit Christus. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Dicimus nos ad vitam velle ingredi & mandata non servamus. Si pœnitentiam non egeris peccator, peribis. Dicimus nos nolle perire, & pœnitentiam non agimus &c. Salvian. lib. 2. de Ecclesia: *Si crederemus futura* supplicia, *evitare deberemus: Si non credimus Christiani non sumus* Gregor. homil. 16. *Ille verè credit qui exercet operando quod credit.* Quid ad hanc fidem nostram Ethnici? Dæmones credunt per virtutes adiri cælum, sed ipsi illas non faciunt. Job. 46. *Absorbebit fluvium & non mirabitur.* Greg. hom. 16. Absorbebit in Jordane hoc est baptismo totos fideles talem fidem habentes.

Alterum est in nobis, voluntas, & in hac propriè est amor. Et de hoc dicitur *ex toto corde tuo.* Sed cur additur, tuo? Gregor. lib. 2. in cap. 2. Job. *Reprobi corda sua non habent, quia diabolus illa habet.* Non potest amare DEum qui cor diabolo tradidit per peccatum. *Diliges ex toto corde.* Plus quàm Patrem tuum, Filium tuum, bona tua. Dicimus nos ita diligere & uni grosso postponimus, sunt enim qui pejerant ubi agitur de lucro grossi unius. Invenit Pater in peccato filium & non compescit ne contristet, & dicit se plus amare DEUM quàm filium: res perit, curritur ad divinatores, DEUS rei amissæ postponitur. Planè multorum amor erga Deum

ita procedit ut Paganorum qui suprà locum sacrum Christo extruxerunt templum Adonidis, sciunt quod dies Dominicus sit Resurrectionis Christi sacer, & in eo sæpè Adonidi filio Veneris fiunt sacra. Sed quid mirum quòd DEUM non amemus quia nec nos ipsos amamus. An se amat Agricola qui non seminat? *Quæ seminaverit homo hæc eadem metet.* Ninivitis denunciatus est interitus, qualem pœnitentiam egerunt, quia vitam suam amarunt? Non amat se morti adjudicatus, qui cùm possit occurrere sententiæ capitali non occurrit. Gregor. 33. Moral. 13. *Cùm districtionem justitiæ Divinæ non metuunt, in cassum de misericordia sibi blandiuntur.* Quocirca, *quærite dum inveniri potest.* Ego sum Lux mundi. *Diliges ex omnibus viribus tuis.* Probatio charitatis est exhibitio operis. Quis hunc descendentem ab Jerusalem per Adomiam sylvam seu Edom dilexit? An Sacerdos qui prædicabat diligendum? An Levita qui sciebat? Certe Samaritanus qui fecit. Hanc Sylvam, in qua iste vulneratus, elegit sibi CHRISTUS pro loco jejunii dierum 40. ibi cæpit ostendere labores quos suscepit propter nos. Cyprianus *Non est dignus te qui te Domine non amet, non amat qui scienter offendit.* Hæc una pars dilectionis, non peccare; Altera, *Si diligitis me mandata mea servate.* Sed S. Joann. Evangelist. probationem istam facit amoris erga DEUM si diligamus proximum. Dligamus, infundamus oleum compatiendo, vinum objurgando. Jumento nostro imponamus sustinentes illius offensas, demus duos grossos, opera misericordiæ spiritualia & corporalia. Basil. in Institut. *Videamus ne inveniamur pecudibus hebetiores, vel feris belluis immaniores, si nullo erga Genitorem constringamur affectu.* DEUS nos genuit magis quàm Pater. Quærit Gregor. homil. 30. Cur DEUS cùm alia in sacrificio offerri sibi jusserit, mel

mel omisit? *Mel DEUS rejicit à Sacrificiis quia totum floribus constat.* Flores sunt verba, fructus opera.

Dominica XIII. post Pentec. CONCIO.

Decem Leprosi, Luc. 17.

ALios morbos, cùm facit miraculum DEUS, ferè uno modo curat, aut saltem non tot, quot lepram nam, sanavit lepram abluendo in aqua, 4. Reg. 5. Naaman. Sanavit manu tangendo, Matth. 8. Remittendo ad Sacerdotes. Mittendo manum in sinum Exod. 4. Separando à cæteris ut Num. 12. Quid sit in hoc mysterii, dicam.

Ad mysterium intelligendum ducit Evangelium hodiernum. *Decem leprosi.* Quasi diceret, omnes qui sunt in mundo sunt leprosi. Gregor. *Et quid per numerum denarium nisi universitas intelligitur?* quia cùm ad decem numerando pervenimus, rursus ad initium numeri redimus, ac eosdem numeros replicamus, ut 11. unus & decem: 12. duo & decem, &c. Quid verò tam universale quàm peccatum? Eccl. 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato.* Ac si diceret, benè inferes, est aliquid in terra, itaque est peccatum, est corruptibile, à sua natura aberrans. Unde & in parietibus & in lapidibus inveniebatur lepra, ut patet ex Levit. omissis cæteris, de nobis loquamur. Bene inferimus, est homo, itaque mortalis. Corpus fecit DEUS ut figulus ollam ex luto, in ea posuit velut in carcere animam; Corpus constat quatuor elementis quæ secum pugnant continuò, inde consumi pugnâ mutuâ necesse, & id est corruptibile, Psalm. 88. *Viam fecit semitæ iræ suæ, & in morte conclusit eos.* initiò hæc corruptela per semitam procedebat, quia per Adamum & Evam, postea per viam quia per omnes homines. Sed hoc peccatum in nobis non sanabitur nisi in cælo. Ad

Ad lepram quæ inficit animam progredior, huic propriè adhibendi ſunt modi curandi quos DEUS lepræ adhibuit. Lavatur illa primò per aquam Baptiſmi. Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam & lavabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Ad hoc CHRISTUS ipſe in Jordane lotus eſt, ut aquas contactu ſui corporis faceret idoneas ad abluendam animam. Sanavit Chriſtus lepram cùm manu tetegit leproſum. Sanat cùm tangit cor peccatoris, ut advertat quantum DEUM & quàm bonum offendit, & retractet quod fecit malum, & proponat juxta Leges Dei vivere, doleat ſuper omnia quòd offenderit, & DEUM ſuper omnia amet, ut malit de cætero omne malum aliud ſuſtinere, & omni bono carere, quàm rurſum peccare, & hæc eſt contritio per quam etiam lepra tollitur. Ezech. 3. *Abii amarus in indignatione ſpiritûs mei, manus enim Domini erat mecum confortans me.* Sanatur lepra, cùm remittitur ad Sacerdotes, cùm abſolvunt à peccatis pænitentem. *Ite oſtendite vos Sacerdotibus.* Vos totos, non unam partem veſtri, quia confeſsio debet eſſe integra, & ut hoc fiat prærequiritur, ut ſe homo examinet. 1. Joan. 3. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & juſtus DEUS ac remittet nobis.* Quartus modus quo fuit ſublata lepra eſt, cùm Moyſes in ſinum miſit manum. Et eſt orare, jejunare, dare Eleemoſynam, quia cùm his debet manus in ſinum mitti, non debent fieri ad oſtentationem, ſed in occulto Matth. *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis quia mercedem non habebitis* Cùm tamen quis publicè egit peccata, etiam publicè pæniteat. Et talia peccata ſi non puniant Magiſtratus, ipſi eorum ſunt participes. Rom. 1. *Digni ſunt morte, non ſolùm qui faciunt, ſed qui conſentiunt, facientibus.* Quod Aug. explicans ait: *Conſentiunt qui poſſunt & debent corrigere, & non faciunt.*

Svasit Daniel Nabuchodonosari. *Redime peccata eleemosinis* Ninivitæ in jejunio & cilicio consecuti sunt veniam. Quia talia agentibus dat DEus veram contritionem. Hæc verò, si desit cui possit confiteri, obtinet remissionem peccatorum, cum onere tamen, ut quando poteris aut debebis, confitearis, &c. Quintus modus tollendi lepram, est separari ab aliis, hoc modo sanata Maria soror Moysis, & modò qui se à mundo separant ingrediendo Religionem approbatam consequuntur remissionem. Pelagius Papa approbavit sententiam quæ docet, æqualem dari gratiam ei qui ingreditur Religionem, & qui baptisatur, ut refert S. Vincent. Ferrerius. Est alia separatio quæ conducit, non quidem ad sanandam lepram, sed ne leprâ inficiamur.

Est verò hæc separatio ab his qui te in peccata verbo vel exemplo possunt adducere. Sit nescio quàm dulcis aquæ flumen, si tamen mare intret & cum illo misceatur, salsedinem acquiret. Isai. 6. *Vir pollutis labiis ego.* Unde hoc? *in medio populi labia polluta habentis ego habito.* Petrus quàm bonus! ubi tamen malorum ingressus colloquium. *Cæpit anathematizare, &c.* Glossa in Matth. 22. *Quàm noxia pravorum colloquia! inter infideles se v.g. negat nosse quem inter condiscipulos jam fuerat confessus Filium DEI.* Ad hoc superiores, Patres, &c. attendant, separent statim à cæteris qui scandala facit. Illis commissæ sunt animæ, quarum sanguis de manibus illorum aliquando requiretur. Dicetur, dedi tibi hanc ovem sanam in custodiam, tu eam agere cum scabiosis permisisti, redde mihi sanam, aut potiùs redde ovem pro ove, id est animam tuam pro anima illius. Gen. 21. Pepulit, Abraham Ismêlem de domo sua. Lyranus dat causam, quia advertit quòd pronus esset in luxuriam, & timuit ne ad similia induceret Isaacum. Advertant Patres, an sit domi aliquis qui corrumpere possit. Sed ut & ipsum lucreris, adhibe aquam, commemora quid ab eo requira-

requiratur cùm sit Christianus, adhibe & manum castigando. Ad Sacerdotes remitte, adhuc ad frequentiorem Sacramentorum usum. Ad bona opera, si hæc non prosint, ut membrum putre abscindatur ne totum corpus inficiat.

Dominica XIV. post Pentec. CONCIO.

Nolite solliciti esse quid comedatis, Matth 6.

CUm prudens homo cogitat ædificare turrim, priùs examinat sumptus necessarios, unde materia sumenda, &c. Certè sapienter nos DEus condidit, itaque de omnibus prospexit. Sed poterat contingere ut, cùm ille turrim ædificaturus de omnibus optimè prospexisset, famuli tamen ejus dispositionem invertentes, quibus commiserat executionem, omnia turbaverint, atque ex eo in penuriam necessariorum lapsi. Quod ibi potuit esse, hoc apud nos sæpè evenit, hinc rerum egestas, quare proponam ex hoc Evangelio, unde nos necessaria vult Deus sumere, & quomodo illa quærere, quod si fecerimus nihil nobis deerit, cùm Deus non solùm æternæ saluti nostræ, sed etiã temporalibus nostris providerit.

Ac primum est, ut serviamus Deo, mammonæ imperemus. Qui aquâ eget vadit ad fontem, qui eget lignis vadit ad sylvã &c quia ibi sunt. In Deo sunt omnia, igitur ad illum eundum est serviendo illi. Diabolus nihil habet, unde cum dicebat Christo: *Hæc omnia dabo tibi*, ostẽdit hæc, omnia in aëre ficta, nihil ibi fuit veri, ac proinde ditare non potest. Oportet autem Deo ex toto corde servire, diabolus est ut illa meretrix, 3 Reg. 3. *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*. Quia si dimidium cor habet, Deus alterum dimidium habere non vult, & sic tandem dæmon toto potietur. Greg in 1. Reg. 7. *Qui sic bona agit ut mala non deserat, Deo nequaquam servit. Quia, qui totum hominem condidit, habere communem cum adversario non dignatur*. Reprehendit hoc 3. Reg 18. Elias: *Si DEUS est Dominus sequimini illum, si DEus est Baal sequimini*

illum. *Quid in utramque partem claudicatis?* Et ipse DEUS Sophon. 1. *Disperdam eos qui jurant in Domino, & qui jurant in Molchon*, idolo Moabitarum. Unde jam cognoscemus cui serviamus, Rom. 6. *Servi ejus facti cui obedistis.* Servimus illi cujus voluntatem facimus. *DEI voluntas est sanctificatio nostra.* Implemus illam cùm præcepta ejus servamus. Cùm vivimus, castè, sobriè, &c. Cùm vitamus omne peccatum. Dæmonis voluntas. Ut simus immundi sicut ille, avari, &c.

Alterum est, non servire Mammonæ; habeatur, sed illi non serviatur, sed potiùs tu sis Dominus, illa serviat. Si in domum ignotam veneris ex eo cognosces inter cætera Dominum quòd sedeat, ex eo famulum quòd laboret, currat, fatigetur, &c. Sedet apud Avarum pecunia, non tangit, non utitur illâ ut peccata sua redimat, ille currit per mare, per terras. Hieron. *Qui divitiarum servus est, divitias custodit ut servus.* Stat in excubiis ut ante Dominum. *Qui Dominus, distribuit eas*, quia actus dominii est distribuere. Servus pecuniæ, cui illa imperat, amitte DEum, abi in infernum &c. & facit. Dominatur, qui imperat pecuniæ, vade, præcede me in cælum per manus pauperum, &c. Vidit Judæorum tale ingenium Pharao cùm illos urgeretur dimittere, Exod. 10. *Ite, sacrificate, oves tantùm vestræ & armenta remaneant.* Certus fuit videndo quòd servirent suis opibus, armentis, si illa reliquerint, quòd ad eorum imperium essent in servitutum redituri, nec deceptus in suo de Judæis judicio Pharao, nam illud Exod. 12. Optimè patuit, cùm clamarent, *fame morimur.* Habebant jumenta quæ ex Ægypto eduxerant. Sed ut Lyranus. *Parcebant suis animalibus, malebant fame perire ne perderent pecunias, ex pecudibus colligendas.* An non hoc fuit servire Mammonæ? Perdiderat animam Cain, nihil fuit sollicitus, sed postquam DEUS illi dixit, Genes. 4. *Cùm operatus fueris*

terram

terram, non dabit tibi fructus suos. Incipit lamentari. *Ejicis me hodie à facie terræ.* Potior illi mammona quàm anima: Lamentatur quasi Dominum amisisset ac de ejus domo pulsus esset. Laban colebat idola, non curavit, si ipsi Rachel lignea fictilia abstulisset, sed ubi intellexit aurea esse ablata, Gen. 31. *Apud quemcunque invenero Deos meos, necetur coram Fratris nostris.* Et hinc patet cur Paulus avaritiam vocet non idoli, sed idolorum servitutem. Quia quodcunque idolum comtemnet dum aureum servet, ita servit auro. Sed pejùs quòd Judas potiùs serviyit pecuniæ quàm DEO vero. Sed in hoc socios habuit Judæos. Auctor Imperfect. Operis hom. 40. in Matth. Ideò ait illos conspirasse in mortem Christi, quia æs nummulariorum effuderat. Jam hîc subsistamus. Qui aliquid facit pluris quàm DEUM certè habet illud pro DEO: Si pro DEO servit illi: avarus autem pecuniam pluris facit quòd Deum, servus igitur est suæ pecuniæ, ita servus est sui agelli qui festum violat ut illum colat, &c.

Tertium est, Laboremus, sed ita in DEO speremus atque si absque nostro labore esset nobis omnia daturus, quod ut persuadeam, assumo ex hoc Evangelio argumenta ipsius Christi: 1. *Nonne anima pluris est quàm corpus.* Si gratis nobis dedit animam, dabit & illa quæ sunt necessaria ad illam in corpore retinendam. *Nam qui dat esse & ea quæ consequuntur ad esse dat.* Datur Sacerdoti Parochia, jam datur potestas confessiones excipiendi, prædicandi, &c. Creatur quis Judex statim accipit potestatem reos captivandi, puniendi. Qui dat principale, dat & accessoria. 2. *Considerate volatilia cæli.* Aves fame non pereunt, licet non arent, aut serant, & num tanti facit DEUS aves, quanti nos? num pro illis passus? &c. 3. *Nemo potest ad staturam suam adjicere cubitum.* Cogitet homo quantum velit non faciet se majorem, atque in majorem esse

vel minorem sunt accidentia sine quibus homo esse potest, & hæc dantur nobis sine cura nostra, quantò magis dabit ea, quæ necessaria ad substantiam, ad vitam nostram conservandam? nam qui aliquod extruxit ædificium, vult etiam illud conservare. 4. *Considerare lilia agri*, non horti, quorum nemo curam habet & desalcantur cum gramine, ac fiunt fænum: si non vestit ille coloribus aptis, folia tam pulchrè dispo-nit, ut nec sapientissimus Salomon tam pulchrè suum thronum, suam domum, potuerit ornare. Si hæc liliis præstat, quomodo non præstabit nobis, quos suos scripsit filios, hæ-hæredes, Christi verò cohæredes? 5. *Scit Pater, &c.* Filius si habeat bonum Patrem, dubitare non potest, quòd ipsi sit succursurus. De veste non est sollicitus, scit Pater, dum ego quod est mei officii fecero, laboravero pro mea parte, etsi sciam laborem meum non suffecturum, sed *scit Pater* dum illum non offendero, faciam hoc quod ille jussit, agrum colam, opificium exercebo, &c. Dabit ille. Sed si plus fidamus industriæ nostræ, usuræ, simoniæ, &c. non dabit, 1. Petr. 5. *Omnem sollicitudinem projicientes in eum quoniam ipsi est cura de vobis.*

4. *Quærite primò regnum DEI, &c.* Quid est regnum Dei? Rom. 14. *Regnum DEI non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Est justitia, nullius rem injustè retineamus, non mercedem operarii, non aquisitum, per usuram & dolum, non famam, &c. non decimas. Puniamus malos, præmiemur bonos &c. *Pax.* Sit pax cum DEO, proximo, nostra conscientia. *Gaudium.* Gaude cùm alter prosperatur. Sed si priùs quæsiverimus terrena, ita facimus sicut qui non vult ire ad fontem, & ex rivo accipit aquam, & turbidam haurit, & rivus decipit, nam deficit. Facimus ut qui micas colligit sub mensa, quæ & paucæ, & immunditiis mixtæ, & citò consumuntur; ad mensam est eundum, ibi copiosè omnia
invenies

invenies. 1. Machab. 3. cùm mortuus esset Jonathas, Simon frater ejus in sepulchro curavit sculpi naves, ut sic spes humanas fallaces exprimeret. Qui hæc sectatur terrena, & cælestia postponit, navi vehitur obnoxiâ periculis, scopulis, naufragio, &c. Qui primo quærit regnum DEI, stat in terra, inveniet in ea unde si velit, naves ædificet, & ipse est securus; in navi hoc habebit quod in eam intulerit, & hoc paulatim corrumpetur: in terra nova semper recentia habebit ad vitæ necessitates. Fidebat suis mercatoriis industriis Tyrus, Ezech. 17. & ecce. *Auster contrivit te, & ejulabunt super te.* Quærebat David primò regnum DEI, justitia fuit statim manè. *In matutino interficiebam omnes peccatores.* Fuit pax *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Habuit gaudiũ, *Benedixisti Domine terram tuam* secutæ sunt opes ingentes quam etiam filio Salomoni reliquit.

Domin. XV. post Pentecost. CONCIO.

Sedit qui fuit mortuus & cæpit loqui, Luc. 7.

SI mortuus aliquis qui in hoc templo sepulti ascenderet cathedram, & vobis prædicaret, puto quod fructum aliquem faceret, diceret profectò ut putat hodiernum dixisse S. August. Serm. 66. ad Fratres in Eremo. *O miser quantùm pro cupiditate hujus sæculi discurris? aut quid luxuriæ aut superbiæ ossa submittis, attende ad me. Hoc quod tu & ego fui, tu eris quod ego sum.* Sed hoc non est necesse. Epuloni petenti Abraham ut mitteret à mortuis aliquem ad Fratres suos, responsum: *Habent legem & Prophetas.* Hi dicunt quod ipse loqueretur, quare ex Prophetis & lege conjiciam quid iste vobis diceret, audite.

Triplex unio considerari potest in homine. Unitur anima corpori, unitur homo totus affectu rebus creatis quas amat, unitur denique DEO. Mors rumpit unionem corporis cum anima, ô quantus dolor! Agag Rex cùm occidi deberet à Samuele, dixit: *O mors quam amara est tui memoria!*

Amarum eſt cùm dicetur: *Diſpone domui tuæ.* Ad arctam vitam tranſitus, ſi illum non dulcorat Spiritus Sanctus, amarus eſt, amarum ire in carcerem, in exilium, intrudi in monaſterium, tum impelleris ad monaſterium omni alio graviùs. Vovent mendicantes Religioſi ſtrictam paupertatem, ſed retinent ex quibus vivere poſſint, tu relinques omnia. Vovent caſtitatem, ſed non ſe dividunt à carne, tu dividêris. Vovent obedientiam, tu obedies exeundo de domo tua & cognatione tua. Incarcerati viſitantur tu non viſitaberis, ad exules mittuntur epiſtolæ, ad te nulla perveniet. Sed non minùs acerbum eſt, cùm unio ſolvitur quam homo habet cum rebus hujus mundi. Amavit prædium, amicum, &c. Diſcede ab illo. Non impetrabit Cæſar ut ſaltem unus ephebus illum committetur ad obſequia, non deditus venationi ut canes cum quibus fallat tædium, &c. Sicut amarum eſt abſcindi membra, ita eſt hæc diviſio. Erat tibi quis ut oculus, abſcinditur: erat ut manus, abſcinditur, &c. dicit Paulus: *Deſtruatur corpus peccati.* Amariſſima verò ſolutio unionis cum DEO. Peccator etſi illi non uniatur, ſpem tamen habet ut illi poſſit uniri, ſed ſi non eſt unitus in vita, ſpes hæc perit. Ergo abſcindar ut radius à ſole & per hoc ipſum ero nihil. Abſcindar ut ſigillum aquis impreſſum à ſigillo, & evaneſcam. Abſcindar ut aqua detenta in pugillo alicujus, ab ejus manu, & diſſipabor! & non erit ampliùs ſpes ad priorem ſtatum redeundi, & ſic in æternum ero nihil, & utinam nihil, ſed miſerius nihilo, illud non patitur, ego ſuppliciis incomprehenſibilibus ab homine, cruciabor. Omnes tres ſolutiones unionis accidunt peccatori: Juſto verò unica, nam non dividitur à rebus temporalibus quibus non fuit unitus: non à DEO, cujus unio perficietur: Solvitur ſolùm à corpore ad tempus, ſed recipiet glorioſum, impatibile, ſubtile, agile, clarum: omni formâ & ſpecioſitate ornatum, nullis ſubjectum miſeriis.

Diceret

Diceret rursum. Nescitis quod scitis pejus cadaver quam ego fuerim. Chrys. hom. 22. in 2. Cor. *Quoties peccasti, toties condemnasti teipsum.* Es factus patibularius, cadaver infixũ rotæ. Am. 9. *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: in gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Defers tecũ putridum cadaver. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Peccasti es mortuus; quia DEum qui est vita animæ tuæ amisisti. Chrys. hom. 74. in Matth. *Responde quæso, si quis cadaver putridum secum circumferret. Hæc de te cogita, quia animam peccatis obrutam atq; mortuam circumducis.* Jam dæmon in te jus accepit. Ostendetur hoc cadaver olim toti orbi, videbunt vermes scatẽtes, putredinem, &c. & dicent: *Hæccine civitas perfecti decoris? omnes transeuntes sibilaverunt, & moverunt caput.* Demum ubi compleveris peccatorum mensurã, traderis in manus hostium. Aug. de V. Chr. c. 4. *Tamdiu ut convertantur, sustinet: quamdiu non habuerint cumulum peccatorum consummatum.* Quid deinde sequetur? Abdiæ 10. *Propter iniquitatem in fratrem tuum, operiet te confusio, & peribis in æternum.* Cogita quid sit in æternum perire, sine spe vitæ, sine remedio. Erigent tibi Mausolæum, sed quale erexit Tamerlanes cum cepisset Damascum, de calvariis mortuorum. Ut sit in signum mortis tuæ, in qua nihil est nisi mors pura, mors in visu, quia non ampliùs quid oblectabile videbit, mors in auditu, &c. mors in corpore, quia semper agonias & dolores mortis perferet, mors in anima, quia optabit semper annihilari & non impetrabit. E contra Beati semper in omnibus vitam experientur, vita erit in intellectu, qui omni scientiâ implebitur, vita in voluntate quæ nihil appetet mali: vita in oculis, qui omne desiderabile videbunt, &c.

Diceret tertiò! Unicus Matris, matris meæ in adolescentia sum mortuus. Quis vestrum potest sibi promittere senium? mors ubique nobis instat. Jacobus sextus Rex Scotiæ instituerat solennes choreas, sed dum saltant, mors ut so-

let pingi, post saltantes visa est illi etiam suas choreas ducere, & quidem ille anno eodem mortuus. Quocunque nos vertimus mors est, & non illa ad nos currit sed nos ad eam Quantum vitæ exegisti tantùm ad mortem propiùs accessisti. Dum nascimur statim nostro corpori immiscet eos qui illi faciant aditum. Quid enim aliud est pugna continua in nostro corpore elementorum? quid tempus in quo sumus nisi successio unius motûs post alium? si successio, non stat tempus, neque nos in illo stamus, sed semper procedimus, & numerati sunt dies nostri occultè ut nesciamus quæ sit illorum ultima. Locus nos circumscribit, atque adeò undique nostro non esse circumponimur. Et quia locus est superficies indivisibilis, per unum indivisibile separamur à nostro non esse. Sumus longi, lati, profundi, per quantitatem, sed quantitatis quæcunque pars est in infinitum divisibilis in partes minores. Ita omnia in nobis morti serviunt, & in hac vita incerta accidit quod Jonathæ, 1. Reg. 14. *Paululum mellis gustavi, & ecce morior.* Et in hac vita sumus ut Emissen. *Circumfusi innumerabilibus hostibus, quibus hinc inde iter nostrum invisibiliter obvallatur.* Vos moneo. *Videte quomodo cautè ambulatis.*

Apprehendite quid sit vivere. Vita ex motu cognoscitur, motus qui signum est vitæ nostræ non est ad terram, ut lapidis; non ad alimentum, ut plantæ, non ab uno loco ad alium, ut brutorum. Sed illo, *Creasti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Si hunc motum habemus, vivimus. Nec satis est hunc motum appetere, sed opus illo moveri, tali motu qui movetur diligit DEum & proximum, ac proinde in illo est signum vitæ. Habet enim in se DEUM 1. Joan. *Deus charitas est, & qui manet in charitate manet in DEO, & Deus in illo.* Quærit Theophilact. lib. 9. Allegor. Cur Christus tantum tres excitavit? Puellam, hunc Juvenem, & Lazarum.

rùm, & respondet, quia in his mortuis tria mortis genera significantur. Moritur homo prava cogitando, operando, & in illis perseverando. Quàm facilis via ad mortem dum ipsâ cogitatione morimur! Alterum signum vitæ in hoc Evangelio, *Loquebatur.* Hoc signo & S. Petrus usus quando Simon Magus excitavisse mortuum se fingebat. Dixit enim Petrus. *Si vivit, loquatur.* Si loquimini, vivitis. Sed nunquid dæmon in assumpto corpore nón loquitur, illud non vivit? Loquela ut sit humana debet vi intellectûs procedere, talem non habet corpus quód dæmon assumpsit, sed solùm sonat ut organum Musicum à Musico motum. Qui ergò hoc loquitur quod cogitat, debet verò cogitationem in DEum tendere, si vivit: ille habet signum vitæ. Per motum illum in DEum nobis vivimus, cùm proximis de DEO loquimur, illos amore DEI inflammamus, tum vivimus etiam proximis, & sic in nobis est vita perfecta.

Dominica XVI. Post Pentec. CONCIO.

Qui se humiliat exaltabitur.

DIfficilem sententiam S. August. *Vis melior fieri deteriora te.* Hodiernus explicat hydropicus, qui factus melior, quando deterioratus, factus sanus quando tumorem amisit. Quid verò tumor nisi superbia. Quid deterioratio nisi humilitas? & hæc melioris statûs signum. Gregor. 15. Moral. 1. *Evidentissimum reproborum signum superbia, Electorum humilitas*, idem affirmat Odo Cluniacen. lib. 2. Collat. Explicabo igitur modum nos deteriorandi ut meliores efficiamur.

Omnis status hoc fert, ut quod est futurum melius, fiat deterius. In statu naturæ, volumus ut semina multiplicentur, terræ committimus ut in ea moriantur, & *nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ædificanda est domus,

priùs pars illius quæ totam ſuſtinere debet, intra terram defodienda. Et quò altiorem domum quis extruere cogitat, eò profundius fodit fundamentum: Et hoc in arte. In politia, ad quæ ſe non demittunt qui aſſurgere cupiunt? Hoc ipſum ſervavit DEus in Chriſto. Daturus erat illi omnem poteſtatem quæ eſt in cælo & terra, voluit ut priùs eſſet ſervus, imò quid viliusBern. de Circumciſ. *configitur tanquam cauterio latronis.* Eundem modum cum aliis ſuis ſervis tenuit. Voluit facere Saul & Davidem Reges, priùs debebant eſſe armentarii. Voluit gubernatorem eſſe Joſephum Aegypti. Priùs permiſit in compedes projici. Hoc ipſum in ſtatu ſalutis noſtræ. Pſ. 136. *Pro nihilo ſalvos facies illos.* Si fecerint ſe nihil, tum ſalvabuntur, & quò magis ſe fecerint nihil, tantò altior illorum ſalus, majores ſancti. Pro nihilo quia nec faciliùs, nec magis ſe homo deprimere poteſt quàm ad nihilum. Non faciliùs, quia illud ſecũ defert, in illud ſæpè ex parte recidit, fit ſurdus, ecce nihilum auditûs, &c. Diffamatur, ecce nihilum famæ, amittit membrũ ecce nihilum membri. Eſt tale nihil totus ſi ſe bene conſideret. Sumus ex nihilo, habemus plus ex nihilo loci, temporis, quàm eſſe. In uno loco, tempore, ſumus: in locis innumeris ſumus nihil, quia in illis non ſumus. *Homo vanitati ſimilis.* Id eſt quodammodo vacuo, quod eſt nihil. Jam verò operari ſequitur adeſſe. Ut ſumus nihil ita opera noſtra ſunt nihil. Scientiæ monſtrat plenæ nihilo, innumera neſcimus, & vix aliqua ſunt de quibus certum ſit quòd ſciamus. Poſſe noſtrum nihil, nam nihil facere poſſumus niſi ex re alia, nihil deſtruere niſi in rem aliam commutando. Quoad opes ſumus nihil. In hunc mundum nihil intulimus, nihil ex eo efferemus, & quæ habemus non ſunt noſtra, 1. Paralip. 24. Ita & verè quidam alloquitur DEum, *Tua eſt gloria, tuæ divitiæ, tua omnia.*

Humiliare nos etiam magis non poſſumus quàm ſi nos eſſe nihil agnoſcamus: Quia hoc ipſo nos ut cadaver reputabimus,

bimus, in quo est nihilum vitæ: reputabimus nos ut peccatum, cui debetur omne nihil tam in cælo quàm in terra. Job. 10. *Nihil enim sunt dies mei.* Job. 35. *Redactus sum in nihilum.* Si ergo nos pro nihilo ducamus, inprimis DEO per peccatum non rebellabimus. Quamdiu enim fuit mundus nihil, nullum erat peccatum. Ambr. ad Demetr. *In eo proprietatem humilitatis definimus, quòd DEO subdatur per omnia.* Et quia nihilum non reluctatur DEI voluntati, non solùm præceptis, sed etiam consiliis obediet. Consilium est. *Si quis te percusserit in dextram maxillam præbe illi & sinistram.* Consilium subinde solum est eleemosyna. Hoc Chrysostom. in Genes. hom. 33. *Non est humilitas quod facere debet ex necessitate.* Si nihil se reputat, non ambit altas dignitates & officia, quia nihil se ad illa condignitatis, vel aptitudinis habere judicat, ut patuit in Moyse & aliis S.S. ipse Christus inter Doctores cùm esset annorum 12. non docebat sed interrogabat. Non vult nisi humilis contemptibiliter appellari, cùm nihilum bono nomine non sit dignum. Cùm se nihil reputat, & alios omnes se meliores, honorificè cum illis agit, imò illos honore præit, quia in illis considerat imaginem & alia dona DEI, in se suum nihil. Hoc docuit S. Franc. Borgias in Collyrio volentes se reputare nihil. *Cum omnibus loquaris ut cum Dominis.* Quia ut Bern. *Collactaneæ sunt humilitas & mansuetudo.* Et Christus illas conjunxit cùm se in humilitatis exemplum proponeret. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Si nihil se reputat, ergò pejorem quàm si omnes haberet morbos, & veluti plus mali quàm illos haberet, appetit medicinam, opera pœnitentiæ agit libenter: Et quia etiam afflictiones sunt medicinæ, etiam illas appetit; Et si illis careat, se infelicem putat. Et hic sensus de se tam est necessarius, ut dixerit Chrysostomus Homil. 33. in Genes. *Nisi quis de se senserit, quòd omnium sit postremus, nulla ei utilitas ex omnibus operibus*

quia DEum oportet *adorare in spiritu & veritate.* Veritas autem est, esse nos nihil ac debet hæc veritas esse in Spiritu, ut ex Spiritu & animo ita nos humiliemus. Quod externos attinet actus, prudentiâ est opus, Philipp. 4. *Scit & humiliari*, Ambr. 2. Offic. *Præclarè dixit, scit & humiliari, id est, quo in loco, quâ moderatione, quo fine.*

Ubi sic in nihilum descenderimus, tum nos DEus exaltabit, sicut exaltavit Davidem, Josephum, &c. Tum nos educet velut turres, & fiet *abundantia in turribus.* Tum *valles abundabunt frumento.* Huc descenderat Abraham. *Pulvis sum & cinis*, at DEus, & prolem, & rerum copiam & cælum dedit. Huc omnes alii sancti, & ecce in quali sunt gloria? Reges coram illis flectunt capita cineres eorum in auro servant. Hâc viâ præcessit caput nostrum, sequentur & membra, & sicut DEus agit in statu naturæ quasi necessariò, ut det incrementum semini, ita in statu gratiæ ut gratiâ & gloriâ deinde augeat.

Dom. XVII. post Pentec. CONCIO I.

Accesserunt ad IESVM, Math. 22.

TRiplicem hodie disputationem Christus peregit. Unam ex Jure Canonico, alteram ex Philosophia, tertiam ex Theologia. Prima, *quod est mandatum maximum?* hæc fuit cum Pharisæis. Altera de ortu interitu cum Saducæis & hæc non ponitur sed supponitur. Nam Matthæus dum ad hoc Evangelium transit, sic habet. *Pharisæi audientes quòd silentium imposuisset Saducæis, &c.* Itaque priùs cum Saducæis disputavit. Tertium ipse Christus proponit ex Theologiæ. *Quid vobis de Christo videtur? cujus est Filius? &c.* Audiamus plenè disputationes.

Saducæorum hæresis fuit inter Judæos, hi negabant resurrectionem mortuorum, spiritum esse ullum, animam nostram esse spiritum eumque immortalem. Sic enim argumentabantur de Anima. Quod alteri unitur debet esse cum illo ejusdem generis, propterea non potest aqua cum igne uniri, corpus verò est materiale, itaque & anima, ac proinde corruptibilis. Proinde quando Christus prædicabat resurrectionem mortuorum. Judicium extremum, infernum, ridebant putantes nihil superesse quod judicetur & damnetur. Ad conformationem sui erroris adducebant. Nupsit una mulier viris septem consequenter, si illi resurgent, an omnium erit uxor? & hoc non decet. An unius solùm? Cæteris fiet injuria. Ad hoc Christus. *Erratis non scientes Scripturas*, statim initio Genes. inspiravit DEus in corpus Adæ spiraculum vitæ, hoc fuit diversi generis cum corpore, tamen fuit unitum. Adam enim verè fuit homo. Quod attinet matrimonium, in cælo non nubent nec nubentur, proinde non erit ibi controversia de eo cujus futura sit uxor, cùm nullus habiturus sit uxorem. *Ratio* hujus ponitur, Luc. 10. *Neque nubent, neque ducent uxores, neque enim ultra mori poterunt.* Ibi enim solùm est matrimonium ubi aliqui moriuntur. Ut per illud conservetur genus humanum, at in cælo non morientur. Hinc & in mundo sol non generat, luna &c. Quia sunt incorruptibilia. *Neque* scitis *virtutem* DEI. Si potuit ex luto facere Adamum, quomodo non possit ex pulvere in quem per mortem reductus.

Accesserunt Pharisæi, alii hæretici qui se sanctiores simulabant, præferebant in fronte Decalogum. Fimbrias hyacinthinas hoc est cælestis coloris assuebant vestibus, quasi essent omninò cælestes. Hi dissidebant inter se de eo, quodnam sit maximum in lege præceptum, nam ex hoc pendebat Si concurrissent pro eodem tempore duo præcepta, quæ ambo impleri

impleri non poterant, v. gr. servire infirmis die festo, & ire ad templum. Quod ex illis servandum? certe quod est majus. At verò quodnam maximum cui reliqua debeant cedere? Precepta verò Mosaica multa habuerunt. Josephus Judæus numerat. 258. Positiva, quæ per aliquam actionem implentur, & negativa totidem, quæ per omissionem actionis. Plerique sentiebant quòd maximum esset præceptum, DEO sacrificium offerre, & ita docebant filios ut egentibus Parentibus dum ab illis petebant subsidium responderent, Corbati; hoc est majus præceptum est de sacrificio DEO offerendo quàm de subveniendo Parentibus. Dabo in sacrificium DEO quod Parenti dedissem. Accurrit ergò unus ad Christum, tentans illum. *Quod est mandatum maximum?* Respondit directè. *Diliges Dominum DEum tuum, &c.* Quòd hoc sit præceptum maximum, rationem dat S. Thom. 1. 2. q. 99. art. 2. Quia est finis omnium præceptorum propter quem illa sunt lata: *Finem legis Divinæ principalem esse unionem Creaturæ cum Creatore.* Quæ unio fit per amorem. Quid est enim dilectio? Laur. Justinian. in Nativ. B. V. *Est duorum ligatio. Charitas est chara unitas.* Hoc ipsum August. *Quidquid latet, quidquid patet in Divinis Codicibus, totum tenet, qui charitatem tenet in moribus.* Quid enim è contra sunt peccata contra legem nisi amor debitus Creatori versus ad Creaturas? Aug. in 16. Matth. *Amator pecuniæ vocatur Avarus: honoris amator vocatur ambitiosus: Corporum pulchrorum amator vocatur lascivus, &c.* Qui verò amat DEUM omnia peccata vitabit, non habebit alium Deum, non pejerabit, &c. Qui diliget proximum, honorabit Parentes, non furabitur, &c. Hæc fuit secunda disputatio.

Tertia quàm Christus movet, *Christus cujus Filius?* Putabant Messiam futurum Filium Davidis non DEI. Quia illis impos-

impossibile videbatur ut DEUS haberet Filium. Quia sic discurrebant. Si Pater producit ergò Filius est extra illum. Sed hoc non sequitur. Quia & nos producimus cogitationem nostram tamen illa intra nos manet. 2. Si habet Filium, ergò & uxorem. Sed sol producit sine uxore radium, & intellectus noster cognitionem. 3. Si genuit, ergò jam ampliùs non gignit, atque adeò est mutatus. Sed, genuit ergo gignit, quia quod in Deo semel est, semper est, quia est æternum. Augustin. in Psalm 2. *Quidquid æternum est, semper est.* Hunc sensum illorum subvertit Christus. *Quomodo ergò David* Messiam *vocat Dominum?* DEum, quia *Adonai*, quod hic ponit David, est nomen DEI unum ex quinquaginta DEI nominibus. *Nec ausus fuit quispiam ex illo die ampliùs eum interrogare.* Hæ fuerunt Christi cum Judæis disputationes.

Servavit sibi quartam quam nobiscum habiturus. Joël 3. *Deducam eos in vallem Josaphat & disceptabo cum eis*, & redibit ad materiam cum Judæis disputatam, de immortalitate animæ, de summo mandato, de sua Divinitate, de immortalitate animæ. Scivistis vos à mortuis surrecturos, & post hoc sive in cælo, sive in inferno, perpetuum victuros. Scivistis. (Bern. serm. 15. ad Clericos) *Quòd non transeunt opera vestra ut videntur, sed temporalia quæque veluti æternitatis semina jaci.* Quæ vobis seminastis eadem per æternitatem comedetis, stabit præ oculis vobis in æternum turpe verbum est quod dixistis, &c. Quid seminastis pro bona æternitate? Hæc cogitavit Theodorus de qua in vita S. Pachomii cap. 24. Agebatur festiva dies in Aegypto cum lætitia; ille intra se, diviné hoc durabit? hoc non diu in hac vita, sed fructus hujus in altera diu. Abiit, tradidit se in discipulum S. Pachomio. Bern. lib. de Anima. cap. 3. *Alterutrum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum Sanctis:*

 bonum

bonum siquidem & malum, mors & vita, ante nos sunt posita. Altera quæstio de Mandato maximo. Interrogabit *Quod est mandatum maximum?* Dicemus *Diliges, &c.* Quomodo hic amor monstratur? dicemus tu docuisti. *Vos amici mei estis si feceritis omnia quæ ego præcipio vobis.* Dicet. Fecistisnè hoc? Rursus. Quæ probatio amoris erga proximum? Dicemus. Ut quod nobis volumus fieri alteri faciamus. Fecistisnè hoc? Parum præcepi vobis & non servastis, & hic est amor vester? Lessius de perfect. Divin. libr. 10. cap. 1. *Potuit nobis imponere ut consilia essent præcepta, omne genus austeritatum, jejunium, cilicium, chameroniam, flagellationes & alia huiusmodi usque ad peremptionem: Posset vetare omnes recreationes nullo proposito præmio & quòd hoc non faciat. talis bonitas ejus obstat.* Et illa servare fuissemus obligati, at verò faciliora non fecimus.

Tertia quæstio. Sumnè vester dominus? Imo! dicemus cum Psalm. 224. *Ego cognovi, quòd magnus est Dominus, & DEUS noster præ omnibus Diis.* Tum illè. Itane irreverenter soletis alloqui Dominos, ut me cùm oraretis? itane illos in testimonium de re falsa vocabatis. Scivistis quòd quando Eliam per derisionem vocabant servum DEI descendit super illos ignis. Me colaphis cæditis. Origen. hom. 27. in 24. Num. *Colaphis cædit Christum qui verbis vel actibus suis turpibus ac inhonestis sub nomine Christiani, lascivis involvitur & carnalibus concupiscentiis.* Joseph dum sollicitaretur ad flagitium ait *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, &c. Quomodo ergo possum peccare in Dominum meum?* An non plura vobis feci bona quàm Putiphar Josepho? Quid nos ad hæc?

Eadem

Eadem Dominica CONCIO II.

Diliges Dominum DEum, &c. Matth. 12.

CLamat cælum ut amemus DEum qui tam insigne pro nobis extruxit palatium: Clamat terra cum herbis, metallis, &c. Quod in nobis amatis in illo est in fonte, utamini nobis sed illum amate. Clamat omnis creatura. Amate, in ipso vivimus, movemur, & sumus. Jungam et ego meam vocem, & suadebo hunc amorem.

Amate, quia antequam essemus ille nos amavit, & per hoc omnes nostros amores excessit. Quis enim amat Petrum qui non est, sed solùm potest creari? *Ipse prior dilexit nos*, cum ne quidem poteramus illum diligere, neque in nobis aliquid erat amabile, quia nondum eramus. Vocavit nos ex nihilo, jussit ut darent elementa materiam, ipse plasmavit ut plastes, ossa 248. musculos 429. nervos, &c. & pro nobis elegit Parentem qui esset Christianus, ut curâ illius Baptismum consequeremur, ac filii DEI efficeremur. Hoc certè non ad nostras preces fecit, Bonavent. *Dilexit te antequam esses & regnum tibi præparavit.* Ampliùs progressus. Non solùm Benefactor noster voluit esse, verùm etiam Amicus. Sed amicitia non datur nisi inter æquales, nos naturâ servi, ille Dominus, quid agit! *Formam servi accipit.* Et primò quidem occultè, postea manifestè. Occultè quidem, dum concurrit cum aqua ut nos lavet: cum igne, ut calefaciat. Educat pro nobis segetes. *Pater meus Agricola est, &c.* Et id latenter ne pudore nos confundat, si videremus tantum Dominum etiam nostris vilissimis obsequiis se miscentem. Sed decet[illegible]ne hoc Deum? Salomon cùm alios libros scribit, dat sibi titulum Regis: Sed dum Canticum, omittit hunc titulum, de quo Hieron. *Qui amat, nescit se esse Regem.* Hæc verò sua obsequia pro deliciis reputat. *Deliciæ meæ esse cum Filiis hominum.* Inde cum Abrahamo velut cum pari suo de Sodoma punienda

da consultat, cum Elia de pluvia, &c. Sed ne hoc videretur nobis parùm. Formam servi accepit manifestè, factus homo, os de ossibus nostris. Et ne quisquam vilissimus hominum adhuc ab amicitia ejus deterreretur, factus est pauperrimus homo. Jam quid est homo pro nobis fecit! Quomodo amicitiam nostram quæsivit! Sed hæc sub parabola tali utcunquè pateant. Adamaverat Rex quidam proprium rusticum, hominem contemptibilem, latronem, inobedientem, &c. misit ad eum legatum offerens illi suum amorem. Contempsit rusticus. Misit alium cum munere floren. mille, rogat te Rex ut ames illum quia ille te amavit, & ut sis de amore certus, munus accipe: accepit sed amorem contempsit; misit tertium legatum cum munere duorum millium. Similiter est factum: Misit quartum cum majori munere, idem contigit. Misit per quintum literas, idem evenit. Misit ex præcipuis aulæ suæ Principem ut Rustico serviret & ita saltem ad amorem flecteret, nihil effectum. Misit Filium suum, quærit Rusticus, quid vult à me Rex, dicit Filius, hoc vult, dedit munera, dabit majora, nihil aliud vult quàm ut illum ames. Ad hoc rusticus. Munera accipiam sed non amabo: *Obstupescite cæli.* Nos sumus iste Rusticus. Dedit nobis sua munera DEus, solem, lunam. Angelos dedit in obsequium. Misit literas Sacr. Scripturam: Misit filium, & non amamus! Si hæc leoni quis faceret? Ampliùs amor DEI processit. Nam Filius ait Rustico. Non desistam te rogare ut ames, me flagella, in spinis voluta, me felle & aceto pota, &c. Me turpissimâ occide morte, dum ames. Jam hic cor saxeum rumperetur. Solvet tibi hunc amorem præmio quale in cor hominis intrare non potest. Ama.

Sed quis est ex nobis qui non dicat se amare DEUM! Habet quispiam uxorem, dicit illa marito, Amo te, interim illi vene-

venenum porrigit, cum hoste illius tractat: amatnè uxor talis? Estne quis Princeps in quem tàm publicè, sine timore, tam continuò & modis diversis peccatur, ut est DEUS noster? & hic est amor! Expostulat cum DEO, Abac. 1. *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces?* Tacet non vindicat, ut vel patientiâ emat amorem. Bonavent. *Tantùm me diligis DEUS ut te odisse videaris.* Hoc ut apprehendamus. Cogitemus ad nos venisse quempiam, qui dicat, Ego vobis Christum occidi, qui vos docuit viam cæli, &c. qui vobis dona dabat, occidi crudeliter qui & mihi benefaciebat, venio ad te, me loco illius ama, in mei gratiam omnia tua bona amittito, famam, vitam, Parentes, & ipse propter me ad infernum ito, &c. Quid nos ad hæc? Si latronem occidisset, &c. utique dignus fuisset amore, sed nondum pro illo vellemus hæc facere. Sed cùm Christum, Patrem, &c. & amamus? Ita fit. Venit voluptas ad lascivum, auri fulgor ad avarum, fumus honoris ad ambitiosum, &c. ille occidit Christum, & amatur, & pro illo exponitur vita, &c. & ad infernum itur! Et cùm quanto hoc fit studio!

Jam ad alteram partem mandati. *Diliges proximum tuum, &c.* Dilexit Jonathas Davidem, Jonathas hæres regni, precatur Davidi ut potiùs ipse regnet, 1. Reg. 23. *Tu regnabis super Israël & ego ero tibi secundus.* Quia cum proximo membra sumus ejusdem corporis, unde si fit honor uni membro, gaudet, tanquam sibi fieret. Chrysost. hom. 3. in 1. Cor. *Coronatur caput & totum corpus glorificatur.* Amavit Jonathas & loquitur bona de David ad Saul, 1. Reg. 19. Locutus est *Jonathas de David bona.* Passus est David & compassus illi Jonathas, & ne plus pateretur præcavebat, quia membrum fuit ejusdem corporis, Augustin. L. hom. 5. *Non est communis calamitas omnibus membris; sed per compassionem charitatis omnia unium-*

uniuntur ad subveniendum. Ita Jonathas de quo Aëlredus de Amicitia spirit c. 3. *O pulcherrimum veræ dilectionis speculum.* Sed CHristus nos ipsos nobis proponit pro speculo dilectionis. *Sicut teipsum.* Quomodo teipsum amas, dum prudenter amas, sic ama proximum. Non vis te famere, sitire, &c. Sed loco charitatis regnat fraus & malitia, & vel zelo vel etiam pietate tegitur, & dum proximus diligi deberet, odio, habetur. Sumunt non seipsos se amantes pro speculo sed damnatos & in inferno sepultos Caimum, Jezabel, Doëg. Caim evocat Fratrem in agrum. Cyrill. Alex. l. 1. Glaph. *Ut spectator suæ diligentiæ culturæque esset Abel.* Ecce imago dilectionis, sed quid sub illa? mors Abelis. Jezabel curat indici jejunium quasi ut DEus placetur, quia Naboth blasphemavit. Putares zelum, nequitia fuit, calumnia contra Naboth tegebatur. Doëg laudavit Davidem coram Saule, 1. Reg. 16. appellando prudentem, strenuum. Rupert. lib. 2. in 1. Reg. *Omnia quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium ipsius dixit.* Ut magis contra illum Saulem irritaret. Sed à DEO, ut ait Basil. in Isai 3. *Consilia adversus Justos inita, in caput consultantium retorquentur.* Cain in inferno, Jezabel à canibus discerpta. Doëg male finivit. Quid jam de odiis manifestis, cûm neque communia civilitatis signa exhibentur? Sed facias quæcunque velis, *si charitatem non habes, nihil es.* Augustin. de Catech. rudium. *Charitas alios curat, alios contremiscit offendere*, minimam confusionem proximi evitat. Beat. Virgo *salutavit Elisabeth*, cur non Zachariam? Albert. M. in Luc. 1. *Non salutat eum ne dolor illi duplicaretur, cùm in impeditum ad respondendum offenderet.* Fuit enim eo tempore mutus. Sed non desunt qui ut addant afflictionem, imitantur illum, qui Matth. 4. tentavit: *Dic ut lapides isti panes fiant.* Levitic. 6. *Ignis in altari meo semper ardebit.* Ignis charitatem

tem denotat, cur in altari? Durandus in Rationali libr. 1. cap. 2. Quia charitas debet esse propter DEUM. Si propter DEUM, tum erga omnes: Cùm Petrus in Thabor vellet erigere tabernacula, dictum de illo. *Nesciebat quid loquere-tur*, quia solùm pro præsentibus illic voluit erigere. Pa-schasius libr. 8. in Matth. *Non videtur cogitare de Apostolis*, 1. Corinth. 5. *Omnibus omnia sum factus.* Anselm. in hoc. *Omni-um malit omnibus tanquam si mea essent, misericordis diligentiæ medicinam procurando.* Hæc charitas est maximi meriti. Sit unus Vir Sanctus, miracula faciens, sit alter vitæ commu-nis, sed ex charitate serviat ægrotis, quis horum major apud DEUM? Beat. Jordanes in Vitis Fratr. Francisc. re-spondet. Si hic Sanctus *etiam appendat se per nares, non po-test esse æqualis illi.* Sit aliquis vitæ malæ incidat in ægrum peste infectum, ex malis ad desperationem adactum, eum solatur, &c. quid de hoc sentiat S. Bernardus Fer. 6. post cineres. *Si statim moritur sine contritione, salvatur*, quia in hac charitate est contritio.

Dominica XVIII. post Pentecosten CONCIO.

Obtulerunt ei Paralyticum, Matth. 9.

DE Navicula statim initiò agit. Per naviculam debere intelligi Ecclesiam probat multis S. Cyprian. Serm. de Pentec. de illa solùm dico quod Augustin. de Fide Petri. *Fir-missimè tene, & nullatenùs dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. baptisa-tum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemo-*

eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenùs salvari posse. Ad Paralyticum progredior & hunc Christo offero.

Per Paralyticum significatur peccator, sed non quilibet, verùm quem consuetudo ligavit. Nam qui statim surgit à peccato non affigitur grabato, sed postquàm cecidit ambulat. Consuetudo verò alligat ut lecto affigat & veluti catenâ alliget. S. Augustin. de se l. 8 Confess. cap. 5. *Ligatus eram non ferro alieno, sed meâ fereâ voluntate.* Et tamen est hoc robustum vinculum, ut idem de Verbis Dom. Serm. 44. *Factum in consuetudinem vertitur, & fit quadam desperatio*, ut in Paralysi cùm membra dissolvuntur. August. lib. 2. Evang. Quæst. *De Paralytico potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est bonis operationibus.* Facit hæc Paralysis ut malum non ita percipiatur, tamen semper fit graviùs. Clamat conscientia continuò atque mordet, ideò S. Mechtildi ostensa est lib. 5. Revel cap. 7 hoc modo. *Vidit in corde cujuslibet vermem qui habebat caput instar canis, hic vermis erat propria conscientia.* Hæc continuò clamat sicut campanula S. Medardi apud Sur. 8. Jun. hæc fuit appensa bovi sancti hujus, furatus hunc bovem quispiam & obstructâ gramine campanulâ in suam deduxit domum, dum bos quæritur, cæpit companula sonare, abscondit illam fur in cista, nihilominùs illa sonat. Sed Paralyticus vix percipit hunc sonum crescit interim malum, nam & Paralysis roboratur, & peccata non fiunt leviora, nam licet videatur consuetudo minuere peccatum quia videtur minuere libertatem tamen quia liberè eam nobis induximus, non minuit, & consuetudinem liberè inducens vult ab ea inclinari ad peccata, & semper hanc inclinationem auget, sequè magis indignam personam reddit, quò verò indignior est qui offendit magis offendit, asuetus consuetudinem domi alit veluti concubinam

quæ

quæ illum perpetuò sollicitet. Hinc Chrysost. Hom. 22. ad Pop. *Non prætendit fur consuetudinem ut à supplicio liberetur.* Inter eum qui peccavit & qui habet consuetudinem, in ordine ad sanationem, hæc est differentia, quæ inter habentem vulnus, & sagittam infixam vulneri. Ita enim assimilat S. Thom. 1. 2. q. 78. a. 2. ex 7. Ethic Aristot. hos duos, propterea in assuetis habet locum illud Oseæ 5. juxta LXX. *Facti sunt Principes Juda quasi transferentes terminos, super eos effundam quasi aquam iram meam.* Constituunt v.g. pro Paschate surgere è peccato, transferunt terminum ad Pentecosten, inde ulteriùs & non surgunt. Theophilact. in l. c. Qui *Promittit se non eisdem pravis studiis admoturum mensem, & interim transmoverit tales fines, ira DEI super talem effunditur atque supra Pharaonem.* Hic enim transferebat terminos dimittendi populum DEI, & tandem periit. Ita Saul toties constituebat deponere odium contra David, ac tandem ad miseram mortem devenit, & ratio dari potest ex S. Damasc. Orat. de Sabbato S. Ubi quærit cur Christum posuerunt in petra? & ait: *Molles animæ Divinum Verbum admittere non possunt, sed firmæ tantùm.* Qui sunt molles, ut arena, qui scribunt velut in arena proposita, in his CHristus non vult deponi. Hinc Bonav. opusc. de contemptu sæculi: *Hoc teneo, hoc verum puto, quòd ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita.* Et Gregor. 15. Moral. *Tenent pravæ consuetudines quem semel ceperunt, & nonnisi cum peccatoris vita finiuntur.*

Sed hoc quod dico de consuetudine etiam oculis vestris conspiciatis. Scribit Drexel. Prodromi cap. 3. §. 17 Aurifaber quidam moriebatur, oblata illi effigies Crucifixi, ut sic in memoriam Passionem ejus reduceret at ille incipit quærere, quot librarum hæc effigies cujus Opificis, &c. Et sic mortuus. De altero scribit Tolenarius in Eccles. 2. sect. 1. Assvetus horti

deliciis, cùm se mori videret, curavit deferri in hortum, ubi hæc impia: O DEUS nunquam à te cælum petii, cur mihi terram hanc invides? Quia vita est vigilia, mors, somnus; jam verò: *Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno, tempore nocturno reddit amica quies.* Vita nostra est ut Joannes de se. *Vox clamantis in deserto.* Mors Echo; qualis vox, talis Echo. Sed sit tertium de Puella Spoletana acediosa in obsequio DEI. De hac Robertus de Licio. Cum moribunda moneretur ut DEI meminisset, respondit. Quid mihi cum Deo cui nunquam servivi? Augustin. de seipso 6. Confess. 7. quòd reformidaverit quasi mortem consuetudinis mutationem. Quomodo hic metus vincetur cum ipsa mors accesserit?

Nulli tamen desperandum. Ephes. 3. *In JESU Christo Domino nostro habemus fiduciam*: Pluris nos fecit Christus, quàm ut perire sinat, si ipsi nolimus. Psalm 118. *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. Non enim qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* S. Hilarius. *In primo versu singulariter via commemoratur: in tertio plures.* Unâ viâ ducit Justum, plures offert peccatori Chrysost. hom. 5. de Pænitentia. *O magnam in Justo cautionem! O magnam in peccatorem liberalitatem! Peccatori blanditur, Justum terret.* Fuit quidam valdè afflictus, Psalm 90. Comparuit de die, periculum imminebat, *à sagitta volante in die*, voluit vespere orare, *à negotio perambulante in tenebris*, contra illum educabantur mille & decem millia. DEUS verò, *cum ipso sum in tribulatione.* Difficilè frangere consuetudinem, incipe, & DEUS aderit. Neque in hac re nos exempla deserunt. Bzovius Anno 1221. n. 10. Refert. Fuit Romæ pulla re & nomine Pulchra, sed prostituta, ad quam Juventus omnis confluebat, venit etiam uno vespere speciosior cæteris unus Juvenis, cænam illi dedit Puella sed omnia fercula madebant sanguine. Post mensam deducit Juvenem ad cubile, sollicitat, sed ecce pro Juvene

apparet

apparet illi Christus totus vulneribus concisus, & dixit illi Tu Pulchra hoc fecisti, age pœnitentiam, & statim est conversa. Nec minùs amorem DEI erga nos spirat quod scripsit Remundus lib.4. cap. 13. & accidit anno 1575. sub Jubilæo. Minister Lutheranus Polonus habitu peregrini accessit Romam. Receptus in Hospitale S. Trinitatis,& ut est mos per triduum in illo moratur. Præerat Hospitali Ferdin. de Medices, postea Dux Hetruriæ, qui cum aliis Ducibus pedes abluebat peregrinorum, inter quos fuit & hic Minister. Accessit deinde ad templum S Petri in quo conspiciens Pontificem ad pedes se illius cum fletu abjecit. Putabat Pontifex quòd hic peregrinus vellet confiteri, jussitque adstantes recedere. At peregrinus, Non recedant pœnitentiâ publicâ mea peccata egent. Viginti tribus annis minister Sathanæ fui, jam volo esse servus Ecclesiæ, tum uni ex Cardinalibus confessus, ac paulo post in morbum incidens in Nosocomium S. Spiritus delatus, post triduum sanctissimè mortuus, quo audito Pontifex exclamavit, *O altitudo Sapientiæ DEI*!

Sed istæ sunt raræ gratiæ, ad eas quæ sunt præmanibus convertamur, ac primò possumus illius dicti Chrys. hom. 7. ad Pop. meminisse. *Quæ nobis erit excusatio etsi millies consuetudinem objiciamus?* Volumus quid fortius? Bzovius Anno 1198. Volco Sacerdos in Francia venit ad fæneratorem cùm aliquot Clericis pransurus, & cùm varia adduxisset ut eum moveret ad pœnitentiam, demum accessit culinam, & omnia aperuit in quibus erant escæ ex injusto comparatæ fænore, sed omnes in varios serpentes ac bufones abierant, & ait Usurarius, (vas erat unum tritico plenum sed verso in serpentes) si doles de peccatis, nudus ingredere; Ingressus ille. Clausit eum in vase Volco, & die sequenti ex Usurario sola superfuerunt ossa. Hoc cogita, jaces in lecto consuetu-

ſuetudinis, patieris in loco pleno ſerpentibus, Chryſoſtom. homil. 10. in 2 Corinth. *Si libidinis igne flagras, ignem illum inferni appone, atque hic confeſtim extinguetur.* Ita faciebat S. Antonius Eremita in ſuis tentationibus, ut de eo S. Athanaſ. *Dolorem vermium infernalium recolebat*. Ita Puella ſocia S. Brigittæ æſtu turpi tentata quæ igni pedes impoſuit. Poſtea per Sanctam ſanata. Hoc ſuadet Climachus gr. 2. *Importunum cordis incendium gravioris & nunquam finiendi incendii flammis extinguamus,* Hoc remedium DEus adhibuit B. Joſaphato Indorum Principi, cùm ei puella immiſſa eſſet. Oſtendit enim ei in extaſi pœnas inferni. Hoc remedio ſanavit Juvenem planè Paralyticum quidam ex Ordine Prædic. de quo Bernardus de Buſto. Hic à Juvene impetravit, ut eum accederet, legi tamen acceptâ ne quid de vita Religioſa tractaret ſecum. Egit ergò omnia alia, ſed abeundo, rogavit Juvenem, ut decubiturus rogitaret, quo lecto, quibus ſtragulis, quo cubiculo apud inferos uſurus eſſet? Hæc conſideratio ſanavit Paralyſim, nam vix die expectata petiit fieri Religioſus. Et verum eſt quod Caſſian. *Digito ignem modicum tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rogum manibus pedibusque ligatis injici?* Meditetur hæc paralyticus, aut quod, Damian. Epiſtol. 6. *Veniet profectò diei uno nox quando libido iſta tua vertetur in picem, quâ ſe perpetuus ignis in tuis viſceribus inextinguibiliter nutriet.* Optimè S. Proſper. lib. 3. de vita contempl. cap. 2. *Exundantis incendii terribiles crepitus pati, barathri fumantis amarâ caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantia immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus nec finiri, hæc & ſimilia multa cogitare, nihil eſt aliud quàm vitiis omnibus repudium dare.*

Domi-

Dominica XIX. Poſt Pentec. CONCIO.

Multi vocati, pauci electi. Matth. 22.

SI aliquis Gentilium audiret de Amore DEI erga nos, putaret neminem Chriſtianorum damnari, Amor DEI etiam hodie oſtenditur. Vocat ſubditos Rex ad convivium. Quos? Iſai. 49. *Hæc dicit Dominus ad contemptibilem animam, ad gentem abominatam, ad ſervum Dominorum.* Rurſum illis ſignificat, quòd parata ſint omnia demum compellit intrare. Amavit nos ut *folium quod vento rapitur*, & propter nos reliquit aurum, oves 99. Amavit filios putredinis. *Putredini dixi Pater meus es*, & propter nos ſe in mortem dedit. Amavit ut vas fictile, & quia illud ruptum erat & ipſe rumpi voluit. *Nimia charitate nos dilexit* quomodo damnare poteſt? Et tamen, *Multi vocati pauci electi.* Scrutabor hujus rei cauſam.

S. Aug. Serm. 32. de Verb. Dom. ubi conſideravit, quòd ſexcenta millia virorum tranſierint per mare rubrum, ita ſubjicit. *Hoc audiant qui DEum ita miſericordem volunt ut juſtum eſſe non credant.* Et rurſus Serm. 148. de tempore, dum conſiderat capturam piſcium juſſu Chriſti factam. *Capiuntur piſces magni 153. dicet mihi aliquis, & tot erunt Sancti?* Et tamen rete fuit miſſum in dextram navigii. Sed quid SS. Patres evolvam, cùm CHriſtus clarè dicat: *Multi vocati, &c.* de quo Gregor. hom. 19. *Ad fidem plures veniunt ad cæleſte regnum pauci perducuntur.* De Chriſtianis eſt ſermo. Hujus rei non eſt cauſa in Deo, quia cum ad fidem adducit ponit in via ſalutis: & licet propterea quia eſt Dominus, poſſet nos perdere, ut figulus vas confringit cùm illi placet, hoc tamen nunquam facit. De hac poteſtate ejus, Job. 11. *Si ſubverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quæ contradicet ei? vel quis dicere poterit,* cur

cur ita faciat? Hoc verò non facit, ſed utitur indicio, & juxta demerita punit. Pſalm. 9. *Cognoſcetur Dominus judicia faciens* & alibi *Reddet unicuique juxta opera ſua.*

Cauſa eſt quòd pauci ſalventur, quia pauci ſalvari volunt. Invitati venire noluerunt, qui venerunt non omnes voluerunt veſtem nuptialem induere, quæ ut Greg. ſcribit diſtribuebatur convivaturis. Hæc ipſa cauſa eſt, quòd è 600. millibus virorum pauculi terram promisſionis ingresſi, Pſal.105. *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem,* Quod piſces tot capti, quia plures ſagenam intrare noluerunt, ſed quomodo id poſſibile? naturaliter deſideramus eſſe beati. In ſalute noſtra eſt tota beatitudo, quomodo eam nollemus? DEUS eſt cordis noſtri centrum. Lapis non ſiſtit in aëre, & ruit ad centrum. Flumina currunt ad mare unde oriuntur, velut ex fonte. DEus fons omnis boni, quomodo erga homo non vult ſalvari? Non vult homo, quia liberum eſt illi velle, Auguſt. ſermon. 25. de Verbis Apoſt. *Fecit te DEUS neſcientem, juſtificat volentem.* Idem eſt de ſalvatione. Zach. 7. *Noluerunt attendere, & verteruat ſcapulum recedentes, & aures ſuas aggravaverunt, ne audirent.* Unica eſt via ad cælum & veluti pone per quoddam barathrum. *Si vis ingredi ad vitam ſerva mandata.* Dicit ſe aliquis, velle ingredi ad vitam & non vult ire per pontem, quis credet eum velle? DEus prædeſtinavit ad vitam. Sed ut eant per pontem. S. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. *Prædeſtinat ut ſub ordinem prædeſtinationis cadat quidquid promovet hominis ſalutem.* Vult te DEus vivere, ſed ſimul ut cibum ad hoc neceſſarium ſumas. Si dicis te velle vivere & nolis cibum ſumere, falſum dicis, nam verè non vis vivere. Vult DEUS tibi dare fruges, ſed ſi tu ſeminaveris, &c. Qui ergò non vult media neceſſaria ad finem, neque ipſum vult finem, ita homines negligentes ad vocationem DEI, quomodocunque dicunt

ſe

se velle esse in cælo, nolunt esse. Num. 21. Cum murmurarent Judæi in deserto serpentes in illos sunt immissi, erexit Moyses æneum serpentem ut qui illum aspexerit à morsu sanaretur, an putas eum voluisse sanari, qui aspicere nolebat. Aperuit idem mare rubrum ut qui vellent in terram promissionis ire, transient, si quis nollet transire, & tamen diceret velle se ire in terram promissionis, an illi crederes? Quomodo nos decipimus cùm nos velle esse in cælo dicimus! Si ergò miser homo non vis salvari, quid fiet de te! Hebr.2. *Quomodo ergo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?* Quem accusabis cùm Rex invitans quem sprevisti ulciscetur suam injuriam? quandò tibi exprobrabit; Hæc pro te & hæc paraveram, venire noluisti? Noluistis cænam, non gustabitis illam in æternum, quò per æternum vivetis? Noluisti vestem nuptialem, in æternum illâ carebis. Naum.3. *Ostendam in gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Petis guttam aquæ cum Epulone, non impetrabis. *Nemo virorum illorum gustabit cænam meam.* Quocirca cùm à DEO vocaris, non neglige. Dicit DEus ad cor, hoc meum mandatum violasti, hoc restituendum, ita orandum, ita est commutanda vita. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Non est differendum. contemptus fit Principi si non statim verbo ejus pareas: *Hodie si vocem ejus audieritis, &c.* Sicut in deserto, ubi serpentem æneum qui non respexit, periit. Qui non secutus columnam nubis, qui non audivit Moysi vocem, periit; & ita è sexcentis millibus tantùm duo pervenerunt ad terram promissionis.

Domin.

Dom. XX. post Pentec. CONCIO I.

Nisi signa & prodigia videritis, &c. Joan. 4.

NOn facilè est deprehendere causam cur iste Regulus sit reprehensus. Petiit humiliter, petiit pro filio moriente. Si miracula expetiit, etiam hoc justum, quia novam fidem afferenti non oportet credere, nisi miraculis probaverit se à Deo missum. Recurrit ad eum quem sciebat dare miraculosè sanitates. Inquiram causam, & si fortè non repere-ro, saltem in lucro erit, videre propter quæ nos possumus reprehendi à Christo.

Aliqui putant, quòd hic Regulus crediderit, quod Christus possit quidem infirmos sanare, non autem mortuos excitare, ideoque dixerit, *Descende priusquàm moriatur*. Aliqui ad mortuum frustrà venires, & ita in fide deficiebat. Alii putant, quia hic Regulus vixit inter populum credentem, quare scivit Prophetias de Christo, nihilominus in illum credere, noluit nisi aliquod miraculum vidisset, miracula verò sunt pro Infidalibus, Scriptura pro fidelibus, Regulus credebat Scripturæ, oportebat ut etiam crederet in Christum de quo loquitur Scriptura. Ob hanc ipsam causam cùm Judæi Matt. 12. *Magister volumus à te signa videre*, audierunt. *Generatio prava & adultera signum quærit.* Quia uxor bona non dubitat de amore sui mariti erga se, aldultera cùm dubitat, signa requirit. Ita anima. *Generatio mala*, quia malis neque miracula prosunt. Exemplo sit Jeroboam 3. Reg. 13. Tria facta miracula. Altare est ruptum, manus illius aruit, & rursus sanata, tamen in iisdem sceleribus mansit. Idem patet in Pharaone. Alii putant, quòd hic Regulus crediderit quidem quòd Christus Filium ejus sanare posset, sed quòd ad hoc requireretur, ut manus ægro imponeret, adstaret, &c. Sicut Naaman 4. Reg.

4. Reg. 5. requirebat ad ſuam lepram ſanandam; propterea, petiit. *Deſcende &c.* Hæc opinio eſt S. Gregor. ſed non caret ſuâ difficultate. Nam Archiſynagogus Matth. 9. *Veni impone manum tuam ſuper eam & vivet.* Rogabat Chriſtum pro filia, nec eſt reprehenſus; imò dictum illi. *Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit.* Denique, cur Regulus reprehenſus, poſſumus dicere. Rom. 11. *Quis novit ſenſum Domini aut conſiliarius ejus fuit?* Internum aliquid Chriſtus vidit, quod nos neſcimus. Prov. 16. *Spirituum ponderator eſt Dominus.*

Nos videamus ne demus cauſam reprehenſioni. Filius Reguli infirmatus eſt in Capharnaum, quod interpretatur, *Ager pinguedinis.* Videamus cùm temporalia dat DEUS nobis, ne in illam reprehenſionem incidamus. Deut. 51. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus dilatatus, & dereliquit DEum factorem ſuum.* Sicut caro in loco calido citò corrumpitur, ita homo cùm ei bene ſuccedit. Anima languet in devotione, corriptur ſiti velut hydropiſi laborans, & terrena continuò ſitit, quieſcere non poteſt. Terram redolere incipit ut moribundus, cæli nulla memoria &c. Secundò hic Parens differebat recurſum ad Chriſtum & tum primò recurrit cùm jam Filius inciperet mori. Videamus ne ſit idem in nobis; & eſt, ſi pœnitentiam & converſionem differimus. Auguſt. Confeſſ. *Sine modò, adhuc paululùm, & modò non habebat modum, & paululum ibat in longum*: Et ita pœnitentia usque ad mortem differtur, quæ verò ita differtur, rarò eſt vera. Audite expertorum in hac re S.S. Patrum ſententias.

Auguſt. de vera & falſa Pœnitent. cap. 7. *Qui nolunt converti ad Dominum quamdiu poſſunt peccare, poſtea verò ad confeſſionem veniunt cùm ampliùs peccare non poſſunt, non tum faciè quod accipiunt* (abſolutionem) *obtinent.* Et rurſus. *Vix*

aut rarò justa conversio in fine contingit, timendum est de serò pœnitente. Ambr. lib. 2. de Pœnit. *Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si exierit an securus hinc exeat, ego non sum securus, &c. Non dico damnabitur, non dico: Sed nec liberabitur dico. Quare si tunc agere vis pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata, te dimiserunt, non tu illa.* Planè tale est tuum propositum, sicut latronis cui utraque manus amputata, si dicat, non latrocinabor ampliùs. S. Isidor. *Qui pœnitentiam in hora mortis agit, certum est quod in summo versatur periculo.* Hieron. tomo 9. in Epist. Eusebii ad Damasum. *Vir qui toto tempore quo vixit, malè fecit, in mortis articulo acceptâ pœnitentiâ à DEO veniam obtinebit! Heu quàm vana suspicio & vana meditatio! Vix de centum millibus hominum, quorum mala semper fuit vita, meretur habere indulgentiam unus.* Quæ ista est nostra dementia differre ad mortem? vellemusnè per illam viam, per illud mare iter facere, per quod è centum millibus navium vix una evadit? &c. Pergit idem. *Certè verè concludam, qui dum sanus est & Juvenis DEUM offendere non formidat, in morte non merebitur Divinam obtinere indulgentiam.* Liberum verò est DEO dimittere vel non dimittere, Exod. 30. *Miserebor cui voluero & clemens ero in quem mihi placuerit,* sed adhuc idem. *Hoc teneo, hoc verum puto, hoc multiplici experientiâ didici, quòd non bonus est finis, cui mala semper fuit vita.* Arbor dum fuit integra, non fecit fructum, & faciet semiusta? Consuetudo retrahet, videmus eum qui furari assuevit, etiamsi de patibulo descenderit, redire ad furta. Experimur cùm dens dolet, podagra urit, caput deficit, ad nihil sani cogitandum nos esse idoneos, & putamus nos maximè ad pœnitentiam aptos cùm nos invenerint dolores mortis? Jerem. 13. *Si potest Aethyops mutare pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis*

ritis malum. Tùm superbe poteris esse humilis, iracunde patiens, &c. Sed tribus principalibus Ecclesiæ Doctoribus non desit quartus. Gregor. 18. Moral. 5. *Ejus clamorem Deus tempore angustiæ non audit, qui ipse tranquillitatis tempore clamantem in præceptis ejus Dominum non audivit.* Et ratio hujus rei dari potest ex Hugone Victor. libr. 2. part. 14. 15. *Si non facis dum non potes, manifestè ostendis, quòd non vis.* Sed supra omnes Patres est ipse Christus, Matth. 24. *Si autem malus servus dixerit in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cæperit percutere conservos suos, manducet autem & bibat cum otiosis, veniet Dominus servi illius in die quâ non sperat, & horâ quam ignorat & dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, ibi erit fletus & stridor dentium.* Hypocryta est, qui sua scelera tegit imagine virtutum, talis vult vitam suam malam morte bonâ tegere. Dabis tunc pauperibus pecuniam, cùm illam tecum auferre non poteris. Dimittes offensam, quia vindicare ampliùs non poteris, &c. Infirmatur equus & non differs ejus curationem, infirmatur anima & differs! Vadis per montem, pervenies ad præcipitium, &c. Claudam hoc negotium uno & altero exemplo. Primum scribit Petr. Cluviacen. libr. 1 de Miracul. cap. 5. Quidam lapsus in luxuriam, pudore victus differebat hujus peccati confessionem usque ad mortem, venit mors, loco confessionis, dixit se jam damnatum esse, & dæmones præstò esse, ut se ad inferos deportandum, accipiant atque hæc dicendo expiravit. Alterum est ex Beda Hist. Angel. c. 14 In provincia Merciorum Miles Cænridi Regis differebat conversionem, incidit in morbum, monet Rex ut confiteatur. Ille faciam id ubi convaluero, modò putarent me id facere mortis metu. Monetur secundò jam pejus habens, idem respondet. Venit Rex ad eum tertiò, at ille; quid vis modò, quid huc venisti? Non enim mihi aliquid salutis aut utili-

tatis ultrà potes conferre. Adstiterunt Angeli cum modico libello meorum bonorum operum, attulerunt ingens volumen malorum dæmones; stetit judicium, abierunt Angeli, dæmones verò infixerunt unam meis pedibus, alteram capiti lanceam, quæ continuò ad se accedunt, & ubi concurrerint, moriar. Loco tertii exempli sit quod Spiritus Sanctus dixit Proverb. 1. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis advenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè consurgent & non invenient me, eò quod exosam habuerint disciplinam & honorem DEI non susceperint consilio meo.*

Non desunt tamen qui se convertunt statim post peccatum nec differunt, sed an illotum conversio à Deo acceptata sit, assiduè torquentur, his pro solatio afferam doctrinam Isaaci Anachoretæ apud Corderum in Luc. 5. *Hinc autem quis noverit an suorum peccatorum indulgentiam sit consecutus; Si nempè in anima sua senserit, quòd perfectè illa oderit ex corde, & in publicis suis operibus taliter se gerat quàm oportet, talis confidat quòd consecutus sit à DEO delictorum suorum condonationem.*

Eadem Dominica CONCIO II.

Credidit ipse & Domus ejus tota.

DUo in hoc Regulo video. Unum malum, alterum bonum. Malum, incredulus instar Thomæ. *Nisi videro &c. Nisi signa & prodigia videritis, &c.* Audiebat de miraculis, &c. Bonum, quia non ipse tantùm credidit, sed etiam domesticos suos fidem docuit. 1. Tim. 5. *Qui suorum curam non habet fidem negavit.* Adsiscamus nos etiam inter istius domesticos, ut aliquid ab eo discamus.

Credi-

Credidit ipse, etiam suæ domi præsentem esse Christum juxta Divinitatem quod antea non crediderat. Credamus & nos sed fide vivâ illum esse in nostris domibus. Si intrarem Regis palatium, & diceretur mihi, latet hîc Rex post cortinam unde omnia spectat, & si videat aliquid oculis suis indignum, statim fert decretum, quod datur executioni, quando Reus minimè putat, etiam plures occisi à satellitibus, hanc ob causam, & hæc modo, si vis cadavera videre, poteris; qualiter agerem! Est DEus etiam in nostra domo, &c. Docebit 2. quàm debent præcipuè Patresfamiliàs esse circumspecti, quia illorum actiones vim habent exempli. Dum deduceret Moyses populum per mare. Exod. 15. *Tunc cecinit, & Filii Israel*, Nemo fuit qui non eandem caneret cantionem cum Moyse. Quia ille fuit Princeps. Si siluisset, etiam ipsi siluissent. Unde putatis venit in mentem Magdalenæ ut pedes Domini lavaret? Quia Martha ministrabat, æmulata est sororem. Joan. 12. *Quia Martha ministrabat*, æmulata est sororem. Tolet. in l.c. *Cùm sororem Maria ministrare videret, indignum si ipsa otiosa maneret judicavit.* Omnes Apostolos intenderat diabolus tentare. Luc. 22. *Expetivit Sathanas ut vos cribraret*, at Christus pro solo Petro oravit: *Ego pro te* Petre *oravi, &c.* An etiam aliorum oblitus? Sed Petrus erat caput cæterorum, si ipse firmus maneret, etiam cæteri. Chrysost. in 1. Tim. 1. *Qui Pastorem de medio tulèrit, totum simul gregem dissipabit.* Cain timet ne occidatur; à quo poterat occidi? non erant tunc in mundo nisi ejus Parentes. Timebat ne cùm ille Fratrem occidisset, etiam Parentes exemplo ducti filium occiderent. Ambros. libr. 2. de Cain, cap. 9. *A quo timebat occidi, qui solos Parentes habebat in terra? Potuit timere incursus bestiarum, qui docuit hominem occidi, Potuerunt Parentes à Filio discere.* Ita in præsenti, Pater est frigidus in fide, filius febri corripitur quæ à frigore incipit, frigida fides. *Descende* ac si ibi non

non posſit ſanare, ubi non erat præſens corpore. Frigida charitas, non priùs currit ad Chriſtum quàm inciperet mori Filius. Incaleſcit Pater, febris ſanatur, cùm Pater fidem habet ſanam.

Tertium docebit; Quid in afflictione agendum. Auguſt. comparat adverſa perſpiciliis, quæ non ſunt ideò ut ipſa tantùm videantur, ſed, ut per ipſa videatur aliquid aliud, ita non eſt conſideranda ipſa afflictio, ſed quorſum illa ducit, duxit hunc Regulum ad Chriſtum & orare docuit, & licet Chriſtus non ſtatim fecit beneficium, oſtendit ei perſeverandum eſſe. Res bonæ, etiam ſunt perſpicilia, ſed quia valdè ornata, in iis contemplandis ſiſtimus & non reſpicimus per eas datorem DEum. Pincernam Joſeph Gen. 40. conſolatus fuerat in carcere, cum ad proſpera venit, non videt Joſephum, ſed ſua perſpicilia; ſed calamitas ſtatim Nabuchodonoſorem docuit videre DEum. Dan. 4. *Oculos meos in cælum levavi & ſenſus redditus eſt mihi, & Altisſimo benedixi.* Poſtquam inter jumenta fuerat abjectus, Maximè recurrendum eſt ad Chriſtum circa horam ſeptimam. Crucifixus fuit horâ ſextâ, de nonâ expiravit, igitur in cruce fuit horâ ſeptimâ; ad Crucifixum recurrendum. Qui patitur ſcit compati, qui liberalitatem exercet facilè ſagitur. Illâ horâ Chriſtus ſuos fundebat theſauros. Sed non præſcribendus eſt modus quo nos liberet, ut iſte Regulus fecit *Deſcende* Qui enim præſcribunt modum vel tempus miſerendi Deo, de iſtis, Judith. 8. *Non eſt iſte ſermo qui miſericordiam Dei provocet, ſed potiùs iram. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini & in arbitrio veſtro diem conſtituiſtis.* Oportet ſimul diſpliceat nobis noſter morbus. Ambroſ. *Febris tua, libido tua eſt, febris tua, avaritia.* Si hoc haberent morbi corporales, quòd eo ipſo ſanarentur, ſi diſplicerent ! habent hoc morbi animi ſi eos deteſtemur, de illis doleamus. Sed qui

amat suum morbum, CHristo displicet, nec meretur exaudiri. Peccata ponunt nubem inter nos & DEum, ne ad illum possit oratio penetrare. Isai. 59. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & DEum.*

Dominica XXI. post Pentec. CONCIO I.

Iussit eum venundari, Matth. 18.

REus decem millium talentorum, hoc est floren. Polonic. 22500000. quod peccatorem significet, nulli dubium. Duplex verò ejus pœna proponitur, una in hac vita, altera in alia. Cùm de posteriore sæpiùs datur occasio dicendi, priorem solùm explicabo.

Quadruplicem pœnam peccati adhuc in hac vita hoc Evangelium innuit. 1. Jussit eum verundari. 2. Uxorem ejus. 3. filios 4. Omnia quæ habebat. Jussit venundari eum. Homo qui venditur jam in eum alter acquirit Dominium, & cùm liber fuisset, fit mancipium. Christianus quamdiu est sine peccato, est liber. *Quâ libertate donavit nos Christus. Jam vos non dicam servos sed amicos.* Velut cum Amico DEus conversatur; unde Gedeoni Judic. 6 dicitur *Dominus tecum*, Psalm. 45. *Deus in medio ejus.* Postquam peccavit, venundatur & quidem hosti, nam dæmon summè nos odit, quia nos Christus redemit non illum, quia locum nobis dat, quem ille in cælo perdidit. 2. Petr. 2. *A quo quis superatus est hujus & servus est.* Jam sequitur, ut DEus quæ homini dederat, recipiat, famam, honores, sanitatem, bona temporalia. Sicut à Saule recepit regnum, 1. Reg. 15. *Pænitet me quòd constituerim Saul Regem.* Quæ bona dedisset non dat. Jerem. 18. *Si gens fecerit malum in oculis meis, & non audierit vocem meam, pænitentiam agam super bono quod locutus sum ei.* Hinc Angelorum custodia debilior, Et curant

rem

rem veluti non suam, & fit status hominis illius, qualis esset Infantis derelicti in medio bestiarum in sylvis. Jam dæmon acceptâ possessione in hominem, ligat ne bene operetur, unde bona omittit, & veluti careret extremitatibus manuum ac pedum, quod fecerat captis Regibus Adonisebec, Jud. 1. Accidit homini ut illi misero de quo Damian. qui cum vellet ligna cædere in sylva incidit in draconem, eumque securi vulneravit. Sed ab eo spiris circumvolutus in cavernam tractus. Irritasti Christiane draconem cùm in baptismo illi renunciasti, nunc te involutum trahit ad suum antrum. 2 Tim. 2. *Captivi tenentur à diabolo ad ipsius voluntatem.* Cùm tibi suggerit peccatum tunc de te facit pactum, cùm illi consentis tum pecuniam pro te accipis. Aug. in Rom. prop. 42. *Unusquisq; peccando animam suam diabolo vendit.* Et hunc contractum permittit DEus & ratum habet, & ipse ad pœnam jubet venundari.

Jussit venundari *& uxorem.* Per uxorem corpus intelligitur, quia, ut Eva virum, ducit Animam ad ruinam. Quia est sub potestate viri, id est animæ, est debilius. Dum corpus venditur, jam homo iste fit bestia, homo enim à bestiis per rationem differt; Vendita verò est Anima, in qua est ratio, itaque corpus ac si vivat bestiam vivit. *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hinc Scriptura peccatores nomine bestiarum appellat. *Nolite dari sanctum canibus. Nolite margaritas projicere ante porcos. Dic vulpi illi, &c.* Dæmon verò ut bestiam tractat, ut Filio prodigio apponit siliquas porcorum, ut bestiis tollit omnem honorem, opes. Ita Aegyptii spoliati sunt opibus. Amorrhæi & aliæ nationes amiserunt patriam. Aegyptii filios primogenitos. Balthasar regnum, Heli filios, Jerem. 29. *Mittam in eos gladium & famem, & pestem, eò quòd non audierint verba mea.* Adimit consilium. Eccles. 21. *Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non*

tenebit

tenebit, sensus omnes variè corrumpit. Jerem. 5. *Audi popule stulte qui non habes cor, qui oculos habentes non videtis, & aures, non auditis.*

Jussit venundari *& filios.* Omnia opera bona quæ ante peccatum fecerat homo, venundantur. Num. 16. Præcepit DEus Nazaræis sibi consecratis ne tangerent mortuum, alioqui amittebant suam consecrationem. Cùm opera nostra tangunt mortale peccatum, amittunt suam consecrationem. Ezech. 33. *Si Justus fecerit iniquitatem omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur.* Sustinuisset quis pœnas ut martyr, lapsus in peccatum, ubi illa merita? factum est, ut Agricolæ qui postquam multum laboravit subitò illi exustæ segetes. Ut mercatori qui currendo per Indias collegit magnas opes, & ecce subitò in mari perierunt, manet nudus, miser, famens post tantos labores. Docent multi, quòd dum homo in peccatum labitur, ita pereant bona ejus opera, ut licet ex peccato exurgat, non ampliùs redeant. Peccata verò etiam antea dimissa redeant, & ad confirmandam hanc suam sententiam, præsentem adducunt parabolam, in qua Rex servum lapsum in immisericordiam, pro illo debito punit quod jam ante dimiserat. Et habent pro se August. Serm. in verba Matth. Si *Frater* tuus, &c. Quidquid sit de Veritate hujus doctrinæ, cùm ei plurimi contradicant, in hoc tamen consentiunt, quòd multùm aggraventur peccata propter hoc, quia DEus jam illi antea dimiserat, & ille nihilominùs relabitur. Interea curemus ut nos quàm securissimos conservemus.

Jussit venundari & *omnia quæ habebat.* Habuisti jus ad cælum, dona Spiritus Sancti, virtutes infusas, quietem in conscientia, fructum sacrificiorum &c. Venundata sunt. Premit reatus inferni, reatus pœnarum in hoc mundo, &c. Amos 5. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei ursus:*

Si ingrediatur domum, & innitatur supra parietem manu suâ, & mordeat eum coluber. O quis daret oculis nostris tale robur, quo adjuti videre possent in quæ mala adhuc in vita hac peccatum adducit? Non potest facere quidquam supernaturale ac vitæ æternæ meritorium. B. Isaias orat. 25. *Sicut quando ab hoste capitur civitas, imagines prioris Regis evertit, leges condit.* Eradit dæmon è memoria timorem DEI. Obtenebrat scripta in intellectu principia juxta quæ honestè possit homo vivere. Voluntatem provocat ut bonis à DEO acceptis, in ejus offensam utatur.

Quid nos interim agimus? de nobis est iste sermo. Aug. Serm. 15. de Verbis Dom. *Si consideremus peccata nostra, & consideremus, quid facto, quid oculo, quid aure, quid cogitatione, quid innumerabilibus motibus, nescio utrum dormiamus sine talento?* Dies post diem vadit, talentum accedit talento. Non redibit nobis ut Ezechiæ 4. Reg. 20. umbra ad decem gradus, manebunt debiti omnia integra talenta nisi ille dimiserit cui debemus. Sed Greg. in 2. Reg. 3. *Peccare & de DEI Creatoris misericordia præsumere, pelago ejus justitiæ est exponi.* Quid agemus? Quomodo exolvemus? An nova peccata veteribus addendo? Sed jam *multiplicatæ sunt iniquitates meæ super capillos capitis mei, & super numerum arenæ maris supergressæ sunt caput meum.* Quid agemus ubi adhuc in hac vita singulis nostris peccatis suas pœnas infligere cœperit, ut facete solet? Exod. 7. Mergebant pueros Judæorum in Nilo Ægyptii, mutatus est illis Nilus in sanguinem. Voluptuosè Adam edit de ligno vetito, jubetur in sudore vultûs vesci pane suo. Nadab & Abiu filii Aaronis igne sunt consumpti, Levit. 10. Quia ignem alienum accenderunt in altari Domini, &c. Quot apud nos peccata, quot pœnæ! & tamen justus est DEUS, & tamen nullum malum apud illum impunitum.

Eadem

Eadem Dom. post Pentec. CONCIO II.

Oblatus est unus, &c.

Cùm hostes Ecclesiæ ac Patriæ invalescunt, &c. Ut in morbis, faciliùs posset occurri, si causa sciretur. Ego ni fallor assecutus sum, & vobis patefaciam proditorem & causam utriusque, dummodò statim illum projiciatis in tenebras exteriores absque ulla misericordia.

Qui causas ruinæ Regnorum indagant, varias assignant. Alii putant esse dissidia interna, cùm scilicet Absalon insurgit contra Davidem. Sed hæc non tam est causa, quàm pars ruinæ. Divisa in se fuit Græcia & periit, &c. Sed hujus ipsius est alia causa. Quia hæc à DEO propter aliam causam permittuntur. Alii causam putant esse Consilia mala, ut factum est tempore Roboam, quod malum describit, Isai 19. *Stulti Principes Tancos, sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens, & errare fecerunt Ægyptum in omne opere, sicut errat ebrius & vomens* cujus caput vertigine tentatur. Sed ulteriùs. *Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis.* Quia etsi bonum detur consilium, si tamen cæteri non sequentur illud ut ebrii, nihil prodest, ut contingit Micheæ dum consuleret, 3. Reg. 22. Regibus Achab & Josaphat, dum sequi maluerunt deceptorem Sedeciam. *Fecitque sibi Sedecias cornua ferrea; his ventilabo Syriam,* Sed in ore istius fuit *Spiritus mendax.* Nam in eo prælio occisus Achab, & Josaphat vix evasit. Talis verò spiritus non datur à DEO nisi in pœnam, itaque ob causam, & est alia causa ruinæ. Alii Dominantium infelicitati ruinam adscribunt, sed etiam hoc infortunium datur in pœnam. Oseæ 13. *Dabo tibi Reges in furore meo,* De quo Greg. 25. Moral. 14.

Irascente DEO secundùm merita nostra Reges accipimus, pro qualitate subditorum disponitur vita regentium. Ad quod probandum adducit Davidem, quem permisit DEUS errare populum numerando, ut castigaret populum. Sed etiam hìc est pœna non causa.

Quæ ergo causa? cur periit Jerusalem. Mich. 3. *Principes ejus in muneribus judicabant. Sacerdotes ejus in mercede docebant, Prophetæ in pecunia divinabant. Propter hoc, causâ vestri, Sion quasi ager arabitur, & Jerusalem quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelso sylvarum.* Causa omnium, peccata publica, inde discordiæ, &c. Ob adulterium publicum permissus David errare ad quod publica populi accesserunt peccata. *Gladius non exibit de domo tua.* Inde consilia turbata. Quia Sacerdos Domini Micheas percussus. Inde Deus misit Phocam contra Mauritium, quia hic contra Ecclesiam peccavit Monachos opprimendo, consilia Achitofelis turbata quia Sacerdotes occisi. Sed quomodo tota regna pereunt siquidem multi sunt in illis innocentes? Augustinus in Josue libr. 5. q. 8. hoc fieri. *Ut non solùm quisque se curet, sed invicem adhibeant sibi diligentiam.* Sunt innocentes, sed facti nocentes dum secuti majorum mala exempla, dum meriti ut eis tales darentur superiores, dum sua peccata aggerunt. Sed infantes quid? Filii rebellium justè puniuntur, quia in illis Rebelles vapulant.

Quod remedium? Si injuriam nostram proximo condonemus. August. Serm. in Verba Matth. Si frater tuus in te peccaverit, &c. *Si tu non dimiseris peccata proximi, & ille revocabit tua*, id est, DEus. Revocabit, quia ad implendam peccatorum mensuram computabit. Revocabit, quia cùm ille tibi majora dimittat, ingratitudo tua cætera aggravabit. Quia ut Author Imperf. Operis. *Peccatum non solùm secundùm actum*

actum suum judicabitur, sed secundùm peccantis personam. Bern. Serm. 1. de triplici custodia. *Pretiosam vestem turpiùs quælibet macula decolorat.* Preciosum te habuit DEus cùm tibi toties dimisit, & tu non dimittis. Aggravabit, quia peccata jam antea punita, si iterum committantur gravius puniuntur. Gen. 3. de homicidis dicitur. *Septies ultio data de Cain, de Lamech septuagesies septies.* Nabuchodonosor abstulit sacra vasa de templo, punitus & regno restitutus: Balthasar qui id post eum fecit, vitâ & regno privatus. Spiritus nequam expulsus si redeat assumit secum septem nequiores.

Si amas DEum non est difficile dimittere ei qui te ostendit. Sicut qui amat pecuniam non est difficile propter eam labores subire. Plura sunt in vindicta pericula, & tamen illam sumis, quia te amas, & cùm te vindicas illi subjaces decreto Dei. Deut. 28. *Ecce quòd non servieris Domino DEO tuo in gaudio, servies inimico tuo.* Sed est, inquies, contra honorem tuum parcere inimico; atqui omnis honor procedit ex virtute, virtus verò est parcere. Roman. 2. *Gloria, honor, & pax, omni operanti bonum.* Quis laudat vindicativum Saul aut Cainum? Ethnici qui totum ad gloriam mundi referebant, ut Socrates, Antisthenes, Pericles, &c. Pepercerunt inimicis. Chrysost. homil. 52. ad pop. *Gentilium filii nihil expectantes in hoc*, id est, non habentes ullam spem præmii præter gloriam, *plerumque Philosophati sunt, & tu cum tali spe migraturus, retraheris & torpes?* Sed si peperceris, ridebunt te. Qui illi? viri Sancti? Sapientes? nequaquam. Si leves, non cura. Chrys. *A cunctis hominibus, omnique terrarum orbe contemni quid tandem obfuerit, si is qui Angelorum Dominus est, nostri laudator & præco fuerit?* Mavis imitari mundum quàm Christum? Es Christianus, & vis salvari, vis tibi tua dimitti peccata, debes dimittere. Quamdiu non parcis, inimicus es DEI. Hoc deni-

denique menti vestræ infigite, quod Chrysostom. *Non est possibile, quòd homo qui dimiserit proximo, non accipiat plenam remissionem à DEO.*

Dom. XXII. post Pentec. CONCIO.

Cujus hæc est imago, Matth. 22.

NOn solùm Pharisæos, sed etiam nos aliquando interrogabit Christus: *Cujus hæc est imago?* Sed de quo nummo hæc erit quæstio? dicetis, de Anima nostra. Rectè judicastis. S. Dunstanus Episcop. Aliquos nobiles sed dissolutos Clericos deposuerat, rogabat illum Rex cum Baronibus ut illos restitueret. Hæsit ad hæc tacitus Dunstanus, tum Crucifixus claris verbis. *Judicastis bene, mutaretis malè.* Neque hoc nos de anima mutemus, sed cogitemus quid de imagine respondendum.

Rectè dixistis Animam esse nummum. Aug. tr. 40. in Joan. *Nummus Cæsaris est argentum imaginem habens Cæsaris, nummus DEI est homo imaginem habens DEI.* Si in hoc scisceremur, facilè responderemus. Imago sumus DEI. Sed S. Ignatius Mexist. ad Magnesianos. *Pius homo & religiosus vera moneta est, quæ à DEO formata vel expressa est. Impius verò & irreligiosus falsa moneta est, quæ à diabolo facta est. Infideles habent imaginem Principis nequitiæ, fideles formam habent DEI Domini & Christi Filii ejus.* Quare ex nummis sunt aliqui falsi, & licet, omnes habeant imaginem DEI quam in creatione acceperunt, aliqui tamen etiam dæmonis habent. Unde Anselm. *Fecisti me ad amabilem imaginem tuam, ego me feci odibilem.* Characterem suum in Baptismo Christus impressit, peccator imprimit characterem bestiæ, ut est in Apoc. & alter imprimis per superbiam, Luciferi: alter per luxuriam, Asmodæi, &c. Falsicant. Deest pondus. De Balthasare dictum. *Appensus es in*

statera,

ſtatera, juventus es minùs habens. Deeſt in aliis ſonus bonus, nam pejerant, blaſphemant, &c. Deeſt decens figura, quia declinant à circulo. *DEus circulus eſt cujus centrum ubique, &c.* Denique hanc monetam, Animam, aliqui adjudicant Cæſari, mundo, carni. Rarus cum Bern. Serm. de quadrupl. debito. *Non habeo niſi minuta duo, imò minutisſima, corpus & animam, vel potiùs unum, voluntatem meam, & hanc DEO offero totam.* Aliqui ergò ſunt ex ſecta Herodianorum, qui omnem nummum volunt eſſe dandum Cæſari: aliqui ex Phariſæorum, qui quaſi totum DEO, ſed in re. ſolum colorem dant DEO, totum autem nummum mundo, vanæ gloriæ, in ſolis externis totam ſanctitatem conſtituunt, ſed illam faciunt ut ab hominibus videantur. Alii totum mundo, *à vitiis pro mundi honeſtate abſtinent.* Planè evenit Deo, quod illi Principi qui habuit duos famulos, omnia quaſi bona ſua dedit uni, modicum alteri. Mittit ad illos, ut ex bonis à ſe concesſis dent ipſi aliquid mutuò. Prior non tantùm nihil dat; ſed etiam colligit milites ut Principi & id quod ſibi reliquerat, eripiat: Poſterior cum omni alacritate hoc modicum quod accepit, reddit. Reddunt DEO creaturæ hoc parùm quod acceperunt à DEO. Gregor. *Tempeſtates verbum DEI faciunt & tu non facis.* Imò eripis illi feſta per labores: Animas bonas per ſcandalum: Cultum per oppresſionem Eccleſiarum, &c. Plus nobis DEUS dedit quàm creaturis, ita nobiſcum egit in creando ut Pictor, qui nobilisſimas imagines ipſe pingit manu ſuâ, viliores dat pingendas ſociis. Nos ſuâ manu formavit; de aliis dixit: *Germines terra herbam, &c.* Producat aqua &c. Jecit nos ut ſpeculum in quo ejus reluceat imago, & ſæpè relucet Bacchi aut Veneris. Falſa monera mundo eſſet danda, quia non dat nobis bona niſi falſa. Corrupta carni quia illa dat nobis corruptionem. Dæmoni qualis qui dat infernum?

Sed

Sed quorundam nummus à terra devoratur. Origen. *An non tibi videtur à terra devorari ille qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terrena desiderat, & omnem spem suam ponit in terra? ad cælum oculos non levat, &c. talem cùm videris, dicito, quòd terra devoravit eum.* Imago hujus mulier, Luc. 13. Per annos 18. ad terram inclinata. Aliqui huic nummo insculpunt bestias. Chrysost. hom. 4. in Matth. *Iracundus leoni, dolosus vulpi, libidinosus porco, obtrectator cani se similem reddit.* Alii exprimunt diabolum quos alloquitur. Ambros. Offic. *Ejice de civitate animæ tuæ imaginem diaboli.*

Veni Domine, jam interroga, cujus est hæc imago? Anselm. de Orat. *Heu me miserum qualem me feci. Formasti me Domine ad amabilem imaginem tuam, & ego superinduxi imaginem odibilem.* Estne imago tua, estne Filii, redditurne tibi hic nummus? Josephus de libr. 2. de Bello Judaico cap. 8. Judæi *ne imaginem Cæsaris reciperent, ultrò cervices militibus offerebant.* Et tu ultrò tibi insculpsisti imaginem bestiæ, aut etiam dæmonis. Exhibemus nos ut qui vult ex inimicis DEI in nobis suam imprimat imaginem. *In imagine pertransit omnis homo.* Jam hanc jam illam suscipit sicut speculum cùm de loco ad locum transfertur, & efficitur anima veluti quædam meretrix. Sed Ezech. 16. *Propterea meretrix audi verbum Domini. Hæc dicit D. Deus, &c.* Vide ibi. Exuret has imagines sicut imagines hæreticorum exuruntur ab Inquisitoribus Fidei. Non hanc ego impressi imaginem.

Hæc pœna & in regna integra extenditur, cùm enim amittunt imaginem antiquæ pietatis, DEI: cùm imaginem assumunt hæresis, tyrannorum in subditos per oppressionem, Persecutorum Ecclesiæ: & DEus tollit imaginem quam habebant, felicitatis, victoriarum, pacis, amplitudinis. Unde si in Græcia

Græcia ſurgeret à mortuis Alex. M. quæreret cujus hæc eſt imago eſtnè illa imperii? &c. Si Conſtantinus M. ſuntnè iſta templa? en 2. Eſdræ 11. *Tribuláſti manſuetos, læſiſti quieſcentes, &c, Propterea non appareas tu aquila, & alæ tuæ horribiles.* Ceſſabit tuum imperium, &c. Sed firmior de hoc ipſo eſt ſermo Baruch. 4. *Obliti enim eſtis DEum, & contriſtaſtis nutricem veſtram Jeruſalem*, Eccleſiam, *Vidit enim iracundiam à DEO venientem vobis, & dixit, audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum, vidi captivitatem populi mei, quam ſuperinduxit illis æternus, &c.* Videte alia regna, fuerunt in Græcia Sancti, &c. Fuit in Ægypto Eremus plena viris DEI, &c. Habemus templa, & illi habuerunt. Audite quid Jeremiæ dictũ, c. 7. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, templum Domini, templum Domini, &c. Nunquid ergò ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum nomen meũ, in oculis veſtris? Ego, ego ſum, ego vidi, dicit Dominus, &c.* Dicebant ſe eſſe Chriſtianos, habere ſe templum Græci & templum hæreticis, Simoniacis implebatur. Quare dicit DEus: *Faciam ſicut feci Silo, projiciam vos à facie mea, ſicut projeci omnes fratres veſtros. Tu ergo noli orare pro populo iſto, quia non exaudiam te.* Dicebant & illis falſi Prophetæ. Jerem. 6. *Curabant contritionem populi mei dicentes, cum ignominia, pax, & non erat pax.* DEus adhuc non puniet, &c. *Tranſibunt domus eorum ad alteros, agri & uxores pariter, quia extendam manum meam ſuper habitantes terram.* Orabant Sancti, ſed ut Ezech. 14. *Si ſteterint coram me, Noë, Daniel & Job, ipſi liberabunt animas ſuas.* Hoc ſolùm impetrarunt. *Si dixero gladio tranſi per terram, non liberabunt filios neque filias.* Imò ut Iſai. 34. *Orientur in domibus ejus ſpinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus, & erit cubile draconum. & paſcua Struthionum.* Curemus ut in nobis ſit imago DEI.

Dominica XXIII. post Pentec. CONCIO I.

Filia mea modò defuncta, &c. Matth. 9.

PEr has duas mulieres in Evangel. significatur Synagoga & Paganismus. Sanguine fluens notat Synagogam tum propter circumcisionem, propter quàm dixit Sephora Moysi, *Sponsus mihi sanguinum es.* Tum propter continuum in sacris usum sanguinis. Hebr. 9. *Omnia penè in sanguine mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Insuper ipsa sibi imprecata, *Sanguis ejus super nos, & super Filios nostros.* Per filiam nostram notatur Ethnicismus, qui DEOS mortuos colebat, unde illum ridet, Psalm. *Oculos habent & non videbunt, &c.* Sicut mortui nihil de rebus salutis & vitæ sciverunt Ethnici, apud Romanos Cæsares mortui pro Diis habebantur. De Idolis Sap. 5. *Diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.* Utrisque succurrit Christus, & de hoc loquar.

Judæi non solùm in sanguinibus erant, sed etiam sæpè ad idola declinârunt. Quamvis gloriabantur. *Notus in Judæa DEus & in Israël magnum nomen ejus.* Tantùm ex Ægypto sunt educti & statim in Ægyptiorum idololatriam lapsi adorârunt vitulum, sicut illi Apim, Exod. 32. *Hi sunt Dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quid turpius agere poterant? &c. Idololatriam secuta alia peccata, nam Moysen occidere volebant. Sacerdotium Aaroni eripere, denique ita corrupti ut ex tanta gente soli tres fuerint absque sceleribus Moyses, Caleb, Josue. Postea ex decem tribubus, Tob. 1. Solus *Tobias Pergebat in Jerusalem, cùm omnes irent ad vitulos aureos,* & 3. Reg. 19. Solum se derelictum penes DEum quærebatur Elias, nam licet fuerint septem millia, qui genu coram Balaam idolo non curvaverunt, tamen aliis peccatis fuerunt impli-

implicati. De suis temporibus lamentabatur. Jerem. cap. 1. ut id S. Hieron. exponit: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens* in Israël, *à planta pedis usque ad verticem non est sanitas in eo.* Tum verò licet punirentur non se corrigebant. Dati sunt in servitutem Gentibus: misertus Deus liberavit eos per Othonielem, Judic. 3. Rursus relapsi, tradidit eos Deus in manus Moabitarum, misertus illorum liberavit per Aod. Rursus relapsi traditi sunt Chananæis, liberati per Deboram. Iterum lapsi traditi Madianitis & Amalecitis, & liberati per Gedeonem. Iterum Judic. 10. *Filii Israël peccatis veteribus jungentes nova, serviebant idolis Baalim & Astaroth, & Diis Syriæ & Sidonis & Moab, & filiorum Ammon, & Philistiim*, tradidit eos Deus Philistæis, misertus deinde misit illis Samsonem. Successerunt Samuel, Saul & David, qui inimicos eorum domuerunt; Sed statim sub Salomone reinducta idololatria, & post illum Roboam fecit duos vitulos aureos, unum in Bethel, alterum in Dan, duravit hoc malum per annos 258. & perierunt decem tribus quæ non fuerunt cum Roboam. Roboamo successerunt boni Reges Asa & Josaphat, sed post illos Joram renovavit idola, idem post eum facit Amasias. Successerunt Azarias paulò melior, & post eum Jonathan utcunque bonus, sed post eos Achaz pessimus. Deinde Rex optimus Ezechias, qui regnavit 29. annis. Tum Manasses sceleratus rexit annis 55. de quo 4. Reg. 18. *Fudit sanguinem innoxium multum nimis donec impleret Jerusalem usq; ad os.* Successit illi similis Amon. Post illum fuit bonus Josias, & regnavit per annos 18. Sed iterum idololatra Joachaz. Successerunt verò tempora de quibus Isai. 2. Quibus colebant pro Diis talpas, & vespertiliones, de reliquis temporibus universim, Matth. 13. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & eos qui missi sunt ad te.* Jam sunt tempore Adventûs Christi pro sanctissimis habebantur Pharisæi

risæi, sed hi Sycophantæ, scelerati, totam sanctitatem ponebant in ore hominum. Peccata in mente nulla vitabant, fuerunt raptores bonorum alienorum, &c. Erat altera secta Saducæorum hi nihil de altera vita, de immortalitate animæ, de Angelis, de Spiritu credebant. Si quæramus an fuerint in Synagoga quæ in Virginitate Deo servirent. Si Doctores Ecclesiæ, concionatores efficaces? altum silentium. Fuerunt pauci Prophetæ, Martyres exigui: Eremitæ nulli. Sitit sanguinem Synagogæ Christus, incruentas instituit cæremonias & sacrificii induxit Sanctitatem.

Jam vertamus oculos ad puellam mortuam, ad Gentilismum, ubique mors. Ab initio mundi per annos 1666. non ita hoc malum sæviebat, dum recens esset doctrina Adæ de DEO verò. Sed post diluvium, post 293. annos fere totus mundus in idololatriam lapus excepto Abraham, cui dictum: *Egredere de Ur Chaldæorum.* Sicut enim peccata crescebant, ita veri DEI scientia deficiebat. Lumine naturali interim videbant, omninò debere esse DEum, quare dæmon in occasionem intentus, primò, solem, astra, &c. Persuasit esse DEos, neque hæc stultitia solùm rudem populum invadebat, sed etiam sapientissimos. Tùm ex adulatione cæperunt Reges etiam impios pro Diis habere. Nam Patrem Saturnum Jupiter occidit. Ipse ut serviret turpi amori vitam egit Pastoritiam. Æsculapius medicinam à Chirone didicit. Babylonii Belum pro Deo habuerunt, quia Babylonem ædificavit. Romani Romulum, qui Remum fratrem occidit, qui Sabinas mulieres rapuit, Lupam quæ nutrivit Romulum. Floram quæ sui meretricii questûs hæredem scripsit populum Romanum. Alii Reges seipsos voluerunt coli pro Diis ut Nabuchodonosor. Alexander Magnus, &c. Ad fœdiora paulatim lapsus orbis, nam ut Lactant. lib. 1. cap. 11. Romani inter Deos colue-

coluerunt, Febrim, Pavorem, Mucorem, &c. Deum Muscarum ut eos à muscis defenderet. & hic fuit ipse Beelzebub, &c. Ut August. de Civit. lib. 2. cap. 4. Romani Deum ex Epidauro urbe serpentem advexerunt, qui tam se fæcundè multiplicabat, ut necesse habuerint semina ejus igni exurere. Babylonii, Dan. 14. draconem pro Deo coluerunt. Athenienses, ut Ælianus lib. 6. cap. 2. Serpenti, ut tutori urbem suam dedicârunt. Alii felas, canes, &c. pro Diis colebant, & si quis illis molestiæ quidquam intulisset morte mulctabatur. Alii arbores, montes, allia, cepas, &c. adorabant. Absurdi Dii; sed neque cultus illorum sanctior. Scythæ immolabant advenas Dianæ. Romani vivos defodiendo Diis sacrificabant, Galli senes minutim concisos. De Idolo Moloch, 4. Reg. 16. Cujus honori infantes vivi comburebantur. Ludi in cultum Deorum fiebant, in quibus adulteria exprimebantur. In honorem Bacchi simulabant amentiam. In festis Minervæ, ut scribit Herodot. lib. 4. Virgines certabant fustibus, & quæ occisa fuit pro corrupta habebatur. Quid de gladiatoribus Romanis, qui mutuis cædibus se conficiebant? Quid de aliis quos ad bestias mittebant? Sed recentiora sunt. Japonia constat regnis 66. & est major quàm Gallia & Hispania, in ea in Deorum honorem saxis ad collum ligatis se in mare dejiciunt, alii scaphas perforant, tum leviter clavis occludunt, & sic mari se committunt, tùm foramina aperiunt. Indi corda hominibus extrahunt ut Diis jactando versùs cælum offerant. In civitate Mexicana singulis annis plura quàm viginti millia hominum Diis immolabantur.

Mores Ethnicorum similes cultui Deorum. Sed priùs non idololatrarum aspiciamus. Cain pessimum imitati Adæ filii, præter Seth; sed & hujus filii ingressi ad filias hominum, & ita corrupta fuerunt omnia ut dicat, Gen. 6. *Videns autem*

DEUS quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem fecisset in terra. Postea apud Idololatras, spoliare bonis alterum pro decoro habebatur, ut fecit Arphaxad, Nabuchodonosor. Apud Lacedæmonios furari licebat, questu corporis dotem sibi nupturæ comparabant. Ungari ut scribit Proc. lib. 2. Corda captivorum vorabant. Romanorum quales Cæsares? Cadavera mortuorum Persæ comedebant. Voluntaria mors Romæ honori ducebatur, filioli demergebantur deformes, Pluto habebat genium familiarem, item Socrates. Lex erat ut uxores communes haberentur, & id probabat sapiens Cato. Socrates scortum alicit. Diogenes Cynicus in publico vacare proli docebat. Plato, Aristoteles de DEO, de Animæ immortalitate, Mundi origine, Dei Providentia, nihil certi habuerunt. At modò ut prædictum Isai. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem, & ambulantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* Cessarunt idola, Magia proscripta, non sunt Aruspices, silent Oracula. Servi DEI imperant dæmonibus: Sanata est Hæmoroissa, excitata est puella. Hæc mulier ut scribit. Euseb. Cæsarien. lib. 7. histor. cap. 14. fuit oriunda ex civitate quam Phænices Panenda vocabant, & Christi effigiem æneam erexit, circa quam nascitur herba, quæ ubi pertigit ad fimbriam Christi est contra omnes morbos. Hanc Sozomenus dicit fuisse ex Cæsarea Philippi, & certum videtur non fuisse Martham, etsi aliqui putent, quia Martha fuit ex Bethania: Cæsarea illa fuit in Phænicia. Statuam illam dejecit Julianus Apostata & suam posuit, quam pauló post fulmen contrivit. Accedere Christum non ausa, quia juxta Levit. 15. Fuit immunda. Fimbrias Christus in veste habuit. Quia Num. 15. *Loquere filiis Israël, ut faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, &c.* Ex his Samaritana cognovit Christum, quòd Judæus esset. Fimbriæ fuerunt, hyacinthini seu cælestis colo-

coloris. Accessit à retro hæc mulier, quia post mortem Christi conversi sunt Judæi. A Puella ejecit tibicines, quos adhibebant Judæi, sive Thraces imitati qui lætabantur in morte carorum sive ut Theophylact. *Judæi Virgini defunctæ exhibebant honorem quem debebant in nuptiis.* Hujus mortuæ tenuit manum. Manus Gentilitatis fuit Roma, in hac suam Cathedram, id est Petri posuit.

Eadem Dominica CONCIO II.

Filia mea modò defuncta, &c.

DUas sortes peccantium proponit Evangelium, unam eorum qui infirmantur quidem ut mulier sanguine fluens per annos duodecem, alterum eorum qui moriuntur. Unius curatio est si ad Christum accedat, alterius si Christus veniat, de utrisque loqui proposui.

Quòd sanguis peccata significet, patet ex S. Script. Oseas 4. dum peccata numerat, his concludit: *Sanguis Sanguinem tetigit.* Hoc est, peccatum unum secutum est aliud, dum vult appellare Davidem Semei peccatorem, ait 2. Reg. 6. *Egredere vir sanguinum.* Et ipse David cùm petit liberari à peccatis, Ps. 50. orat: *Libera me de sanguinibus.* Quia veluti sanguinem effundit, qui occidit animam suam. Hoc etiam certum est, quòd mors peccatum significet, quia sicut dum moritur homo deest principium à quo procedebat motus naturalis, ita dum moritur anima deest principium motuum supernaturalium, & quia, forma dat esse rei, hæc deest forma in anima, & anima fit nihil. Homo veró est iste qui seipsum occidit, sicut ille qui dulce bibit venenum. Hoc etiam certùm quòd cùm Dominus tangit, graviter affligit. Job in suis miseriis, *Manus Domini tetigit me.* Ad mortuum, 4. Reg. 4. mittitur Giezi cum baculo, Ps. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

Pecca-

Peccata itaque ſunt alia ad quæ non opus deſcendere Dominum, alia ad quæ opus. Priora ſunt cùm remanet verecundia, ut hæc mulier acceſſit à retrò præ pudore ſequitur Chriſtum, audit. In poſterioribus, jam fides deficit, dicitur Chriſto, *Veni* atq; ſi Chriſtus non eſſet Deus. Curatur priùs honor civilis, vocantur tibicines. Prioribus ſatis ſit fimbriam Chriſti tangere. Sed poſteriores ſciant ſe mortuos, cogitent quid ſit mors. Dicant ſibi cum S. Sylveſtro Fundatore Sylveſtrinorum, qui viſo cadavere: *En ego ſum quod hic fuit, & brevi ero quod hic eſt.* Quis inde fructus? Climacus gr. 6. ubi agit de quodam Monacho, qui à mortuis redivivus per annos duodecem quibus vixit, nullum verbum prolocutus, & tandem in agone ſic ad Fratres locutus. *Indulgete mihi, nemo mortis memoriam habens poterit aliquando peccare.* Mors eſt terribilis propter ſuos ſatellites, propter pericula in quibus Anima erit dum veluti arx ab hoſtibus appugnabitur, jam cuniculis deſperationis, jam bombis præſumptionis, &c. Jam literis proditoriis, dum Amici ſolabuntur. *Hæc infirmitas non ad mortem.* Thren. 2. *Prophetæ tui tibi viderunt falſa & ſtulta, nec aperiebant ubi iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.*

Poſtquam agnoveris te mortuum eſſe. Confitere, & dic, Anima mea *Filia mea mortua.* Neque differas, *modò mortua.* Chryſoſt. Serm. de Abſalon. *Semper ſcelera dum non reſecantur increſcunt.* Dum Iſaac moraretur in Palæſtina, obruerunt inimici puteos quos foderat Pater ejus Abraham. Ille quid? Gen. 26. *Rurſus fodit alios puteos quos foderant ſervi Patris ſui Abraham.* Cur non alibi fodit? Abulen. *Terra illorum puteorum mollior erat quia olim effoſſa.* Faciliùs effoditur antequam terra longo ſitu induretur. Oportet quamprimùm ſurgere de peccatis. *Filia mea.* Quid deinde faciendum? *Accedens,*

ecce Oratio. Pete ut in his te juvet Deus, & in cæterùm præserver. Hoc enim signũ veri doloris, sicut & illa, non palliare peccata quærere rudem Confessarium, aut vitâ dissolutum; non cogere ut absolvat, non recedere ab ordinario, restituere, fugere occasiones. *Filia mea, domus tua, Filia tua.* Ejicere tibicines, corruptores. Videre quid agatur cum hac filia, ne vagetur sicut Dina, Gen. 35. ne fingat morbum aliquis sicut Amon ut Thamarem decipiat. Iste vacat ludis pecuniariis, unde habet pecuniam? hic extra domum pernoctat. Videre cur affligaris, tribulatio est sicut viga Moysis, quamdiu est in manu, est virga: Sed si projiciatur in terram, fiet coluber. Dum in manu tenes est virga ad corripiendum, dum in terram impatiens projicis, est coluber ad mordendum. August. in Psal. 60. *Eadem tribulatio bonos purgat, probat, & eligit: malos reprobat, exterminat, annihilat.* Tunc Christus tenebit manum, & benedictiones suas impertietur. Psal. 27. *Tenuisti manum dexteram meam, & cum gloria suscepisti me.* Maximè verò ad publica attendendum peccata qualia sunt, blasphemiæ, superstitiones, maledictiones, perjuria, turpiloquia, ludi vetiti, festorum violatio, &c. Pro his enim non solùm totam domum, sed etiam tota regna punit Deus, lege Josue 22. & 3. Reg. 20. à versu 30.

Eadem Dom. post Pentec. CONCIO III.

Filia mea modò defuncta, Matth. 9.

NOn sine mysterio tres tantùm defuncti leguntur à Christo suscitati, imò & Sancti tres plerumque excitabant. *S. Martinus trium mortuorum magnificus excitator.* S. Francisc. Xaverius: Plures excitavit, tamen solùm tres ponuntur in canonizatione. &c. Conabor hoc mysterium aperire.

Consideremus primò, Puella mortuâ domi invenitur, Juvenis in platea, Lazarus in sepulchro. Certum est quòd isti omnes designent diversos peccatores. Nam quidam foetens ut Lazarus. Bern. de domo interiori. *Tolerabiliter canis putridus fœtet hominibus quàm anima peccatrix DEO.* Aliqui etsi non ita sordeant, tamen sunt cadavera. Pænit. Gregor. in Psalm. 7. *Mors est quæ animam à DEO separat sensuum internorum intercludet officia, Divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem.* Hoc facit mors corporis, hæc ipsa facit peccatum. Per omne verò peccatum mortale ipse homo suam occidit animam. Unde Gregor. in Psalm. Pænit. 3. *Si os mentientis, ut est Eccles.* 30. *Occidit animam, quantò magis gladius ferientis extinguit vitam?* Quantò magis alia graviora peccata? S. Thom. Opusc. de Dilect. DEI, cap. 20. *Corpus habet ab anima velut à DEO, quasi à summa & primaria forma.* Sicut ergò dum à corpore anima recedit, moritur homo: ita moritur anima, dum recedit Deus, & hoc fit per peccatum. Moritur anima ut puella domi, dum intra se consentit in peccatum. Moritur ut Juvenis ille, cùm actu externo complet peccatum. Jacet ut Lazarus in sepulchro, ligatis manibus ac pedibus, lapide conclusus, cùm peccando consuetudinem contraxit. Descripsit has mortes, Psalm 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, Ecce Puella: *Et in via peccatorum non stetit*, Ecce Adolescens: *Nec in cathedra pestilentiæ sedit*, Ecce Lazarus. Omnia ista peccata odit DEus. Jussit DEus Ezechielem ut foderet parietem templi, fodit primò comparuerunt contra legem Dei picturæ, hæ sunt imaginationes puellæ intra se. Fodit secundò, ecce thus idolo adolebant, jam sunt facta & opera, quæ per Adolescentem exprimuntur. Fodit tertiò jussu Dei, ecce faciebant mulieres sedentes Adonidi sacra anniversaria, jam istæ sedebant, habitus erat, Lazarus erat.

Videamus jam modum hos tres excitandi. Puellæ manus apprehenditur, & dicitur de illa, dormit. Ad levem correptionem tales surgunt veluti è somno Adolescenti dicitur. *Surge.* Surgit cùm illi in aure incipit sonare. *Surgite mortui, venite ad judicium.* Cùm novissima illi in mentem reducuntur. Sed cum Lazaro quot cæremoniæ sunt adhibitæ, turbavit se Christus. Illachrymatus, &c. Bern. in Assumpt. B. V. serm. 2. *Reversus ad vomitum canis odibilis erit multò plùs quàm antè & fiet filius gehennæ multipliciter.* Hoc ipsum veluti explicat Blossius de Confessione Sacrament. *Quid omnia proderunt pænitenti si ad vomitum revertatur, verbum sapientis est, unus ædificans & unus destruens quid est nisi labor? Verbum Augustini est, Inanis est pænitentia quam sequens culpa coinquinat, vulnus iteratum sanatur tardiùs. Sic lugens & peccans veniam non meretur. Nihil prosunt lamenta si replicantur peccata; nec valet, de malis veniam poscere, & mala denuò iterare.* Si tam difficilè surgit qui relabitur, etsi totus quoties egit pœnitentiam, sed post casu relapsus: Si ita difficulter ad vitam redit qui subinde respiravit, an faciliùs redibit, qui nunquã signa ulla vitæ dedit, sed jacuit velut Lazarus? Chrysost. homil. in Psalm. 2. quàm absurdum est; *Peccator cùm terra sit, in cælum bellum gerit: cùm sit fænum cum igne pugnat: cum sit lutum adversatur ei qui se finxit.* Et adhuc in isto manet statu!

Videamus hujus rei exemplum. Captam Domini Arcam posuerunt Philistæi cum Dagon; Mors erat Puellæ. Cecidit Dagon, mansit integer, nihil ampliùs accidit. Sed illi, ut ait S. Prosper, putantes id casu factum uncis obfirmârunt ipsum Dagon: jam est peccatum Adolescentis. Et ecce Dagon cecidit, caput, & manus, & pedes illi sunt amputati. Frangitur caput, non suppetit consilium surgendi, non manus. Pergunt Philistæi, & plaga nimis magna sævit, pereunt Principes & populus. En mors Lazari. Nemo tamen desperet. Cùm

 Chri-

Christus te excitabit, etiam vires augebit. Moyses cum primas legis tabulas accepit, non refulsit ejus facies, sed refulsit, quando confractas restauravit. Samson tonsis capillis amiserat vires, sed postquam iterum creverunt, majores habuit quàm anteà. Tantùm DEO revocanti ad vitam pareamus. Audi quid de Pœnitentia dicat Chrysostom. homil. 6. in Marc. ubi illa Ps. explicat. Lavabis me & super nivem dealbabor. *Quoniam lavisti me per lachrymas meas, lachrymæ meæ & pœnitentia mea, fuerunt mihi pro baptismate.* Habet se pœnitentia aliquo modo instar baptismatis. Quod ipsum clariùs Nazian. Orat. in SS. Lumina. *Quintum locum tenet lachrymarum Baptismus, verùm asperior est & laboriosior, qui perfunditur illo, qui per singulas noctes lectum, ac stratum suum lachrymis lavat.* Hoc intelligetur ex Isiod. Hispalen. lib. 2. de Offic. Eccles. cap. 24. *Tria sunt Baptismata: Unum quo regeneramur ex aquæ lavacro, aliud quo consecramur in sanguine, tertium Baptisma lachrymarum.* Sicut Baptismus non ex meritis Baptisati, sed ex Christi tollit peccata, ita & Sacramentum Pœnitentiæ; neque Christus in hoc magis suo parcit sanguini, quâm in illo, neque in hoc pauciora potest tollere peccata quam in illo. Animet se tantùm Peccator & incipiat sincerè pœnitere, neque desperet. Accipiat liberaliter de thesauro meritorum Christi & sua peccata exolvat, nunquam deficiet hic thesaurus. Est in Chronicis Minorum part. 2. Cùm nobilis ægrotaret quidam odio plenus contra alterum, visa est domus ejus corvis referta: inductus à Filio ad confessionem, quoties aliquod peccatum confessus, toties corvus avolavit. Docet modùm Greg. in Psalm 4. Pœnit. *Quicunque misericordiam DEI invenire desiderat, necesse ut quàm gravia sint peccata agnoscat, puniat culpas fletibus, faciem Domini in confessione præveniat, ponat ante cordis oculos & culpas operis, & ultimæ terrorem animadversionis, penset quàm discretus Judex veniat quod ideo peccatores sustinet, ut*

iis conversis minus inveniat quod condemnet. Ascendat tribunal mentis suæ, constituat se ante se, videat fœditatem suam ut corrigat, ne nolens tandem videat & erubescat. Sit sibi judex incorruptus, torqueat eum timor, erumpat confessio. Sed dices te non sentire pondus peccati. Jer.31. Sume *tibi speculam, pone tibi amaritudines, & dirige cor tuum in viam rectam.* Theodoret. legit. *Sume de te supplicium & da cor tuum super humeros tuos.* Quamdiu urna est infra aquam putei, non sentitur ejus pondus; pone illã super humeros, senties. Venisti in profundum putei; ideò non sentis pondus peccati, pone super humeros, relinque per aliquot dies peccata, pete à Deo cor novum, senties pondus. An non grave peccatũ? Tert. de Idolol. pro Deo servis dæmoni. *Cùm universa delicta adversùs Dominum sapiant, nihil autem quòd adversùs Dominum sapiat, non dæmoniis & immundis spiritibus deputetur, quibus idola mancipantur, sine dubio idololatriam admittit quicunque delinquit, id enim facit quod idolorum mancipes faciunt.* Sed petet quomodo culpæ puniendæ? Non est crudelis DEus qui eas gravissimè punit, nihil facit contra justitiam, imò infra condignum punit. Ad imitationem DEI sunt puniendæ. Greg. in Ps.4. Pœnit. *Sive sit parva sive magna iniquitas, nisi puniatur ab homine pœnitente, punietur à DEO judicante. Sicut per quendam sapientem dicitur, Job. 9. Sciens quia non parceres delinquenti.* Non erubesce confiteri. Bernard. in Cantic. *O nimia hominum insania! Pudet ablui, & non pudet inquinari. Pudet sordes abstergere, & non pudet sordes contrahere!* Augustin. in Psalm. *De ipso vulnere non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? Curre ad Medicum, & dic illi, iniquitatem meam cognosco.* Quid tibi prodest occultare quod tandem toti mundo cum majori pudore revelabitur? Quod DEUS videt? Naum. 3. *Revelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam in Gentibus nuditatem tuam.* Non revelabit Confessarius quæ illi dicit. S. Thom. in 4. dist.21. *In nullo casu*

potest Sacerdos revelare confessionem, & potest præceptum & juramentum accipere, se nescire ea quæ habita sunt in Confessione. Quia ignorat ea ut homo, licet ea habeat ut vicarius Cristi Neq; te metus relabendi a confessione deterreat, dummodo relictis malis incipias conversari cum bonis Prov. 13. *Qui cum sapiẽtibus graditur sapiens erit: amicus stultorum similis illis efficietur.* Sapientes dicuntur sancti, peccatores stulti. Fuge otium deinde. Hieron. ad Demetriadem. *Nihil est sancto proposito deterius otio* Tum verò attende ne tui sensus per illicita vagentur.

Dom. XXIV. post Pentec. CONCIO I.

Videbunt Filium hominis venientem &c.

VEnit dies in qua Deus hominem statuet ante illum ut seipsum videat. Ps. 49. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.* Apollinarius legit. *Statuam contra te faciem tuam* videbunt suam deformitatem. Dœmones aspicere non possumus ob illorum deformitatem, quid illos fecit deformes nisi peccata? Vide jam homo qualis sis. Sed utique videbunt Filium hominis, ejus pulchritudo hoc totum extingvet? imò exaggerabit. Poteras homo illi similis esse. Hæc est summa tragædia quam sum propositurus.

Aperitur theatrum, sed quomodo instructum? stellæ cadunt de cælo, fulmina. Crux profertur, ad quem finem? *videbunt in quem confixerunt.* Specta te homo, quis tu, & quem confixisti. Cæsar Arelaten, hom. 23. *Qui habet aures audiendi audiat. Quid judicii tempore facturi sumus, quando crucifixi Domini livores, notæ peccatorum nostrorum, & maculæ libidinis proferentur.* Prodeunt consilia bona spreta, confessiones sacrilegæ &c. Stat miser homo velut Reus in arenam eductus, velut cùm civitas ab hoste capitur. Basil. hom. in Ps. 33. *Qui verò malefecerint, in probrum & confusionem resurgent, in seipsis turpitudinem,*

nem, & formas eorum quæ peccaverunt conspicientes impressas. E-
rit Confusionis ejusmodi impressio istis tantò plùs horrori, quàm vel
ipsæ tenebræ, aut ignis æternus quòd in ea æternum sint victuri, sem-
per ob oculos versantes vestigia illa peccati in carne admissi. Ephr.
serm de Judicio. *Horribilior tenebris, illoque igne ille pudor erit*
atque Confusio in qua versabantur semper oculos vestigia illa pec-
cati, quasi notæ alicujus tinctæ, nec eluibilis unquam, in memoria
animæ æternum duraturæ. Venit Christus sed non cum illa
facie cum quali in terra visus. Ps. *Tabescent peccatores a facie*
DEI. Vertet homo ad S. Seraphim oculos, dicent occidisti
sanctitatem nostram. Vertet ad Cherubim &c. vertet ad san-
ctos. *Gladii ancipites in manius eorum.* Quid verò ipse Christus?
Ezech. 7. *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & com-*
plebo furorem meum in te, & judicabo te juxta vias tuas, & imponam
tibi omnia scelera tua, & non parcet oculus meus, nec miserebor. Re-
velabuntur jam toti orbi peccata & bona opera cujusque.
Clamabunt regna, vindica DEUS, propter hunc hominem
nos punivisti. Clamabunt sancti, vindica, isti nostra exem-
pla spreverunt Clamabunt Ethnici, Tunc veniet Regina Saba.
Clamabit Tyrus, *si hæc signa fuissent apud nos facta* &c. Clama-
bit *lapis de pariete.* Tot accusatores erunt contra unum! Si-
cut omnes creaturæ serviebant homini ita omnes contra ho-
minem consurgent. Quid interim homo dicet? Job. 30. *Mu-*
tatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi.
Tune es mutatus qui me tantoperè adamaveras? Instabit dæ-
mon. Juste judex mihi debetur hic homo. Opponet homo, u-
tique jejunavi, & reponetur, *In jejuniis vestris invenitur voluntas*
vestra. Dicet, Oravi, reponetur, *Non est speciosa laus in ore pecca-*
toris &c. jam peccata aliena &c. Clamabit homo, per sanguinē
tuū miserere. Sed fiet sicut fecit Theod. cùm scriberet anathema
contra Patriarcham Const. sanguinē Domini affudit atram ēto.

Adjudicabit Lucifero superbos, Asmadæo luxuriosos, &c. Vale Frater, &c. Isai 13. cùm evertetur Babylon. *Habitabunt ibi Struthiones & pilosi saltabunt ibi, &c.* S. Aelredus sermon. 10. in Isai. *Quomodo quæso in Babylone jam ultricibus flammis exposita, aut Struthiones habitabunt, &c. An quia ad confusionem illorum, qui se his vitiis polluerunt, ipsa vitia eorum oculis ac memoriæ ingerentur, ut sicut in corpore pœna, ita & peccatum pro quo punientur versetur in conscientia. Erit ergò in illa civitate damnata, sicut pœna æterna, ita & peccatorum quæ fecerunt æterna memoria.* Ita Moyses Exod. 32. Judæis vitulum quem adorarunt, contritum in potu propinavit. Apoc. 21. *Timidis autem & incredulis, & execratis & homicidis, & fornicatoribus & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulfure.* Dabit, dabit illa scelera potanda in hoc liquore sulphuris. Abacuc. 2. *Bibe tu quoque & consopore*, debebis bibere quocunque te vertas. *Circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.* Hæc bibes.

Ite maledicti in æternum. Quamdiu? Cyprian. Serm. de Ascens. *Non miserebitur ultra DEus nec audiet pœnitentes.* Consumenturnè aliquando illo igne? Cyrill. *Mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu. Quia & mors semper vivit & finis semper incipit, & defectus deficere nescit.* Qualis domus? Isai 13. *Et replebuntur domus eorum draconibus.* Aelred. l.c. *Tunc replebuntur domus eorum draconibus, quando vitia quæ nunc videntur jucunda & dulcia, in hominis conscientia draconis speciem præseferent, cujus & faciem horreat & flammam non ferat. Dicuntur enim hæ bestiæ terribilis esse vultûs, naturæ tam igneæ ut flammas ex se emittere videantur. Ita profectò vitia & peccata quæ nunc delectant, apparebunt horrenda & materiam æterni incendii ministrantia.* Horrenda, quia Isai. 1. *Confundentur ab idolis quibus sacrificaverunt.* Ignem ministrantia æternum. Jam quæro.

Quis

Quis ex vobis habitare poterit cum igne devorante, & ardoribus sempiternis? Hinc homo cogita, quid sit peccatum, quod Deus mitissimus & in æternum punit & tam graviter. Proinde si quis pro uno peccato per totam vitam tormentis totius mundi torqueretur, quasi id satis esset, risum faceret. Hinc videamus qualis agenda pænitentia. Sed plerumque ita illam agimus ac si damna totius mundi à nobis exusti uno vellemus obolo compésare. Sæpè minùs dolemus quàm nummo amisso.

Eadam Dominica CONCIO II.

Erit tribulatio magna &c. Matth. 14.

Abbas Amonius interrogatus à quodam, quid facere deberet ut salutem consequeretur audivit. *Vide, & cogita, & loquere, sicut incarcerati. Illi namque interrogant, ubi nam est Judex, quando venturus est, atque in suarum expectatione pænarum plorant,* In idem recidet, si suasero. Hodiernum diligenter legat Evangelium in eo ad judicium describitur apparatus, & omnes sumus rei, omnes tenemur in carcere. Hic *timor Domini* erit *initium sapientiæ* nostræ. Hunc apparatum, neque totum, sed solùm ut ejus executor erit Antichristus, describam. De quo judicio tempus erit dicendi in proximo Adventu.

Apoc. 12. *Væ unum abiit, & ecce adhuc veniunt duo væ.* Abiit mors, sequitur judicium, & infernus. Matth. 14. ab hoc incipit præsens Evangelium. *Egressus JESUS de templo,* Egressus non audiet. Egressus Matth. 23. *Non me videbitis.* Fiet abominatio in loco sancto. Nam in templo DEI posuit Pilatus imaginem Cæsaris, priùs per quinque dies circa domum ejus projecti jacuerunt Judæi ne id faceret, die sexta immisit in eos milites & ut Joseph. l. 7. c. 4. *Cadaverum non solùm civitas, sed*

& templum plenum erat, occidebantur ad ipſas aras, ipſi ultrò ceruicem porrigentes. Hæc fuerunt in Jeruſalem, hæc erunt dum veniet Antichriſtus cujus ignotum nomen. Erit ex Judæis, nam ab illis in Meſſiam recipietur. Tunc Apoc. 20. *Solvetur Sathanas*, qui tam multa facit ligatus, qui illi theſauros abſconditos aperiet. Dan. 11. *Dominabitur theſaurorum argenti & auri.* Et ſicut putat Cyrill. cathech. 15. Se faciet Romanorum Imperatorem. Cùm Sathanas ſolutus, ſoluti ſunt quatuor Angeli ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equeſtris exercitus, vicies millium dena millia. Antichriſtum ab utero poſſidebit diabolus, & corpori juxta ſuam intentionem faciet temperamentum. Deinde ut Hieron. in 7. Dan. habitabit in eo corporaliter, ſubjugabit decem Reges, qui inter ſe partientur Romanam imperium, & tribus ex illis occiſis, reliqui ſolvent tributum. Hoc notant Apoc. 17. decem cornua beſtiæ. Metropolim ponet in Jeruſalem. In qua templum illius honori ædificabitur, & in illo coletur pro DEO. Facit falſa miracula. Apoc. 13. *Data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & lingvam, & gentem* Dan. 11. *Elevabitur adverſum DEUM Deorum, & loquetur magnifica.* Ipſe verò occultè adorabit idolum Maozim. Auferet ſacrificium & ſolùm occultè celebrabitur Miſſa. Nemini licebit aliquid emere, niſi portaverit ſignum ejus, ad recognoſcendum quòd ille ſit DEUS. Et publicè proponet imagines ſuas ut eas adorent ut DEUM, & qui hoc recuſaverint occidentur. Et ad ſe pertrahet plurimos, donis, terrore falſis miraculis. Apoc. 12. *Cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, id eſt, Chriſtianorum. Hæc ſumma ejus poteſtas durabit Dan. 7. *ad tempus & tempora & dimidium temporis.* Hoc eſt ut Apoc. 11. per dies mille ducentos, ſeu menſes 42. Apoc. 13. ita Antichriſtum deſcribit. *Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita*

ſeptem,

septem & cornua decem, & supra cornua ejus decem diademata, & supra capita ejus nomina blasphemiæ. Et bestia quam vidi similis erat pardo, & pedes ejus sicut ursi, os ejus sicut os leonis, & dedit illi draco virtutem suam. Tum Apo. cap. 16. plagas quæ per septem Angelos velut ex phialis in terram effundentur. Primus effudit, & factum est vulnus sævum & pessimum in hominibus Secundus effudit in mare, & factus est sangvis tanquam mortui & omnis anima vivens mortua est Tertius effudit, & flumina conversa sunt in sangvinem. Quartus, & factus est æstus magnus & ignis. Quintus, & commanducaverunt homines linguas suas præ doloribus. Sextus & siccatum est flumen Euphrates. Septimus, insurrexerunt fulgura, voces, tonitrua.

Contra Christianos insurgent Judæi & Pagani tradet fratrem in mortem frater. Interim abundabit iniquitas, & refrigescet charitas *Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* Ezech. 38. *Gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur, & judicabo cum peste, sangvine. & imbre vehementi, & lapidibus immensis, & sulfur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos qui sunt cum eo.* Mittet DEUS fidelibus in subsidium Enoch & Eliam qui palam refutabunt Antichristum. Apoc. 16. *Percutient terram omni plagâ quoties voluerint, & si quis voluerit nocere eis exiet ignis de ore eorum.* Hóc est ad verbum illorum. Apoc. 11. *Hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat*, aquas convertendi in sangvinem, percutere omni plagâ terram quoties voluerint. Hoc tempore Judæi recedent ab Antichristo. Dan. 12. *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis.* Quomodo Antichristus irâ accendetur? occidet illos. Apoc. 13. & jacebunt corpora eorum insepulta per dies tres & dimidium, quibus ille insultabit. Sed Apoc. 11. *Spiritus Domini intravit in eos, & steterunt super pedes suos*

suos & ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt eos inimici eorum, quare timore magno corripientur omnes, & fiet terræ motus. Et *reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam DEO.* Et decima pars Jerosolymæ præ terræ motu corruet supervivet istis Antichristus diebus triginta. Tum oliveti montem ascendet, veluti & ipse conscensurus in cœlum & in eo à suis adorabitur. Sed Christus illum occidet verbo suo, hoc est, ad mandatum Christi vivus à terra absorbebitur. Apoc. 19. *Hi duo* Antichristus & Lucifer, *vivi missi sunt in stagnum sulfuris ardentis*, Alios ex adhærentibus illi Apoc. 21. *Descendit ignis de cœlo, & devoravit eos.* Tum Ecclesia erit in pace aliquo tempore &, Dan. 12. Antichristiani occidentur, tot erunt cadavera, ut si deberent sepeliri, Ezech. 39. opus esset mensibus septem si arma & clypei in usum culinæ exuri, opus esset annis septem.

Sed jam agonizat mundus, & sicut morienti obtenebrantur oculi, sol & luna obscurabitur, Oculi primi puniuntur. Judic. 16. Samson exoculatus ductus est Gazam. quia ut ait Nicol. Serarius, ibi primo Dalilam conspexit. Et quomodo ille cùm duceretur, fuit affectus, sic homines afficientur. *Arescentibus hominibus præ timore.* Nulla fora, nulla voluptas, ut cùm hostis irruit in civitatem Ps. 69. *Montes sicut cera fluxerunt à facie, à facie Domini omnis terra.* Apoc. 10, Apparebit Michaël supra terram & mare & clamabit. *Tempus non erit ampliùs.* Advolabit Aquila dicens, *Væ, væ, væ, habitantibus in terra. Tunc virtutes cœlorum movebuntur* Aperiet infernum Angelus Apoc. 9. *puteum abyssi*, evolabunt dæmones instar locustarum, pungendo cauda scorpionis mordendo dentibus leonis. Apoc. 16. Ruet grando pondere talenti. Apoc. 8. Tertia pars maris in sangvinem vertetur, reliquæ aquæ fient amaræ instar absynthii. Tum ignea pluvia ut Noë tempore fuit

aqua, hæc terram purgabit. S. Th. in 4. dist. 47. q. 2. Terra erit lucida & pervia sicut vitrum, aqua sicut crystallus, aër sicuti nunc est cœlum, ignis sicut nunc luminaria cœli. Isai 30. *Erit lux lunæ sicut lux solis & lux solis septempliciter.* Atq; dies erit continuus, elementa pura ab omni permistione. Anselm. *Terra quæ in corpore suo Corpus Christi confovit, tota erit ut paradisus, & quia sangvine Sanctorum est irrigata, odoriferis floribus, liliis roris, violis immarcescibilibus, erit perpetuò decorata.* Ignis iste in bonos aget loco purgatorii, & pro ratione culparum aduret, malos verò torquebit. Omnes denique concremabit, Tum ut S. Th. 3. p. q. 7. a. 9. Quidquid erit fœdum & turpe in mundo in infernum mittetur. Quidquid verò pulchrum ac nobile reservabitur in superioribus ad gloriam Beatorum. Et sicut gloria Beatorum post judicium Major erit quàm antè, ita & pœna reproborum.

Descendet Michaël & tubâ visibili canet *Surgite mortui, venite ad judicium.* Resurgent in momento, in ictu oculi, exeunt ex mari, ex terra. Salutat quævis Anima suum corpus. Sed qualiter? Dies erit in qua curriculis throni ejicientur, exercitus armis exuentur, palatia suos Dominos obruent, stellæ cadent &c. Aug. serm. 106. de temp. *Sicut tubis canentibus muri Jericho ceciderunt, ita & nunc oportet ut civitas mundi, id est, superbia, cum sunt turribus, avaritia, atque luxuria cadat.* Hæc juxta probabilem conjecturam.

FRAGMENTA CONCIONUM
super Dominicas per annum.
Dominica IV. Adventus.

SAnctus Joan. Chrysost. cùm primò ad populum Constantinop. coram Arcadio Imper. Concionaturus cathedram

 ascen-

aſcendiſſet, ita cæpit. *Hoc primum verbum à Præcurſore Domini accipientes annuntiamus, Agite Pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Hoc ille fecit, quia erat Joannes, hoc ipſe Joannes monet ut faciam hodie. In quo voce & exemplo præit. Cant. 2. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Theodoret in 3. Matth. *Turturis vox audita eſt in terra noſtra, cùm ſonuit vox pœnitentiæ Præcurſoris.* Turtur ſolitariè quæ gemit, audite quomodo nos ad pœnitentiam provocat.

Prædicat ſupra Jordanem. Primum miraculum Chriſtus fecit in aqua in Cana Galileæ mutando illam in vinum. Joan. 2. de quo Chryſol. ſerm. 157. *Ubi aqua mutavit naturam, mox patefecit authorem, & elementorum creator mutatione revelatus eſt creaturæ.* Volumus ut nobis Chriſtus pateſiat, opus eſt ut mutemur. Venturus ad ſponſam ſponſus Cant. 1. ait. *Murenulas aureas faciemus tibi.* Hoc eſt, inaures ſimiles murenalis piſciculis. Alii legunt. *Turtures aureas faciemus tibi*, ut gemitûs continui admoneant. Baſil. in Pſ. 29. *Non cuilibet animæ gaudium oritur, ſed ſi quis peccatum ſuum vehementi lamentatione ac ſingultu ploraverit, veluti ſi ſe extinctum lugeret, qui ſane fletus poſtremò in gaudium convertitur.*

Dominica infra Oct. Nativit. Domin.

MUlta ſunt in Chriſto miranda, Natus eſt infans & ſimulavit. Natus ſine perſona humana cum natura humana, id eſt cum corpore & anima. Natus ex Matre quam ſibi elegit, & ſtatim ſapiens. Natus panis, toti orbi ſufficiens in uno hortulo & ſine ſemine. Mare totum in una concha. Natus ſine dolore Matris. Sed magis hæc miranda quæ de illo dicebantur, quia natus multis in ruinam. Venit Chriſtus ut Moyſes vel Joſue ut Salvaret, quomodo poſitus in ruinam?

ita ut Moyses in ruinam cùm murmurarent contra illum, cùm idololatriâ suâ coëgissent ad frangendas tabulas. Factus ut Josve, qui non illos induxit in terram promissionis, qui sperabant se inducendos. Nascitur doctor castitatis, erit in ruinam luxuriosis. Magister paupertatis, ruina avaritiæ, prohibebit usuras, simonias. Luc 13. In Siloë cecidit turris, & oppressit viros. Siloë interpretatur missus. Cum esset missus Angelus ad Virginem, jam isti opprimuntur.

Eadem Dominica.

Multa poterant mirari in Christo. Nam in illo facta est longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana, lux non apparens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Potentia regitur, sapientia instruitur, fortitudo sustentatur, lactatur Angelos reficiens, vagit solatium. Crescebat. Crescere debemus in virtutibus. Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* in multiplicatione bonorum operum in charitate Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Tum verò 2. Pet. 3. *Crescite in gratia & cognitione Domini nostri*: Hæc incrementa fiunt per amorem paupertatis Gen. 41. *Crescere me fecit DEUS in terra paupertatis meæ.* In tribulatione Exod. 1. de Judæis. *Quantoque opprimebant eos, tantò magis crescebant,* In humilitate. Esther. 11. *Fons parvus crevit in fluvium maximum.*

Dominica II. post Epiphaniam.

Sanctus Epiphanius hæc habet iisdem verbis hæresi 71. Circa undecimam diem mensis Tybi (hoc est 6. Jan.) post annos triginta (Christi) factum est primum signum in Cana Galilææ

lilææ; quando aqua facta eſt vinum. Quapropter etiam in multis locis uſque iu hanc diem hoc fit, quod tunc factum eſt. ſignum Divinum, in teſtimonium incredulis, ut teſtantur in multis locis fontes & fluvii in vinum converſi. Cibyres quidem urbis Cariæ fons, quâ horâ hauſerunt miniſtri, & ipſe dixit (Chriſtus) Architriclino. Teſtatur id in Geraſa Arabiæ fons ſimiliter. Nos bibimus de Cibyris fonte, fratres verò noſtri de eo qui eſt in Geraſa in Martyrum templo. Sed & multi in Ægypto, de Nilo hoc teſtantur, quare in undecima Tybi apud Ægiptios omnes hauriunt aquam, & reponunt tum in ipſa Ægypto, tum in multis regionibus.

Eadem Dominica.

ABſit ut quiſquam reprehendat Matrimonium, de incommodis tamen illius loqui poteſt exemplo Pauli 1. Cor. *Verumtamen tribulationem carnis ejusmodi habebunt. Ego autem vobis parco.* Hæc vox *parco* ſumitur in ſcriptura pro *miſereor.* Sed maneat in ſuo eſſe. Aug. de Virginit. cap. 16. quare parcit? *Quaſi timeret Apoſtolus ne ſi tribulationes conjugii patefaceret, nullus eſſet qui ad conjugium accederet* pepercit, noluit mala numerare. Quando primus homo duxit uxorem os lateris amiſit, & pro eo debilem carnem accepit In litaniis canitur. *Omnes SS. Virgines, omnes SS. Viduæ.* Cur non *omnes SS. conjugatis?* quia in cælo Apoc. 21. *Abſterget DEUS omnem lachrymam.* Conjugium non eſt ſine lachrymis 1. Cor. 15. *Alia eſt claritas Solis, alia Lunæ.* Pulchrè ſeorſim lucent, ſed jungatur Soli Luna, ecce fit Eclipſis ſolis. Opponat ſe poſt conjunctionem ſol lunæ, ecce fit Eclipſis Lunæ. Ut Jobum perderet diabolus uxorem adhibuit. In cœlo enim Chriſtus omnia in optimum ſtatum, id eſt feliciſſimum, reducet, non nubent neque nubentur,

bentur, Salutem ipsam uxorum ad virginitatem refert Apost. 1. Tim. 2. *Salvabitur per generationem filiorum &c. cum omni sobrietate.* Hieron legit *cum omni castitate* hoc est, si filii fuerint casti seu castitatem Matris compensaverint Anselm. *Tunc salvabitur mulier si eos filios genuerit qui virgines sunt. Non nubent neque nubentur.* Ambr. in Ps. 39. Quendam ad cælos euntem iter affatur *Tu jam nullas insidias pertimescas. Et Adam ut caderet à serpente deceptus est & flexus est ab uxore, ideò jam nullæ in paradiso nuptiæ, sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum sicut Angeli DEI.*

Eadem Dominica.

NUllum miraculum tot annis fecit DEUS, atque mutationem aquæ in vinum. Vixit S. Epiphanius anno 380, & ejus tempore, hoc ipso die, quo versa est aqua in vinum in Cana, aquæ in vinum vertebantur, de quo & Plinius Ethnicus. Nullum tam copiosè, nam in ipsa Cana, ferè 221. ollam Polonicam mutavit in vinum. Nullum tot locis, nam plures fontes mutabantur, ex quo apparet quod nobis vinum optet. Et hoc est vitam juxta ipsius naturâm, boni enim est benefacere. Sed cur non statim, & sine aqua dedit vinum? Per aquam intelligitur tribulatio, juxta illud Ps. 63. *Per ignem & aquam transivimus.* Isai. 43. *Cùm transieris per aquam tecum ero.* Sed hoc ipsum est beneficium. Nonne sculptor dolat truncum, sed ut faciat ex eo imaginem. Nonne figulus argillam? sed ut faciat vas. Nonne agricola? Medicus? E contra homines sæpe ex vino aquam faciunt. Orat in templo Anna devotè, Heli putat ebriam. Paulus fidem docet, & dicitur ex multa sapientia esse stultus &c. Cur hoc? effectus imitatur causam. Nos boni DEI sumus effectus. Ratio est. Gen. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*

Sed unde hoc acceperunt? Certè non à causa. Quia sumus corrupti. De nobis dictum. *Factus & mihi in arcum pravum.* Artifex bonum facit arcum & rectè projicit sagitas, depravat aliquis, jam in latus projicit. Eccles. 7. Fecit *DEUS hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Per quæstiones depravamur. Miscuit se Eva quæstioni: cur DEUS prohibuit vobis vesci de ligno vitæ, secuta depravatio. Sic etiam modò se miscent. Cur tot sunt Religiosi? Cur decimæ dandæ? Cur me non vindicabo? &c: Inde depravatio, cùm rationes futiles occurunt & in illis sistitur, & lex DEI violatur, Isai 1. *Vinum tuum mixtum est aquâ*, Etsi tibi videatur esse purum, Cælum est significatum per botrum Josue. In botro vinum non est mixtum. Hoc nobis post aquam parat Christus, post viam deserti latet sub uva. Fulgent. *quidquid de cælo loquimur, terram loquimur.* Interroga lapidem, quid sit esse in cælo? Si loqui posset, diceret, quiescere in centro terræ. Interroga arborem, diceret, nutriri, crescere, propagari. Si eqvum diceret, aquam puram bibere, avenam puram comedere. Quia sicut lapis non attingit ad bonum plantæ, nec planta ad bonum animalis, nec animal ad hominis bonum, unde non cognoscit quid sit habere bonam famam gloriam, honorem, scientiam, quæ sunt bona hominis. Ita etiam homo in hac vita, ubi ea solùm cognoscimus quæ per sensus intrarunt, non cognoscit beatitudinem cæli. Hinc etiam cùm de illa S. Paulus loquitur, non tam dicit, quid est, quàm quid non est, *Nec oculus vidit*, &c. David sub similitudine voluptatum corporearum proponit. *Inebriabuntur ab ubertate* &c. Et sic de aliis quanquam & corpus suas habebit voluptates, sed multò majores, puriores, id est, sine admixtione turpitudinis, fatigationis, fastidii &c. Sed beatitudo animæ primum locum tenet. Hoc vinum nobis servat, sed adhuc modò

modò est in botro. Sed si homo vinum, id est voluptates hujus mundi quærat, tandem cogetur vinum illud bibere, de quo Deut. 32. *De vinea Sodomorum vinum eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.* Accipiamus modò in exemplum voluptatem luxuriæ. Greg. 6. Moral. 1. *Justitiâ DEI peccator projicitur, quando ad luxuriæ inquinamenta curvatur.* Ut Saul qui *projectus est à DEO*; ad quod ipsum facit Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Greg. l. c. *Reprobis mentibus non est magnum immunda cogitare.* Et tamen verum est, quod dixit S. Remig. *Exceptis parvulis paucissimi salvantur ob vitium incontinentiæ.* Et ratio patet ex Greg. ibid. *Cùm nolunt vitare quando possunt, postea cùm volunt non possunt, quia nunquam perfectè velle possunt.* Et ulterior ratio, quia 1. Cor. 3. Templum sumus DEI, violatoribus autem templi sui non facilè ignoscit DEUS, nam & vendentes de templo ejecit &c. & Antiocho non pepercit, ut est in lib. Mach. *Orabat scelestus veniam quam non erat consecuturus.* Quare expectemus modicum, & non festinemus ad vinum mundi. Dabit nobis DEUS ipse vinum. Sustineamus ad tempus aquam. Ps. 55. *Pro nihilo salvos facies illos.* Quomodo pro nihilo? laboramus pro cælo, bibimus aquam. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Sed respectu cæli omnia nostra sunt nihil ut si quis pro palatio Salomonis daret obolum. Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Illa est infinita, istæ finitæ si pro monte auri dares paleam, quasi nihil dares? & tamen utrumque est finitum. De laboribus nostris Apoc. 14. *Dicit spiritus ut quiescant à laboribus suis.* Non quiescunt à gloria. Nox interrumpit nostros labores, at Isai. *Nocte & die non tacebunt laudare nomen Domini.* Non semper jejunia &c. Hæc ipsa quæ damus non sunt ex toto nostra, quia DEUS collaborat. Dicamus nobis sæpè. *Servi inutiles su-*

les sumus. Repetamus quod Ratherius Episc. Veronen suo curavit inscribi sepulchro, *Conculcate pedes hominũ sal infatuatum.*

Eadem Dominica.

Cùm DEUS alia peccata quæ circa proximum fiunt, non ita dicat contra se fieri, ut adulterium dicit enim Ps. *Tibi soli peccavi* cùm in adulterium incidisset. Et Gen. 20. dixit DEUS Abimelecho Regi Geraræ qui tulerat Saram Abrahæ putando fuisse innuptam. *Scio quod simplici corde feceris, & ideo custodivi te ne peccares in me*, adulterando. Cur adulterium est specialiter peccatum contra DEUM? Matrimonium est quædam imago SS. Trinitatis, vir repræsentat DEUM Patrem, Filius Filium, Spiritum S. uxor, qui autem peccat in imaginem Regis peccat in Regem. Peccat adulter, quia vir & mulier sunt una caro, hanc unitatem dividit, & facit plures carnes. Deinde Prov. 19. *Domus & divitiæ dantur à Parentibus, uxor autem prudens à Domino.* Pro voces *prudens* legit Cornel. à Lapide, Menoch. Salazar, *propriè* id est *datur proprie*, tanquam speciale donum, hoc donum quod DEUS dedit, aufert adulter. Dedit Pater DEUS Adæ uxorem ex osse, hoc os convertit adulter in lutum. Dedit ut esset adjutorium, hoc adulter vertit in nocumentum. Deus unum dedit virum mulieri, addit adulter se alterum. Peccat & in DEI Filium, quia Matrimonium humanum representat illud Matrimonium quod est inter Christum & Ecclesiam, hoc adulter inficit. Christus Matrimonium elevavit ad Sacramentum, hoc adulter deturpat. Qui adulterium cùm Madiantibus commiserant, jussit DEUS appendi contra solem Num. 25. Quia ut Origenes & Apollinaris in hunc locum, furati honorem DEO, ideò ut fures plectuntur. Et quia DEI Filius est sol, est lumen de lumine, contra so-

tra solem sunt appensi. Peccant contra Spiritum S. adulteri, quia Spiritus S. fons est omnis casti amoris, illi hunc amorem pervertunt. Præterea peccat in DEUM, quia templum ejus prophanat. Templa enim DEI sunt Christiani 1. Cor. 6. *An nescitis quia membra vestra sunt templum Spiritûs S.* & ita Spiritui S. faciunt contumeliam. S. Trudo ut scribit Sur. 23. Nov. adhuc puer extruxerat sibi templum de luto, diruit illud quædam mulier petulans, & statim excæcata. Hinc Oseæ 9. *Insania in domo DEI, profunde peccaverunt sicut in diebus Gabaa.* Peccatum Gabaonitarum fuit adulterium, ut est Judic. 19. Quos ex voluntate DEI ita aliæ tribus castigarunt, ut tantùm sexcenti remanserint vivi ex tribu Beniamin in qua fuerunt illi adulteri Hinc David in hoc lapsus peccatum, ait. *De profundis clamavi.*

Dominica III. post Epiphaniam.

DUo petunt à Domino sanitatem. Leprosus eam vult consequi per resignationem in DEI voluntatem. *Domine si vis potes me mundare.* Centurio allegat obedientiam, *Nam & ego homo sum sub potestate,* &c. De illo nihil dicit, hunc laudat Christus, & addit *Multi ab Oriente* &c. per quod adscribit salutem obedientiæ. Quæ hujus causa? Disputant, an mundus potuit esse ab æterno? & concludunt communiùs, quòd non potuerit, quia est creatura, hæc verò debet esse ex nihilo, tam sui, alioqui Filius DEI diceretur creari, quam ex nihilo subjecti. Igitur prius est nihil quam illa. Itaque non ab æterno. Quidquid sit de hoc, Hominem non decuit creari ab æterno, sed priùs debuisset esse domus in quam induceretur, locus crearetur in quo esset. Creatus est homo ut cœlum accipiat, & hoc Christus desiderat. *Ego in hoc veni ut vitam habeant.* De illo dictum Luc. 1. *regnabit in domo Jacob.* Non in Abraham, quia hic cùm solùm duos haberet Filios, tamen Ismaeli solùm dedit panem

& aquam. Non in Isaac quia hic vix aliquid dedit Esau, sed in domo Jacob, qui cum duodecem haberet filios, omnibus prospexit; & facit hoc Christus tam libenter ut ille Pater. Filius prodigus proposuerat longiorem ad illum habere Orationem, non permisit totam dicere, sed statim. *Proferte stolam.* Sed ad cœlum homo pervenit per obedientiam. Nam & fides fundatur in obedientia Evangelii & cæteræ virtutes. Sit exemplo liberalitas in pauperes, DEI bona administramus, & vult ut ex iis pauperibus erogemus. Si non facimus, agimus ut dispensator qui contra voluntatem Domini agit & sic se bonorum Domini facit dominum, atque simile quid furto committit. Insuper infamat Dominum, quasi ille malè de suis bonis disposuerit. Et si non obediamus vehementer DEUS offenditur 1. Reg. 15. vocat scelus ariolandi, Quia non obedit; non DEO, sed suæ voluntati servit, & quasi illi offert sacrificium, suam voluntatem præfert Divinæ. *Qui perdiderit animam suam, inveniet eam.* Oportet esse id ut cadaver, quod se pro libitu tractantis sinit tractari, sic invenitur anima. Si te vult DEUS esse Apostolum, obedi: si Prophetam, acquiesce &c. In exemplum hujus virtutis dedit Filium. *Factus obediens usque ad mortem. Multi ab Oriente & occidente venient*, non memorat Austrum & Aquilonem quia Solis obedientia apparet cùm jussu DEI oritur & occidit. Ad Austrùm & Aquilonem non habet tales motus. Barach. 3. *Emittit lumen & vadet, & vocavit illud & obedit illi in tremore. Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt adsumus.* Fiat voluntas tua sicut in cœlo.

Dominica IV. post Epiphaniam.

ITer agimus tale, quale descripsit Ps. *Fiat via illorum tenebræ et lubricum, & Angelus coarctans eos.* Tenebras cum suis doctri-

doctrinis malis offundit mundus, caro facit iter lubricum, diabolus coarctat. Qui in tenebris pergunt lucem deserunt. Hinc scientiis opus, nescimus quomodo æger curandus, discitur medicina: quomodo justitia administranda, discitur Jus: quomodo conscientia regenda, discitur Theològia Moralis &c. Hæ in rebus mundi sunt luces. In rebus salutis nostræ, fides est *lucerna in loco caliginoso.* Si illâ non utamur, errabimus. In hac via, scientia mundi, seu doctrina hominum mundanorum est ignis fatuus, qui per devia ducit, & tandem in aliquod barathrum deducit. Ita pro usuris, pro simonia, &c. quærunt rationes apparentes, & pereunt; ita hæretici fidei mysteria volunt investigare, & in majores labuntur errores. Ita vadunt ad *excusandas excusationes in peccatis.* Et ad hoc devenitur, ut non jam credant propter verbum DEI, sed propter suas rationes, & loco fidei habeant opinionem: credant quod volunt, & ipsi judicent DEUM, eumque non dixisse aliquid definiant, quod ipsi non capiunt. Quod prævidens Coloss. 2. *Videte ne vos quis decipiat per vanam Philosophiam.* Sed si fides habetur vera, illa sit *lucerna pedibus nostris.* Illam sequamur. Davidem in exemplo propono. Credebat ille quia DEUS est remunerator bonorum & malorum. Puniebat illum DEUS pro illius peccatis; ille id accipiebat, atque si in ejus salutem illi propinasset. *Credidi* &c. *Calicem salutaris accipiam* &c. Credidit quia DEUS remuneratur, si propter illum benefaciamus inimicis. Hinc à Saulo repellit dœmonem, contra hostes ejus bellat, lubens in spelunca Saulem parcit &c. Absalon illum persequitur &c. at ille *Servate puerum Absalon.* Semei maledicit illi, excusat &c.

Dominica Septuagesimæ.

VEniet tempus quo Pater familias vocabit operarios ut red-

reddat mercedem. Erit qui videbitur sibi totâ die laborasse, sed quid? præcedent vos meretrices, præcedent publicani in regno DEI. Quid fecistis? venite pueri, venite viri &c. Veniet aliquis senex, dicetur fortè illi quòd Dan. 13. *O inveterate dierum?* Veniet qui putabit se ecclesias ædificâsse, fortasse continget quod Constantinopoli dum impensis maximis ædificaretur templum, & una paupercula Sophia gramen obtulit bobus qui trahendo lapides pro templo deficiebant, cùm jam perfectum esset templum, in superliminari repertæ sunt hæ voces auro scriptæ, *Sophia me fecit.* Putabit aliquis se ædificâsse monasteria &c. reperiet, *Sophia me fecit.* Plus in illo die valebit unus actus humilitatis quàm omnes Cæsarum victoriæ Aug. soliloq. 29. *Vidimus, & de multis audivimus à Patribus nostris quod utique sine magno horrore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitùs quosdam usque ad cælos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu caudæ ferientis draconis. Vidimus eos qui in medio filiorum DEI ambulabant instar lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse.* Hæc facta sunt adhuc in hac vita, quid fiet in altera? Alter plurima afferet merita, sed fiet, quod dixit Aug. *Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas majorque voluntas augent meritum,* fient novissimi qui erant primi. Principes multis postponentur pauperibus. Greg. hom. 38. *Quia vocati sumus, novimus; si sumus electi nescimus; nemo de suis operibus securus gaudeat, quando adhuc in hujus vitæ incertitudine quis finis sequatur ignorat.* Quid de otiosis dicam? siquidem de laborantibus dicit 1. Cor. 9. *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Sed cur non omnes vocavit ad vineam? Greg. hom. 8. *Quia tum illi erant, qui salvandi non erant, ne gravius de contem-*

contemptâ prædicatione judicarentur. Putabit se alter egisse pœnitentiam sed non restituit alienum. De Pœnit. cap. Falsas. *Qui aliena injustè retinet sciat se veram pœnitentiam agere non posse.* Putabunt se nihil mali egisse. Psalm. 17. *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt*, anni in tormentis.

Dominica Quinquagesimæ.

RËcepto beneficio hic cæcus glorificavit DEum. Recipimus bona his diebus, quidquid enim boni est, à DEO est, Sed non desunt qui his bonis ejus abutantur in ejus offensam. Habuit beneficium DEI Sodoma, *fuit tanquam Paradisus Dei.* Sed de illa dici potest illud Isaiæ. *Indulsisti genti Domine, indulsisti genti, nunquid glorificatus es?* Aperiat DEUS oculos nostros ut videamus quid hæc nobis ingratitudo afferat. Lamentatus olim Salvianus: *Quid est aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio civitatum?* Ut quondam Gygantes quantò majores erant tantò sceleratiores; quantò splendidior domus, tantò vitiis plenior. Ubi plùs Divini doni, ibi plùs peccati; & silet DEUS. Sed audite Hieron. *Magna est ira DEI cùm non irascitur.* Quasi id explicat S. Nilus Abbas. *Luge peccatorem felicem, gladius enim justitiæ ipsi imminet.* Comeditis mortem, infernum, dum beneficiis DEI abutimini: August. *Veniet tempus ut sentiant quanta tormenta cum aviditate devoraverint.* Bibunt vinum & luxuriantur. Audite S. Remigium: *Demptis parvulis propter carnis vitium pauci salvantur.* Comeditur & blasphematur, Isai. 4. *Iniqui sunt cœtus vestri, calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea.*

Eadem Dominica.

DUm qui sequuntur Christum cum illo ascendunt Jerosolymam, cæcus viam secùs sedet. Quis cæcos facit? Isai. 6. *Excæca cor populi hujus.* Sed hoc, & similia non sunt

imprecatio, sed prædictio. Prædicitur hæc futura cæcitas. August. Epistol. 15. ad Sixtum: *Non obdurat DEUS impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam: quibus autem non impertitur nec digni sunt illi, nec merentur: quin potiùs ut non impertiatur gratiam suam, hoc digni sunt, & hoc merentur.* Hoc ipsum Chrysost. hom. 67. in Joan. *Dicitur DEUS reprobâsse, & aliquos tradidisse in reprobum sensum, non quòd hæc à DEO fiant, quippe cùm à propria hominum malitia proveniant, sed quia DEO justè homines deserente hæc illis contingant.* Vide S. Thomam 1. 2. qu. 79. a. 3. Nihilominus Christus transit, ut occasionem revocandi à malo non omittat. Ponitur his diebus in altari. Triplex est lumen quo solent privari homines. Fidei, hoc tollitur per hæresim. Gratiæ, hoc per quodvis peccatum mortale. Excellentis sapientiæ, hoc per veniale peccatum obnubilatur. Hinc provenit malum, quia non sequimur Christum, sed facimus nobis Deos recentes. Psal. 80. *Non erit in te DEus recens.* In quod Hieron. *Cui Deus venter est, ei Deus recens est: quotcunq; vitia habentur, quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos.* Isai. 9. *Succensa est quasi ignis impietas, veprem & spinam vocabit,* id est conscientiam. Non vident, 4. Reg. 4. Mortem in olla. Luna quò plenior à sole remotior est, & versùs cælum obscuratur, ita & caput quò pleniùs potûs vaporibus.

Dominica I. Quadragesimæ.

IAm bellum incipit, prodeunt Duces: Christus & Lucifer. Necessariò uni ex his adhærere debemus, & si non adhæremus Christo eo ipso adhæremus Lucifero. *Qui non est mecũ, contra me est.* Christus nos ad se vocat, pro nobis vulnera paratus sustinere, præmia proponit, exemplo præit. Vocat, &c. Vocat & ad suum vexillum Lucifer, sed ut pro illo vulnera suscipiamus. Præmia dat lapides, præcipitia ex pinnaculo, regna imaginaria. Projicit Lucifero lapides ad despe-

ratio-

rationem ducendo, quasi virtus esset dura ut lapis, de pinnaculo templi pugnat, contemne doctrinam Ecclesiæ; ostendit regna, appete aliena. E contra Christus armat suos jejunio, sed simul ostendit Angelos qui jejunantibus ministrabunt, simul gloriam quam videbunt, ex lege sola illi, qui servârunt quadragesimam, ut Moyses & Elias. Hæc arma conabitur modò aliquibus hostis eripere, artes quæret ut frangant jejunium. Cui horum Ducum vis adhærere?

Eadem Dominica.

NOn invenio verba efficaciora quibus commendem jejunium, quàm S. Hieronym. lib. 2. ad Jovinianum. *Manducet & bibat qui post cibos expectat interitum; qui cum Epicuro dicit, post mortem nihil est, & mors ipsa nihil. Nos Paulo credidimus intonanti; Esca ventri & venter escis, DEus autem & hunc & illam destruet.* Anima nostra est immortalis, vivet in æternum, potior est illius cura habenda quàm carnis mortalis, cibus est corruptibilis, & solùm corruptibili servit carni. Habeat quis duos amicos, unum cum quo nescit an scit horâ victurus, alterum cum quo in perpetuum est victurus, cujus potiorem curam habere debet? Explicat hoc ipsum Basil. Serm. 1. de Jejunio: Quomodo illud non servantes periclitentur de interitu. *Time Divitis illius Evangelici exemplum, illum namque deliciæ igni tradiderunt, non enim ob injustitiam, sed ob mollem victum ardentis camini flammis perpetuò obruitur, &c. Si epulas mortales non despexeris nequaquam mensæ illius cælestis cibos degustabis.* E contrà idem de eodem Serm. 2. Angeli per singulas sunt Ecclesias eos qui jejunant catalogo militum *Christi describentes. Vide quæso ne ob brevem ciborum delectationem plectaris, nevè te reum ac desertorem Ordinis Angelici describenti constituas.* Sed vehementiùs improperat S. Ambros. Serm. 25. *Qualis apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuri-*

esurienti prandes? Cùm Salvatore pro te jejunante tu reficeris? Non igitur leve peccatum est jejunium indictum violare: Adducit exemplum Saulis qui Jonatham occidere voluit propter violatum jejunium. 1.Reg.14. ubi propter hoc jejunium nec Regi à DEO responsum, neque militi data victoria. Et rursus Serm.34. *Quisquis Christianus consecratam jejunando non impleverit quadragesimam, prævaricationis & contumeliæ reus habebitur, quòd legem Divinitùs pro salute sua datam, prandendo ipse rescindit. Rescindit enim legem qui exemplum Domini non custodit. Qualis autem Christianus tu es qui Domino jejunante prandes?* Olim in jejunio nullum prandium erat, sed sola cœna, & hinc orta consuetudo vesperas in quadragesima dicendi ante comestionem, & qui hanc consuetudinem solùm in cœna comedendi violavit, audite quid de illo idem S.Doctor. Serm. 36. *Qui constitutum numerum unâ die manducandi prætermiserit, non ut unius diei violator accusatur, sed ut totius Quadragesimæ transgressor arguitur.* Hoc jejunium vernum est, & ut idem Ambros. commemorat maledictionem jactatam in Adam propter commestionem, quando jam rosa cum spinis prodiit, quæ sine illis ante peccatum prodiisset, ut docet Ambros. & Basil. Et Ambros. Serm. 37. *Solidum jejunii corpus effectum est, quod in totum non observare sacrilegum est, ex parte violare peccatum est.* Extendit jejunium Tertull. adv. Psychicos ad potum. *Qualis esus talis & potus, verisimile non est, ut quis dimidiam gulam Deo immolet.* Quis Jerusalem vastavit figuram Ecclesiæ? 4. Reg.25. *Princeps cocorum destruxit muros*, ut legunt LXX. in quod S. Gregor. Pastor part.3. *Princeps cocorum venter est, cui magnâ curâ à cocis obsequium impenditur.* Sed non satis est jejunare corpore, nisi etiam jejunetur mente. Gregor. ibid. *In cassum per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissis motibus mens vitiis dissipatur,* Isai.58. *Numquid tale est jejunium*

nium quod elegi? Frange esurienti panem tuum, egenos vagosque induc in domum tuam. Gregor. in hæc verba ibid. Adducto Joël. 2. Sanctificate jejunium. *Jejunium sanctificare, est adjunctis aliis bonis, dignam DEO abstinentiam carnis ostendere. Admonendi sunt abstinentes? quia tunc DEO placentem abstinentiam offerent, cùm ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largientur.* Zach. 7. *Cùm jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense per hos 70. annos, nunquid jejunastis mihi? & cùm comedistis & bibistis nunquid non vobismet ipsis comedistis & bibistis? Non enim DEO quisque jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non jejunio tribuit, sed ventri postmodum afferenda custodit.* Et hom. 16. in Evangel. *Illud ergo jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod ex pietate conditur, hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire, ut unde tua caro affligatur, inde egentis proximi caro reparetur.* Jam quod attinet dispensationem in jejunio, affero ex Chronicis Minorum, Part. 3. cap. 23. Quidam Frater ut commederet carnes simulabat morbum, petens secum dispensari. Respondit Guardianus, cùm te jejunare posse neges, nolo te cogere, sed totum committo tuæ conscientiæ, & ad hoc judicium Medici adhibuit, venit ad ejus Conventum B. Joan. Capistranus Vicar. Gener. Ordinis. Et ecce noctu auditus est armorum fragor, quo audito excurrit è cella Beatus, & nihil advertit. Tum accepto secum Guardiano ivit ad templum, & inde acceptâ aquâ benedictâ rediit, & siluit ille fragor. Interea ter vox sonuit: *Heu me infelicem.* Concurrerunt Monachi, & solùm illum Fratrem jejunii violatorem, erat is Hippolitus, deesse adverterunt. eunt ad ejus cellam, clausam inveniunt, portam effringunt, Hippolitum verò mortuum ac nudum sed nigrum instar carbonis reperiunt. Hoc præmium illorum qui ficto titulo impetraut

petrant jejunii dispensationem. Ambros Serm. 40. Rex Ninive etiam pecudibus indixit jejunium. *Stolidior est pecude qui indicto pro se jejunio non jejunat.*

Dominica II. Quadragesima.

POstquam declaravit DEus ipsum *audite*: Filius abscondit gloriam suam. *Nihil viderunt præter JEsum*: doctrina hic est pro his qui aliorum superiores constituuntur. *Rectorem te posuerunt. Noli extolli, sed esto in ipsis tanquam unus ex ipsis.* Esto habueris dotes corporis gloriosi, esto tanquam unus ex ipsis. Cùm in cælo declarata est Regina, Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris ejus.* Et ecce additur. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Non se ostentat. Jubet, nos Christus pati, ipse exemplo præit. Et ostensâ sua gloria de pœnis suis loquitur. Chrysostom. Hom. 66. in Joan. *Extra dolores existens humanos de morte philosophatur.* Statim se reddidit patibilem. Prohibuit Adæ esum pomi, & apud Basil. Seleuc. orat. 3. sic ait. *Citra invidiam fructum interdixi, neque usum mihi reservavi ipsi.* Hoc ipsum in cælo servatur. Isai. 6. *Seraphim forcipe tulit de altari calculum.* Sed priusquàm illum applicuisset ori Prophetæ, erat *in manu ei calculus*, expertus manu ejus ardorem. Chrysolog. Serm 57. *Sic suo temperat attactu ut Prophetæ purget labia.* Hoc ipsum commisit Christo DEUS Pater, Ezech. 10. *Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, &c.* Cujus nempe vestimenta facta sunt alba ut nix. *Imple manum tuam prunis ignis & effundo super civitatem.* Hinc viso Domino glorioso expaverunt discipuli auditâ voce, *ipsum audite.* Timebant fortè ne ita gloriosus, impassibilis ipse manens illis præciperet pati. Nam etiam ad Jordanem audiverant: *Hic est Filius meus*, tamen non expaverunt. Deponit itaque gloriam suam Christus. Hilar. *Uti idoneus Præceptorum talium esset author.* Tertull. lib. 4. adv. Marci-

Marcionem cap. 22. *Domine audivi auditum tuum & timui, quem magis, quàm vocis cælestis illius, Hic est Filius meus dilectus, hunc audite,* E contrà Judith. 6. Ozias populo indicit jejunium intolerabile, & ipse convivatur. Holofernes crudelis in cæteros ipse genio indulget. Unde Bern. in Proœmio Vitæ S. Malachiæ. *Quem mihi ostendas, vel de illorum numero qui videbantur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem?* Statim initio mundi consecuta est dignitatem superbia. Rupert de Victoria Verbi Dei. lib. 2. cap 12 *Luciferum in apice celsitudinis Angelicæ constituit: Adamum Patrem multitudinis Sanctorum esse voluit, & in Paradiso collocavit. Nimirum magna utriusque celsitudo, illius in principatu Angelico, istius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, ut pote uterq; creatura.* Explicat hoc ipsum Thren. 3 *Manus mulierum per misericordiam decoxerunt Filios suos.* S. Paschalis libr. 4. *Illi quasi per misericordiam decoquunt filios suos, qui culmine regiminis sublimati, zeli flammâ urunt animas natorum, dum nimis justi ipsi videri cupiunt, & dum per tyrannicam potestatem eos excruciant, quasi per misericordiam eos zeli flammâ decoquunt.* Si caput mansisset ut sol, detegeret in aliis atomos: Si vestimenta ut nix, posset quis metuere, accedere nè macularet, Superiores quocirca alloquitur Author Imperf. Operis homil. 47. in Matth. *Vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parva mandantem, & grandia videant facientem.* Alterum hic sumant præceptum, ne qui alios ad dignitatem promovent, indignos promoveant. DEUS Pater non priùs dixit de Filio: *Ipsum audite,* quàm Filius merita sua coram Moyse & Elia ostendisset quando cum illis *loquebatur de excessu* Proverb 26. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii sic qui dat insipienti honorem.* Idololatræ in signum honoris jactabant lapides coram idolo Mercurii, & lapidum illa congestio

gestio vocabatur cumulus Mercurii. Stultus fuit cultus. Mercurius DEUS eloquentiæ, supputator viarum, unde alatis pedibus pingebatur, in lapide omnis contraria. Lyranus l. c. ita legit. *Sicut qui ligat in funda lapidem sic qui dat insipienti honorem.* Vult projicere lapidem è funda & fundæ alligat & ita est stultus ipse. Sed eo lapis gyrabitur nec evolabit, quia insipiens honorem recipiens curis sine ullo effectu agitabitur, nec unquam ad metam perveniet.

De talibus Jer. 14. *Onagri in rupibus steterunt.* Inaccessi, indirigibiles asini. At verò bonus Pastor debet esse instar Apostolorum de quibus Hugo Cardin. prologo in Luc. *Christi mysteria in Apostolis abundabant, per manus eleemosynæ, per oculos lachrymæ, per ora preces & instructiones.* Et Pilorius S. Antioch. homil. III. *Debet esse Pastor totus mens & oculus, &c.* Oculus non sibi, non se vestit, etiam terram aspicit & valles. Zach. 9. *Onus verbi Domini in terra Hadrach*, exilis hæc fuit terra, ex Jerem. 2. Cyrill. Alexandr. tract. contra Julian. Ægyptii Regem designabant per virgam erectam supra quam oculus. Jeremias ad hoc alludit. *Virgam vigilantem ego video.* Debet esse virga vigilans, sed simul erecta, in nullam partem inclinata. Judas fuit Pastor, sed ad sua commoda intentus, de illo Gregor. Nyssen. hom. 14. in Cant. *Ipse sui fur factus est.* Notat Abulensis quòd olim apud fontes soliti fuerint inaugurare Reges, ita Adonias ad fontem Rogel. Salomon ad Siloë. Fons à fundendo dicitur, omnibus se æqualiter fundit. Cùm Jehu coronaretur 4. Reg. 9. *Quisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, &c.* Interpres Chald. apud Glossam ordinariam: *Posuerunt super eum ad gradum horarum.* Sicut horologium Solare, quod non aliam uni, aliam alteri horam ostendit, nec ad preces, nec ad odium. Quodsi de rotato horologio intelligamus, in illo debet esse

concordia cordis & oris, non aliud sonare quàm quod indicat: hoc ipsum, quando sol nobis non patet, ostendit quid de illo fiat, an sit in meridie, ortu, &c. Sic aperit cælum, de Pharisæis quæstus, Matth.23. *Clauserunt cælum*, & Luc.11. *Tulerunt clavem scientiæ.*

Dominica III. Quadragesimæ.

DÆmon ejectus si redeat septem nequiores assumit, cùm isti otiari non possint, videamus quid agant, & quidem ut sunt septem, totidem, inducunt mala.

1. Hypocrisim, Psalm. 35. *Dixit injustus ut delinquat in semetipso, quoniam dolosè egit inconspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium* Ex Hebr. & Græco textu, *ad odium DEI* colligitur. Quòd verò est tale peccatum? Respondet August. hìc. Cùm quis videtur velle confiteri nec scrutatur conscientiam, neque odit peccata, & sic fallit Sacerdotem. Iste est hypocrita coram DEO. Alter est coram hominibus. Psalm. eodem. *Verba oris ejus iniquitas & dolus. Noluit intelligere ut benè ageret.* Verbis se ostendit sanctum, in corde est peccator: Contemnit verbis honores, animo ambit. Tali DEus irrogat pœnam excæcationis. *Noluit intelligere ut benè ageret.* Potuit sed noluit. Tales loquuntur Dominis non quæ vera & justa sed quæ placent, sapiunt supra Confessarios. Tertius hypocryta est sibi, qui sibi videtur bonus etsi non sit. Micheæ 3. *Audite Principes Jacob, & Duces domûs Israël. Nunquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum?*

2. Inducit amorem mali, Psalm 51. *Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.* Cassiod. Hìc, Isti sunt qui amiserunt conscientiam & illius dictamina, qualia sunt: DEum time, homines reverere, de pec-

cato non glorieris Tertullian. in Apologet. *Omne peccatum aut timore aut pudore natura perfudit.* At isti de malo gloriantur, fiunt impudentes instar canum: fætidi instar ægri qui in lecto retinere alvum non potest. Velut equi qui ad memoriam præteritæ voluptatis hinniunt. Peccatum suum ut Sodoma prædicant.

3. Inducit ad hoc ut occasione Præceptorum DEI magis ad peccandum provocentur. Hieron. Epist. 15. ad Aglasiam q. 8. *Lex data ut peccati venena monstret, & hominem malè libertate utentem fræno suo, ne labatur in præcipitia, retineat, sed tunc plurimi peccato peccante respondent, nitimur in vetitum.* Et jam peccant ex contemptu formali. Sicut equus ferox cùm sentit sibi impositos frænos magis efferatur. Quod est pecatum gravissimum. Ad hunc contemptum disponit frequentia præteritorum peccatorum ut docet S. Thom. 2.3. qu. 86. a. 9. ad 3. Quantò autem DEum quis per peccata contemnit ait idem 3. p. q. 88. a. 3. Tantò majorem reatum incurrit.

4. Ut jam *quasi ex adipe*, Psalm. 72. *Prodeat iniquitas. Transierant in affectum cordis,* De quo Augustin. hic: *Sunt mali, sed macie mali, mali quia macri, pauper furtum fecit, & ex macie iniquitas prodiit. Dives abundans rebus tantis, quare diripis res alienas? illius iniquitas ex macie, hujus ex adipe processit.* Sicut ebrius vino sui obliviscitur, sic ebrius fortunâ obliviscitur DEI. Agit ut ille Epulo. Propter potentiam impunè latrocinatur: urget restitutio, contemnit.

5. Docet ut Christum crucifigat. Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, virtutesquè sæculi venturi, & prolapsi sunt, renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi Filium DEI & ostentui habentes.* Fides est lumen quo illuminati. Cyrill. Alexandr. Epist. ad Proclum. *Gravissima iniquitas, anima perversorum intellectuum & dogmatum*

tum putredine, insanabilem habet passionem. Quia ex his illuminatis in defectum fidei labuntur, vivunt ut Ethnici, fide non reguntur, & solis verbis eam profitentur, fiunt apostatæ. Non credunt infernum, contemnunt cælum.

6. Pellit memoriam judicii extremi. Psalm. 48. *Cur timebo in die mala, &c.* Judicium est dies. Quia sicut dies omnes horas ab ortu ad occasum in se continet, sicut in die neminem sol latet, sic in judicio omnia opera omnibus patebunt. Sicut dies alteri felix, alteri infruita. Ibi *iniquitas calcanei circumdat*, id est, in extremo vitæ. Ad hoc præparat ut eo tempore circumdet, ac peccatoris potiatur, tunc draco rufus sanguine damnatorum rubens ad ultimam impœnitentiam adducit.

7. Inducit in peccata contra Spiritum Sanctum, Matth. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemiæ non remittetur.* Quod peccatum ut intelligatur quantum sit. In primo gradu ponendum est peccatum ex fragilitate: in secundo ex ignorantia: in tertio ex malitia, seu ex plena deliberatione & scientia. In quarto id quod fit ex contemptu mandati aut mandantis. In quinto quod fit contra Spiritum Sanctum quando ut docet S. Thom. 2. 2. qu. 105. a. 2. contemnuntur ea media quæ directè ducunt ad pœnitentiam & remissionem peccatorum in hoc gradu sunt desperatio, & præsumptio, impœnitentia & obstinatio: impugnatio veritatis agnitæ, & invidentia fraternæ charitatis. In sexto gradu blasphemia in Spiritum Sanctum, quia ut 2. 2. q. 13. a. 3. Opponitur confessioni fidei, & ideò habet in se gravitatem infidelitatis, & aggravatur peccatum si accedat detestatio voluntatis, & adhuc magis si prorumpat in verba, sicut eo laus fidei augetur per dilectionem & confessionem. In supremo & septimo gradu est finalis impœnitentia. Hæc operantur isti nequiores.

Dominica IV. Quadragesimæ.

MIsericordiam DEI optimè nobis explicaret S. Galganus, de quo Fasti Mariani 3. Dec. Hic dum esset junior vitam egit impuram, ad tertiam monitionem per visum à S. Michaële Archang. constituit vitam castiorem agere sed in Matrimonio, dum ad sponsam pergit, equus consistit instar saxi, Quem dum ille ferit, voce humanâ locutus est equus, Cur me cædis? progredi non possum, ab Angelo DEI prohibeor. Contulit se in eremum, & loco crucis appendit ensem, vitam sic exegit ut ante mortem audierit de cælo vocem. *Satis est, quod laborâsti, metes nunc quod seminâsti.* Sed non minùs de misericordia nobis diceret ille Carthusianus. Hic natus in domo nobili, sed eam secularis cædibus ac latrociniis maculavit. Quare ab Affine suo sed Judice damnatus ad mortem, a quo monitus ut confiteretur risit sacram Confessionem: Saltem rogatus ut contereretur in corde, hoc ipsum contempsit: dictum illi, mortem instare, respondit se velle perire in anima & corpore. Adductus ad flumen in quo erat mergendus, audivit sibi dici resipisce, ille verò, libenter ero socius piscium: Deprecâre homines, reposuit, pereant omnes: mergebatur paulatim ut libaret mortem, nihilo factus mollior. Submersus, in fundo invenit DEI misericordiam & contritus. Nocte proximâ rediit vivus ad Judicem, dixit. Misericordia, misericordia Redemptoris, ac paulò post ad ordinem Carthusiensē volavit. Hi misericordiā experti, benè illâ usi. Sed non sic Sobna summus Sacerdos, Isai. 22. Hic fuit coævus Isaiæ, monebatur à Deo ut resipisceret, sed ille cûm accessisset Sennacherib cum ingenti exercitu, transiit ad illum, sed Angelus castra Sennacherib percussit, quocirca reliquiæ exercitus exarserunt in Sobnam, eumque ligatum in Assyriam abduxerunt, ubi in sterquilinio est sepultus. Monet DEus, transeunt ad Assyrios Isai. 28. *Væ corona*

corona superbiæ, dicitur hoc de Samaria, poteras esse in capite poneris sub pedibus, venient ad conculcandum te hostes tui qui sunt velut pedes DEI. Irrigat totam terram misericordia DEI veluti fons de paradiso erumpens, sed cave ne te illi subtrahas. Fluebat de cruce in bonum & malum latronem, subtraxit se illi malus & transiit ad Assyrios, ad dæmones. Prævenit misericordia Ps. 58. *Misericordia ejus præveniet me*, Adjuvat, Psalm. 93. *Misericordia tua Domine adjuvabat me* Sequitur, Ps. 22. *Misericordia tua subsequetur me*, Uno verbo Ps. 31. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*. Prævenit ostendendo in quo periculo, in quibus erroribus sit peccator, ut cùm dixit Jerosolymitanis *Circumdabunt te inimici tui vallo.* &c. Adjuvat dum arma contra hos inimicos porrigit. Subsequitur ut in bono stabiles simus. Sed sæpè ista misericordia præveniens ambulat super aspidem qui obturat aures: conculcat concomitans leonem laboris impatientem. & draconem qui cùm à terra subvolat, statim in eam relabitur. Describit has aspides Job. 15. *Tetendit adversus DEUM manus suas, & contra Omnipotentem roboratus est, cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Greg. 12. Moral. 21. *Adversus DEum tendere manus est in operatione prava, despectis DEI judiciis perseverare: contra Omnipotentem autem roborari, est permitti, ut impius & perversa faciat & feliciter vivat. Erecto verò collo currere, est ea quæ Creatori displicent cum audacia perpetrare. Pingui denique cervice contra DEUM armari, est superbiâ opulentâ fulciri, & veras DEI opes negligere.* Quid hic misericordia? Occurit DEO irato, veluti Davidi Abigail.

Dominica IV. post Pascha.

PAracletus dicitur spiritus veritatis, hoc est consolator, quæ consolatio si dicatur alicui veritas? hoc est apud homines. Sed apud DEUM magna est afflictio si non dicat veritatem,

ritatem, si non arguat de peccato, si conscientia in malis sileat. Ps. 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* nunquid apud DEum aliqua est parva? Bern. Serm. de triplici misericordia. *Hanc quæ tardat ferire, parvam nominat, hæc nullatenus sufficit ad salutem, imò judicium damnationis accumulat.* Isai 64. *Quare indurâsti cor nostrum ne timeremus te?* Explicat Origen. 2. Periarchon. cap. 2. *Pepercisti nobis ut per hoc propagaretur licentia peccandi animadversione cessante.* Quare maxime ruit mundus in peccata? Ps. *Dixit impius, non considerat* Erit spiritus veritatis, arguet mundum de peccato &c. Sed non hanc solam veritatem dicet sed etiam dicet nobis de Christo. Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem Abba Pater.* Dixerat prius. *Misit Filium ut reciperemus adoptionem.* Jam iste Spiritus S. in cordibus nostris clamabat *Abba, Pater,* & verè dicet, quia est Spiritus veritatis. Si ergo ille est Pater, Nos Filii, si Filii, etiam hæredes, non quidem per naturam, sed per adoptionem. Sed quomodo adoptivi si pater habet Filium per naturam, & in quo sibi complacet? adoptio fit cum vel Filius deest, vel est pessimus. Amor transformat amantem in amatum; amavit nos Filius DEI & factus est homo mortalis & mortuus. succedimus mortuo, & nihil obstat quod deinde à mortuis surrexerit. Docet rursus Spiritus S. veritatem, ita vos homines amavit Filius, cur non redamatis?

Primo die Pentecoste.

QUomodo Amicus daret Amico quæ potest dona, demum dat Filium, daret si posset, cor suum ita Deus Pater. Deut. 4. *Dilexit Patres tuos & elegit eos, de cælo fecit audire vocem suam ut erudiret te, & in trrra ostendit tibi ignem suum maximum.* Erudivit Filius, in igne descẽdit Spiritus S. Processit nobiscũ sicut Ja-

cob cum Esau. Gen. 32. *Placabo eum muneribus* cum non pro-
sunt munera, ut illum amemus, amorem sui cordibus nostris
infundit 1. Cor. 6. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per*
Spiritum S. qui datus est nobis. Debetnè amari? Plusquam
lutum ista terrena.

Sicut Christus juxta humanitatem suam crescebat, ita &
Ecclesia Ephes. 4. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Chri-
stus puer non ostendebat sapientiam: Ecclesia in paucis fuit
& rudibus piscatoribus. Naturales defectus fuerunt in Chri-
sti corpore, fatigabatur, esuriebat, sitiebat &c. Fuerunt in
Ecclesia morales, Petrus negavit, Thomas non credidit. A-
bolevit Christus suos cum ascendit in cœlum: abolevit & Ec-
clesiæ cùm DEUS Spiritum S. misit. Et hæc est causa cur non
ante Ascensionem misit Spiritum S. quia prius ipse abolere
debuit circa se omnia etiam quoad famam. Joan 7. *Nondum*
erat spiritus datus, quia nondum erat JEsus glorificatus quo facto,
repleti sunt omnes Spiritu S. Tum Christus accepit Principa-
tum. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et suos
Apostolos instituit in totum orbem Legatos à latere 2. Cor.
5. *Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per*
nos Et dedit illis potestatem faciendi pacem cum toto orbe.
Quorum dimiseritis peccata &c. Sed hoc mirum, Christus pro-
misit se missurum Spiritum S. quid Apostoli mitti illum ora-
verunt? Utique si decrevit mittere, mittit, decreta enim Dei
sunt immutabilia. Explicabunt rem hæ similitudines. Promit-
tit ægro Medicus sanitatem si talem medicinam sumpserit,
sumenda est medicina. Scriptum ab æterno in libro vitæ.
Petrus salvabitur per Baptismum, &c. Ephes. 1. *Elegit nos*
DEUS ante mundi constitutionem ut essemus sancti & immaculati
in conspectu ejus in charitate. Vult Rex aliquem fieri Judicem
sed ille debet scire quæ sunt Judicis. Vult aliquem esse sacer-
dotem,

dotem, debet ille ſcire quæ ſunt ſacerdotis. Greg. 1. Dial. *Ipſa æterni regni prædeſtinatio ſic eſt ab Omnipotenti DEO diſpoſita, ut ad hanc electi ex labore perveniant, ut orando mereantur accipere quod eis Omnipotens DEUS ante ſæcula diſpoſuit donare.* Idem eſt de miſſione Spiritûs S. Invitati ad cænam Matth. 22. attamen veſtem nuptialem opus erat ut induerent.

Mirum eſt deinde, quod Spiritus S. cùm ſit paracletus ſive Conſolator deſcendit in vehementi vento, quem enim talis ventus conſolatur? Venti originem deſcribit Pſ. *Qui profert ventos de theſauris ſuis.* Non unum theſaurum habet Pater in Filio, Filius in Patre. Amat ſapientiam, bonitatem, immenſitatem &c. Ex his theſauris procedit Spiritus S. Ventus in tribus locis ſolet eſſe, & diverſos in illis facit effectus. In nubibus eſt tonitru: in terra ventus; ſub terra terræ motûs. Tonitru naſcitur in nube, accenditur ventus craſſus & madidis nubibus circumdatus, quibus dum comprimitur, quærit egreſſum, nubem jactat & lacerat, & ita fit tonitru. Multa peccata eo tempore aſcenderunt in cælum, nam ſi aſcendit Sodomorum, quid illa quæ contra Chriſtum patrata? Fuit præſumptio Petri *Etſi omnes ſcandaliſati fuerint* &c. Fuit deſperatio Judæ, finalis impœnitentia mali latronis. Agnitam veritatem oppreſſit Pilatus. *Nullam cauſam in hoc homine invenio.* Invidia. *Sciebat quod per invidiam tradidiſſet eum.* Omnia iſta peccata contra Spiritum S. Et nubem faciebant. Thren. 3. *Oppoſuiſti nubem ne tranſeat oratio.* Hæ nubes circumſederunt tanquam ventum Spiritum S. Cùm verò Chriſtus cælum aſcendit, ſedit cum Patre & Spiritu S. mirati Angeli vulnera. Zach. 14. *Quid ſunt iſtæ plagæ in medio manuum?* Reſpondet. *His ſum plagatus in domo eorum qui diligebant me.* Ignitum hoc reſponſum junctum Spiritui S. nubem rumpit, fit tonitru neque jam vindictam ſed miſericordiam parat. Ven-

tus in terra eſt ventus Pſ, *Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabitur facies terræ.* Hic effectus eſt venti in terra. Renovat vel humiditatem nimiam ſiccando, ut eſt factum poſt diluvium: vel nubes pluvioſas adducendo. Pſ. *Anima mea ſicut terra ſine aqua* inde fames, propter famem Filius prodigus ivit ad ſiliquas. Apud Judæos nimia fuit humiditas, fundebatur ſangvis aſſiduè fuerunt continuæ per aquam purificationes, fuit piſcina probatica. Apud Gentes fuit ſiccitas, adduxit aquam Baptiſmi. Exſiccat ad contemptum terrenorum, ad eleemoſynas incitando. Ventus æque perflat divites ac pauperes. Ventus ſub terra jam maria attolit, jam montes transfert. Ubique mira operatur Spiritus S. ſed maximè ſub terra, id eſt, in homine humili. Videte Paulum qui ſe primum peccatorum reputavit. Evertit hic ventus villas, donantur templis &c. Jactat, mulier quæ erat in civitate peccatrix, quomodo hoc vento jactatur? Erumpit in terræ motu ignis, hinc illa ignita ſuſpiria. Deſcendit in igne &c.

Secundo die Pentecoſtes.

NOn ſolùm in Apoſtolos, ſed etiam in nos deſcendit Spiritus Domini neque hic deſcenſus Spiritûs S. parvi æſtimandus. Nam ut in Incarnatione Filius DEI deſcendit, ita hic illi æqualis Spiritus. Ut ibi Deus factus eſt homo, ita hic per adoptionem Homines Filii DEI fiunt. Sed ſicut ſolem orientem dum ſpectare non poſſumus montes aſpicimus, in quibus comparet prius quàm nobis, ita nobis, ut montes ponuntur Apoſtoli ut in illis hunc Spiritum intueamur, & habeamus ſigna an etiam ſit in nobis, & maneat, nam in quoſdam venit ſed non manet.

Deſcendit in igne, quia ignis in terris vel non eſt, vel

operatur, quid verò agit Spiritus S.? quod ignis in cinerem vertit, memento homo quia cinis es. Ubi superbia cedrorum cum in cinerem abjerunt? Ubi luxuria salicum &c. Omnia etiam leni vento obediunt. Ignis quæ sunt ejusdem generis congregat dum liquefacit, diversa separat, patuit in turri Babel, divisi qui turrim superbè erigebant, & quisque aliâ lingvâ locutus; qui DEUM metuebant in eodem sermone permanserunt. Unio lingvæ est signum permanentis charitatis. Spiritus S. est charitas. Dissolvit ignis frigora, qui habent Spiritum S. non agunt frigidè. Comparuit in lingvis, quia lingva habet connexionem cum verbis, Filius DEI est verbum, hoc confitetur quisquis habet Spiritum S. sed omnes dicimus, aut confitemur Christum. Sed quid ad hoc Greg. hom. 32? *Quibus ego respondeo, quòd in hac plebe Christiana sunt nonnulli qui Christum ideò confitentur, quia cunctos Christianos esse conspiciunt. Nam si nomen Christi hodie in tanta gloria non esset, tot professores Christi S. Ecclesia non haberet &c. Est tamen ubi se quisque interroget, ut in Christi confessione se esse veraciter probet: si non jam nomen ejus erubescit, si plenâ virtute menti humanum pudorem subdidit. Certè enim persecutionis tempore erubescere poterant Fideles, substantiis nudari, de dignitatibus dejici, verberibus affligi, pacis autem tempore, quia hæc à nostris persecutionibus desunt, est aliud ubi ostendamus nobis. Veremur sæpe à proximis despici, dedignamur injurias verbi tolerare &c.* Idem Moral. c. 6. *Sunt plurima quæ quosdam in ipsa pace Ecclesiæ constitutos Infideles denuncient. Vides nonnullos ita personam potentis accipere, ut requisiti ab eo pro favore ejus non dubitent in causa proximi veritatem negare. Et quid est veritas, nisi ille qui dixit, Joan 14. Ego sum veritas? Neque enim Joan. Baptista de Confessione Christi sed de veritate justitiæ requisitus Marc. 6. occubuit. Sed quia Christus est veritas, ad mortem usque idcirco pro*

Christo,

Christo, quia videlicet pro veritate, pervenit. *Ponamus ergo ante oculos quod aliquis percontatus personam Potentis accepit: & ne verbi saltem injuriam pateretur veritatem negavit, quid rogo iste faceret in dolore pœnarum qui Christum erubuit inter flagella verborum? Ecce & post hæc ante oculos hominum Christianus est, & tamen si eum Dominus disposuit districtè judicare jam non est.*

In lingvis ignis venit, quia in quibus manet, ardentes & loquentes facit. Lingvâ igneâ loqvuntur Concionatores dum incendunt peccatorem. Sicut S. Vincent Ord. Præd. qui in carbonem verbis redegit quos ad supplicium comitabatur, Luc. 24. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur nobis in via?* Deut 33. *In dextera ejus ignea lex.* In igne venit, quia zelo replet in quibus manet. In Spiritu vehementi quia dat animos ad magna patranda. Sicut turbo evertit turres. Ps. 32. *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Qualis Petrus ante? qualis post Spiritum S.? David antea cytharædus, Amos rusticus, Daniel puer, Mattheus Telonarius, Paulus ex secta Pharisæorum.

Dominica IX. post Pentec.

DIgna Jerusalem fletu quæ maximorum sibi conscia, non flevit, neque tamen alteri potest sua mala adscribere quam sibi. Præmonuit DEUS signis aliquot ut Joseph scripsit lib. 7. cap. 17. Supra civitatem per annum pendebat cometes gladii formâ. Circum aram & templum horâ noctis nonâ lux velut in meridie comparvit. Bos immolandus agnum in templo peperit. Orientalis porta templi ænea quæ vix à viginti viris moveri potuit, aperta est sine ullo homine horâ sextâ noctis. Videbantur currus armati & acies in aëre confligentes ante solis occasum. Die Pentecostes cùm noctu fuissent ingressi templum sacerdotes audierunt strepi um

& voces, *Migremus hinc.* Vir plebejus per quadriennium clamabat noctè dieque, *Vox ab Oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis. Vox in Jerosolymam & templum, vox in maritos novos nuptasque novas, vox in omnem populum.* Nec aliud dixit etsi aliquando fuerit flagellatus, tandem initio belli occisus dicendo, *Væ & mihi.* Luna per 12. noctes in continua fuit Eclipsi. Videt civitas jam ipsa mala, nec convertitur. Titus ponit castra in monte oliveti, & civitatem muro stadiorum 39. ac tredecem castellis intra triduum cingit. Loco orationis inter Judæos lites exoriuntur, & mutuò sibi exurunt frumentum, inde orta est tanta fames ut divites omnia sua bona frumenti modio permutarent, pauperes pro mensura hordei darent uxores, cibos sibi ex ipso ore jam mansos eriperent, matres vorarent filios, hinc plenæ mortuis domus, fimus boum & stercora ex cloacis in cibum quærebantur. Efferebantur aliquando per unam civitatis portam 150, aliquando 180. millia mortuorum. Neque sic resipiscebant. Capta est demum civitas, & ita vastata ut vix potuerit credi habitavisse aliquando eo loci homines. Tot affixi Judæi cruci ut spatium jam pluribus deesset crucibus. Valles circum circa completæ cadaveribus. Captivorum toto bello numerata 97. millia, mortuorum undecies centena millia.

Eadem Dominica.

SÆpè audivimus propter peccata perire regna, & quæ illa sint peccata propter quæ totum ordinariè DEUS puniat regnum, nam etiam propter quodvis punire potest, explicat S. Scriptura. *Propter injustitiam transfertur regnum de gente in gentem* Sed quæ illa sit injustitia, Christus hodie exponit dum ejicit ementes & vendentes de templo, & addit, *Vos fecistis speluncam latronum.* Greg. hom. 39. *Eversionem urbis describens,*

bens, sed ementes & vendentes in templo feriens, in ipso sui effectu operis ostendit, unde radix prodiit perditionis.

Tunc regna pereunt Christiana quando templa fiunt speluncæ latronum. Et hæc est summa injustitia. DEus maximum fecit beneficium, cupit habitare nobiscum in domo sua, in templo constituit, & nos templum facimus speluncam latronum, unde fit justè, quia nos domum DEI fecimus speluncam latronum, ut etiam Domus nostræ annuente DEO fiant speluncæ latronum, id est, eorum qui nos invadunt iniustè. Templum vertitur in hanc speluncam quando Beneficia Ecclesiastica venduntur, seu quando Simonia exercetur. Tum enim nemo bonus accipit officium Pastoris in Ecclesia, quia nemo bonus vult esse Simoniacus, & mali Pastores implent Ecclesiam, quos alibi Dominus fures & latrones appellavit, & de templo efficitur latronum spelunca. Fur etiam & latro nescit nisi mactare. Et per hoc fit magna Christo injustitia, qui sangvine suo pro bonis Pastoribus beneficia comparavit; fit etiam ipsis bonis injuria dum non illis sed malis conservatur. Greg. l. c. *Vendentes in templo sunt qui hoc quod quibusdam jure competit, ad præmium largiuntur.* Cùm per Beneficia solvuntur obsequia temporalia aut favor temporalis comparatur, aut aliquid pretio æstimabile pro illis accipitur. Greg. hom. 4. *Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodò retributionē quærunt, hi nimirum quod gratis acceptum est non gratis tribuunt.* An Spiritus S. tali assistet in regimine, qui peccat in Spiritum S. venalem eum ducendo? de Spiritu S. dicitur, *Sine tuo numine nihil est in homine nihil innoxium.* Si non assistit, oves sunt perditæ & sicut per simoniam acquisitum est officium ita per simoniam exercetur. Greg. hom. 39. *Domus orationis spelunca latro-*

latronum facta fuerat, quia ad hoc assistere in templo noverant, ut aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare. Quia etiam qui dat pro rebus sacris peccat graviter.

Fit etiam templum spelunca dum in eo fiunt quæ latrones in spelunca faciunt. Armati incedunt, colloqvuntur liberè, pecunias raptas numerant, literas apud spoliatos repertos relegunt, de lucris ulterioribus conferunt, nova sibi narrant & quæ cuique evenerint, de fortitudine gloriantur, è spelunca identidem prospiciunt, obscæna garriunt, omnes sunt tecto capite, nemo de genu orat, de templis spoliandis interdum & de spoliis divendendis conferunt, ad speluncam non causâ orationis conveniunt, &c. Videte ne similis in templis nostris agantur ne dicat DEUS. *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Tempus est ut incipiat judicium à Domo DEI.* Quod judicium? Greg. 25. Moral. 14. Dantur populo pastores cæci qui cum illo in foveam cadant. Antichristus *propter peccata populi regnare permittitur, quia tunc ipsi sub illius regnum præordinantur qui ejus dominio digni ante sæcula præsciuntur, qui peccatis subsequentibus exigunt, ut sub illo judiciis præcurrentibus disponantur. Quod ergo tunc Antichristus super impios regnat, non est ex justitia judicantis, sed ex culpa patientis*, tunc simoniaci, intonsi, intrant propter peccata. Et augentur eorum ductu peccata, donec fructus peccati veniat, qui est interitus. Sed tamen ibid Greg. cap. 15. Monet. *Solerter intuendum est, ne aut quem venerari necesse est imitari appetas, aut quem imitari despicis venerari contemnas.* Quod benè in Noë inebriato exprimitur, cujus nudata verecunda boni Filii aversi veniendo texerunt.

Do-

Dominica X. poſt Pentec.

VEhementer apud ſe detraxit PhæriſæusPublicano, cùm dixit, non ſum raptor, injuſtus, adulter, ut iſte Publicanus, & hoc palam dixit, nam ex eo patet quòd clarè loquebantur in templo dum orarent, quia Heli dum vidiſſet Annæ Matris Samuelis moveri labia, & vocem non audiri dixit eſſe eam filiam Belial. Audite quàm grave crimen hujus detractoris. Detractio fit ut ſcripſit Alb. Min. 4. Vel cum verum crimen proximi, ſed occultum manifeſtatur, vel cùm illi crimen falſum affingitur, vel cum auditum de proximo refertur, vel cùm virtus ejus negatur, vel tacendo, cùm poſſit detractorem compeſcere: graviſſima autem fit diffamatio cùm aliquis ſcripto publico diffamatur, & contra talem latæ ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ. De omnibns Detractoribus dixit S. Paphnutius. *Melius eſt comedere carnes in 40. diebus vetitis, quam comedere famam proximi* & S. Ephrem Paræneſi 1. *Carnem edere, & vinum bibere melius eſt Monacho*, in cujus monaſterio iſta ſunt prohibita, *quam in detractione carnes proximi ſui devorare.* Gravius ergo peccat detractor, quam ſi violaret jejunium S. Petrus Apoſt. apud S. Clem. epiſt. 1. triplex diſtinxit eſſe homicidium, cædis, odii, & detractionis, itaque detractor eſt homicida. Sed non ſolùm occidit illum cui detrahit, ſed etiam animam ejus apud quem detrahit. In vitis PP. Abbas Hiperichius. *Sicut ſuſurrans ſerpens ad Evam de paradiſo ejecit eam, ſic qui proximo ſuo obloquitur, audientis ſe animam perdit.* Sed hæc fuſius S. Franciſcus ut Bonav. cap. 8. in ejus vita. *Detractionis vitium inimicum fonti pietatis & gratiæ, tanquam ſerpentinum abhorrebat morſum & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo DEO abominabile fore firmabat, pro eo quod detractor animarum ſanguine paſcitur, quos gladio linguæ necat. Tantoque majorem*

jorem ajebat esse detractorum impietatem, quam latronum, quantò lex Christi quæ in observantia pietatis impletur magis animarum quàm corporum nos adstringat optare sanitatem. Enormius quocirca crimen committit detractor, quàm homicida & latro. Quod ipsum docet S. Chrisost. hom. 44. ad pop. ubi confusionem Fratris causatam vel optatam ait esse cæde graviorem, causat verò eam detractor. Explicat speciem hujus homicidii B. Laur. Justinian de vita solit. cap. 4. *Detractio spirituale homicidium est, quod enim in corpore materialis agit gladius, hoc in anima detrahentium perficit lingva.* Est aliquis sicut statua Nabuchodonosor, caput aureum, pectus argenteum &c. observat Detractor, non ubi est aurum, sed ubi est lutum, argilla, & statuam totam veluti lapillus confringit, & hic lapillus in montem crescit apud audientes. Sunt proditores qui castrum DEI tradunt hosti. Castrum est anima nostra, de hac Bern. serm. 3. in Dedic. Eclef. *Proditores sunt quicunque in hoc Domini Castrum inimicos ejus introducere moliuntur. Quales sunt utique detractores DEO odibiles.* Hinc gravissimâ pænâ Sancti mulctabant detractorem. S. Franciscus l. c. *Eum qui fratrem suum famæ gloriâ spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad DEUM oculos posse levare, nisi priùs quod abstulerat reddere pro posse curaret.* S. Basil. regula breviari 26. *Eum exterminandum esse à reliquorum societate.* Et merito quia ut Laur. Justinian. lib. de discipl. *Detractor est mortifera sagitta emissa de pharetra Sathanæ ad perdendas animas* &c.

Dominica XV. post Pentecosten.

SUscitavit Christus Adolescentem & Matri suæ reddidit. Debebat esse bona, cui miraculosè excitatum in curam dedit. Nam dare Matri malæ non vacavisset perditionis periculo, Adolescens verò hic bene fuit mortuus. Nam Christus nullum dam-

damnatum putatur excitâsse. At malæ matres, & exemplo, & verbis, &c. ducunt filios ad ruinam. Videamus ergo qualis esse debet mulier ut sit bona, ut mereatur à Christo solatia.

S. Vincent. Conc. in Vigilia Nativ. Dom. ponit septem signa mulieris malæ. Nimirum, Si est indevota, si garrula, si malè circa corpus composita, si excedat in cibo ac præcipuè potu: si otiosa: si in ornatu vana: si maritum despicit & proles non curat. Itaque per oppositum, ut sit mulier bona, debet esse devota. Quia talis habebit amorem DEI, qui illam retrahet à malo, ut Susannam, Dan. 11. debet mulier orare multum, legere res sanctas. Prov. ult. *Mulier timens Deum ipsa laudabitur.* S. Thom. proœm. in Job. *Nihil est quod tantùm avocet à malis & contineat in bonis quàm timor DEI.* Quomodo peccabit in cujus corde judicium DEI extremum versabitur, quæ cogitat se in conspectu DEI agere? quæ mallet mori quàm peccare. Et è contra quæ timorem DEI amisit nullis malis temporalibus à peccato avocatur. Prov. 27. ut legit S. Greg. Pastor. p. 3. *Si contuderis stultum in pila quasi ptisanam desuper feriente pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Per stultos intelligit scriptura peccatores, per stultitiam peccatum: Alterum signum est bonæ mulieris, cùm fugit loquacitatem. Silentium enim custodit DEI timorem. Cujus rei similitudinem dat S. Gregor. Pastor. p. 3. *Humana mens aquæ more, & circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit: & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit, totam se insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nullâ munitione custodiæ circumcludit.* Prov. 25. *Sicut urbs patens & absq; murorum ambitu ita vir qui non potest loquendo cohibere spiritum suum*: Primò procedunt ex ore quæ ad nos non spectant, tunc detractiones, tandem convitia. Agatho Eremita ut est in Vitis P. P. lib. 4. Per triennium lapidem gessit

in ore ut silere discessit. Ephrem. Parænesis 47. *Multiloquium mentem sensumque obtenebrat, mens autem tenebris obducta ad impudentiam trahit, impudentia autem est fornicationis mater.* Cùm aperta manet capsula in qua est odoratum unguentum, odor paulatim evolat, donec totus abeat. Ita in garrulo abit devotio & timor DEI. Quandò verò loquendum est? docet Basil. institut. Monach. cap. 32. *Generaliter, omnis sermo qui non proficit ad aliquam gratiam fidei Christi, otiosus est, contristat spiritum Sanct. DEI. Hoc ait Apostolus. Nolite contristare sanctum DEI. Quo utique gravius malum nullum esse poterit.* Cypr. lib. 1. Epist. 3. *De ore & verbis suis unusquisq; proditur, & utrum Christum in corde suo an Antichristum habeat, loquendo detegitur.*

Tertium signum est compositio in moribus, seu modestia. Non risus dissolutio, non otiosa cursitatio, non è fenestris prospectatio, non vestitus inordinatus. Sed oculis in publico versus terram demissis, fugæ chorearum. S. Sara Virgo, ut est lib. 4. in Vitis P. P. habitavit annis 60. circa fluvium, & nunquam illum aspexit. Chrysost. tom. 2. hom. 100. *Cur te pudicitia modestiaque non ornat, quomodo meretrix ornari non potest?* ut sic ab illa distinguaris in hominum etiam oculis. Cyprian. de habitu Virgin. *Fugiatis castæ Virgines & mulieres pudicæ incæstarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, meretricum ornamenta.* Tertull. lib. de velandis Virginib. *Cuidam sorori nostræ in somnis Angelus cervices quasi applauderet verberans, elegantes, inquit, cervices, & meritò, nudæ!* De capillis alienis idem lib. de cultu fæminarum. *Si non pudet enormitatis, pudeat inquinamenti ne exuvias alieni capitis, forsitan immundi, forsitan nocentis & gehennæ destinati, sancto & Christiano capiti superponas.* Depictæne in judicio extremo surgetis? &c. Choreas sic describit Ambros. lib. 3. de Virginib. *Tegitur officiis pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia solvitu, dum affe-*

affectatur urbanitas, &c. Quid ibi verecundiæ potest esse ubi saltatur, strepitur, concrepatur? Quid vos dicitis Sanctæ fœminæ! videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis. Saltet, sed adulteræ filia. Quæ verò pudica est, quæ casta est, filias suas religionem doceat non saltationem.

Quartum signum est abstinentia & sobrietas. Nam gula aperit ad vitia. Tertull. adv. Psychicos. *Monstrum haberetur libido sine gula, cùm duo hæc tam unita ac concreta sint, ut si disjungi omninò potuissent* natura eorum receptacula non conjunxisset. *Per edacitatem salacitas transit.* Exod. 32. *Sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.* de quo Tertull. lib. 1. *Intellige Sanctæ Scripturæ verecundiam, lusum, nisi impudicum non denotâsset, &c.* Quia ut Gregor. lib. 5. in Regum libros cap. 1. *Qui abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit. Suadet gula, quod peccatum non est, sed unde commestio quasi non peccatum recipitur, inde peccans luxuriæ anima subjugatur.* Sed etiam ad alia pertrahit peccata. Unde monebat suos S. Joannes Abbas Vit. P. P. lib. 3. *Considerate Dilectissimi quoniam nihil fortius est in bestiis Leone. Et tamen propter ventrem suum cadit in laqueum, & illa feralis & magna ejus fortitudo humiliatur.* Et licet peccata ista ex ebrietate non sequerentur, ipsa deformitas illius deformem faciet mulierem & malam. Quæ & malos & deformes facit viros. Ambros. lib. de Elia & jejunio: *Fortes sibi videntur in uno, prælia enarrant cùm stare non possint, aurum donant, civitates ædificant, qui non habent unde cauponi potus sui pretium solvant. Quos manè insignes armis spectaveras: vultu minaces, eosdem vespere cernis à pueris rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, Hanc mensæ suæ gloriam putant si ex ea saucii omnes tanquam ex arena exeant.*

Quintum signum, continuus labor, suo sexui conveniens.

S. Franciſcus otioſum vocabat muſcam. Bern. ſerm. 47. Dixit ſponſa lectulus noſter floridus, at ſponſus. Ego flos campi. *Illâ monſtrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium provocat, &c. Ego flos campi. Qui diligit me veniat ad campum, non refugiat meum, & pro me, inire certamen, ut poſſit dicere, bonum certamen certavi.* In adjutorium Eva eſt data, non in otium, &c. Et dæmon dum videt otioſam, facit ut pro ipſa laboret. In omni genere animalium tam fæmina quàm mas bro victu laborant, nidos ædificant, &c. *Homo ad laborem naſcitur.* Quæ ergo recuſat laborem homo eſſe non vult, non unam potentiam DEUS dedit mulieri, exercendæ ſunt plures.

Sextum eſt malæ, vanitas in ornatus de qua etiam aliquid ſuperius dictum, ſed nunc addenda. Mulier honeſtè ſe veſtiat, ſed non dies in ſpeculo conſumat. Non ultra ſtatum ſuum & opes. Si in gratiam viri, ſe dicat comere. Maneat domi ubi à viro videri poſſit compta, non foris ubi non à ſuo viro. Cypr. de habitu Virgin. *Neque enim DEUS purpureas aut coccineas oves fecit, aut herbarum ſuccis aut conchyliis tingere & colorare lanas docuit. Non diſtinctis auro lapillis, aut margaritis contexta ſerica, & numeroſâ compage digeſtâ monilia inſtituit, quibus cervicem quam fecit abſconderet, ut operiamur illud in homine quod DEus formavit, ac conſpiciatur deſuper id quod diabolus adinvenit, &c. Quæ omnia peccatores & apoſtatæ Angeli ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti à cæleſti vigore receſſerunt.* Pudeat damnatum ad mortem in his quærere ornamenta quæ ipſius damnationis ſunt inſignia, ut ſi damnatus ad patibulum, ſuam curaret ſerico & auro exornari furcam. Tertull. lib. de habitu mulieris. *Eva ornabatur* in ſtatu innocentiæ, ſed primò poſt peccatum accepit pelliceum. *Ideò iſta omnia damnatæ, & mortuæ mulieris impedimenta*

menta sunt, quasi ad pompam funeris constituta, & si illa non nisi peccatrix assumpsit ista, quæ hoc assumunt cum ornamento videntur sibi complacere in peccatis, & ad peccata esse paratæ, sicut qui amat venenum quod in pœnam Pater ejus bibit, & illud variè condit, atque cum gustu bibit. Quare Paulus Gal. 6. *Mihi mundus crucifixus est*. Abominor mundum ut cadaver in cruce, quod apud Judæos pro maledicto & damnato habebatur.

Ultimum est signum bonæ mulieris si virum suum honoret, proles suas amet. Non reveretur maritum, contra quod facit quando cum illo disputat de genere, &c. Esther. 2. *Cunctæ uxores tam majorum, quàm minorum, deferant maritis suis honorem, & sciant viros esse majores in domibus suis*, spondent sibi Conjuges mutuam observantiam, & si hæc à muliere quæ debet minor esse marito, non servatur? quid erit si latus contemnat oculos & caput? Bern. in dedicat. Eccles. serm. 3. *Sicut in pace factus est locus Domini, sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est*. Ingredietur sanè in matrimonium sicut in energumenum, quid tandem non faciet? quæ maritum contemnit, aliquem fortè qui non est maritus diliget. Conjugalis vita est, ut ait S. Gregor. Past. p. 3. Sicut mons Segor ad quam Loth ex incendio Sodomæ profugit, Genes. 19. Est civitas hic juxta Segor, &c. *Quia conjugalis vita nec à mundo divisa est, nec tamen à gaudio salutis aliena*. Si in Segor fuisset aliquis qui contempsisset Lothum, certè solatium ejus turbavisset. Contemnit mala uxor. Ambr. exhort. ad Virgines dicit Connubium esse dictum à nubibus, quid fiet, si nubes inferior velit superiorem dejicere in terram? Debet esse amor erga prolem nisi velit esse Mater pejor quâcunque bestiâ. Hic amor præcipuè monstratur in bona educatione

Ambr.

Ambrof. Epift. *Parentem non adulatorem age, Filiique tui crimina non mulce, sed pœnâ corrige. Semiputata vinea frondescit, neglecta luxuriat*, Chryfoſ. ferm. 1. *Inter propinquorum lumina non valent delicta verſari propinquorum, quot oculi tot lucernæ. Dies eſt aſpectus Matris. Sol Patris in vultu rutilat. Unde viventi inter tot virtutem duces, criminum tenebræ propinquare non poſſunt.* De cætero Simia complexu catulos necat, & dum ſe matrem oſtendit. Carnifex eſt.

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Cùm nos Deus dilexiſſet, & multa dediſſet bona, unde nos magnos conſtituit debitores, mittit ad nos Fratres noſtros, proximos ut illi per eos debitum exolvamus, & quod ipſe ratum ſit habiturus, certiores nos facit per ſuum inſtrumentum publicum. *Quod uni de his minimis feciſtis, mihi feciſtis*. Hoc ipſum debitum commemorat S. Paulus. *Nemini quidquam debeamus niſi ut diligamus invicem*. Mittit ergo pro hoc debito ſaltem ex parte recipiendo, miſeros ac mendicos. Neque ſatis eſt ut illud verbis bonis exolvamus, quia non ſola nobis illa verba dedit. Debemus & mente & opere. Mente neminem apud nos condemnando, imò quantùm posſibile facta aliena benè explicando. Opere, benefaciendo, & quidem Rom. 12. *Charitas ſine ſimulatione*. Dabat Judas cum ſimulatione oſculum. Sed Auguſtin. lib. 1. de Amicitia. cap. 24. *O digniſſima ſimulatio omnibus pœnis quæcunque Divina ſeveritas exerit in Principem ſimulatorum Judam*. Ad hujus vexillum ſpectant ſimulatores. Sed quomodo fuit Deo cara hæc ſolutio debiti, audite. Legatur totus, Pſalm. 108. de illo Juda ſcriptus, punitur in honore, bonis, & ipſe punivit ſe in corpore. Inſuper dum ad Sacerdotes recurrit, cum morſu conſcientiæ, reſponſum illi, *Tu videris*. Sed dicet aliquis. Judas Chriſtum fefel-

…od Cerwneza płacił 2 zł. z berwi gostytowie 5 Oyer Myl…

…iy by wpadł przez niesnawiesci Miesziey Towarzysz…

…ie wiernosc bez folgi konca zniebec cakeysz pabel…

Zapłacz 3 głod z ssypnod 5 Oyer 6 rebek sumrzenia

…ku Eckatum z polypienia S. Dopełe

…la nayszacow

moda miała

ięże Chauarka

... Camilli Alexandri
Eleuterij

fefellit, non proximum. Sed eadem est charitas DEI & proximi, qui ut DEus propter DEUM, ita proximum propter DEum diligimus. Videamus tamen pœnas etiam proximi decepti. Joab fraudulenter occidit Joabum 2.Reg.3. Quid ad hoc David? *Sanguis Abner veniat super caput Joab, & super omnem domum Patris ejus, nec deficiat de domo Joab fluxum seminis patiens, & leprosus, & tenens fusum, ut occidens gladio, & indigens pane.* Tamen æqualis Dux Ducem occiderat, non dedit talem maledictionem David supra Amalecitem servum, ethnicum, qui Regem Saul occiderat. Joab etiam habuit causam occidendi Abnerem, quia occiderat Fratem ejus Asaëlem. Et ipse fuit suspectus quasi impediret Davidem in consequendo toto regno. Attamen ita maledicitur, quia sub specie amoris occidit.

Dominica XXII. post Pentecosten.

NOn est utilior quæstio, quàm sæpiùs ex seipso quærere, cujus est imago? Per creationem facti sumus ad DEI imaginem. Sed & nos ipsi pingimus, & aliquando facimus nos imaginem non DEI. Quidam ut ait Tertull. libr. de Corona Militis, pingunt in se Veneris imaginem, & hoc in mulieribus hoc modo explicat. *Si nudo capite non debet videri ob Angelos, multò magis coronato. Quid enim est in capite fœminæ corona, quàm formæ linea, quàm summa lasciviæ nota, extrema negatio verecundiæ, conflatio illecebræ?* Jam quid de illis quæ suas facies pingunt. Cyprian, serm. de Habitu Virgin. *Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem, & corporis qualitatem æmulo corpore signasset, & signato jam consummatoque simulachro manus alius afferret, ut jam formata jam picta quasi peritior reformaret gravis prioris artificis injuria, & justa indignatio videretur. Tu quæ pingis faciem tuam existimas impunè laturam*

ram tam improbæ temeritatis audaciam, DEI artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, & incæsta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ DEI sunt, pejor adultera detineris. Aliqui in se pingunt draconem, Bern. serm. 12. in dedic. Eccles. *Væ nobis à dracone, immanis est bestia, flatu igneo quidquid attigerit necat non modò bestias terræ sed & volucres cæli. Haud alium ego draconem hunc quàm spiritum iracundiæ reor. Quantos etiam sublimis ut videbantur vitæ flatu hujus draconis miserè adustos turpiter in hujus os incidisse ingemimus!* Alii fingunt in se dæmonem Basil. sermon. in ebriet. *Ebrietas ipse est dæmon quidam à nobis sponte provocatus, qui per voluptatem evertit animas nostras.* Sicut quem dæmon occupat non est sui potens, non auribus, oculis, &c. pro suo velle utitur, vociferatur, jactatur, invadit, ridet cum non est ridendum, &c. Sed longum est persequi alias imagines. In summa, duplicem in nobis pingimus imaginem, aut DEI, aut dæmonis. De imagine DEI Basil. in Monast. Instit. *Qui nullum patitur delictum, seque perseverantem in rebus adversis, nullisque cedentem tentationibus inconcussâ mente ostendit, hic demum in anima sua DEI similitudinem recipit, ex qua vitæ beatæ particeps efficitur.* Breviùs hoc ipsum Greg. in 1. Reg. lib. 2. *Imago & similitudo DEI est indito odio malum odisse, & amore perfecto DEum diligere.* Vis etiam scire quæ sit imago dæmonis Ambr. Off. l. 1. c. 49. *Sit in nobis imago justitiæ, sit imago sapientiæ: quia veniemus ad illum diem, & secundùm imaginem æstimabimur. Non inveniat in te Adversarius imaginem suam, non rabiem, non furorem, in his enim imago nequitiæ est. Divitiæ exuunt te imaginem Dei & induunt terreni imaginem. Si Tyranni aliquis habeat imaginem nonne obnoxius est damnationi? tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. Ejice magis de civitate animæ tuæ imaginem diaboli & attole imaginem Christi.*

FINIS.

be-

pru-
prea
uci-
uta-
sum
qui
cer-
Sint
vi-
ali-
ist9
s ad
. Si
ra-
&
ce.
ri-
seri.
ini-
im
unt
ce-
it à
er-
dit
sim
ue
si-

